8
7-c
5

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 F
5

8-7-C-5

8.7.c.49

Ex libris
Marchionis Aloysii Valenti
Empt: 8 -- 8 - 2 -

Digitized by Google

M· ANTONII MURETI
OPERA
TOMUS IV.
LIBROS RELIQUOS IIII.

CONTINENS

Variarum Lectionum & lib. Obſervationum iuris tum Carmina omnia.

Accedunt P. Syri Mimi ſententiae.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



VERONAE MDCCXXIX.
Apud Io. Albertum Tumermanum in Vico Artium.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISSIMI SENATU AD ANNOS XV.

ILLUSTRISSIMO VIRO

IOANNI FRANCISCO MUSELLO

Eccleſiae Veronenſis Archipraeſbytero.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Ioannes Albertus Tumermanus

S. P. D.

QUartum hunc Tomum M. Antonii Mureti operum, ut tibi ſolemnibus veterum verbis donarem dicarem dedicarem, egit iampridem apud me virtus tua, perficit nunc ſtudium animi in te meum. Ea enim virtus quae latiſſime claret, externoſque homines allicit in amorem atque admirationem tui, cur & nos qui te coti-

die videmus, qui tua facta contemplamur non altius ureret ac corriperet? Nam inſigni te loco natum, multiſque affluentem divitiis ac honoribus ne admiremur, ipſa profecto efficit virtus tua, quae divitias, honores, nobilitatem aliaque naturae bona ſuos in uſus convertit, claritatemque generis tui modeſtia ac affabilitate obruit, divitiaſque attenuat liberalitate. Qua de re non alias optimi iudicii teſtimonium maius edidere, aut Ioannes Franciſcus Barbadicus, olim Veronenſis Antiſtes, nunc S. R. E. Cardinalis ac Epiſcopus Patavinus, cum te vix ſacris initiatum in Seminarii Veronenſis protectorem elegit, aut Veronenſium Canonicorum Collegium, cum te Vicarium Capitularem renuntiavit, aut inſignis PP. Diſcalceatorum familia, cum tibi munus iudicandi, ſuique tuendi in hac urbe detulit. Quae omnia nonniſi in eximiae nobilitatis ac doctrinae tum probitatis virum cadere poſſunt. Iam te ſacrarum litterarum a-

mor

mor non tam ſapientem quam munificum liberalemque oſtendit: damna etenim in lucro ponis, ut rariſſima ac praetioſiſſima ſacri huiuſce Canonicorum Collegii monumenta aſſerves, illuſtres, condecores. Teſtis illa Canonicis in aedibus erreɛta Bibliotheca, quae (ita complures vitae annos Deus tibi concedat) ut inſignem librorum numerum continebit, ad Eccleſiaſticam doɛtrinam, litteraſque omnes cum ſacras tum prophanas pertinentium. Licebit tunc noſtratibus, licebit exteris perantiqua illa Veronenſis Capituli manuſcripta tuo beneficio intueri, illuſtrata etiam ac typis edita accipere, non ſine conſilio tuo & eruditorum virorum opera. Nam ſi velim quae reliqua ſunt praeclara a te geſta recenſere, non epiſtolae modum praeteream tantum, ſed dies me deficiet. Quae enim ad huiuſce Cleri ſalutem, amplitudinem, gloriam contuliſti, quo tempore Eccleſiam hanc procuraſti, donec in ea novus Epiſ-

copus enuntiaretur , ſatis pro me Chriſti pauperes , ſatis Clericorum probitas ac doctrina , ſatis templa , aedes , parietes ita me Deus amet loquuntur . Finem igitur tui collaudandi faciam , maximo cum modeſtiae tuae gaudio , etſi non modico cum famae detrimento . Unum oro , ut munuſculum hoc meum aequi bonique facias , meque in eorum qui te colunt , teque etiam atque etiam amant numero humaniter conſcribas . Vale

Digitized by Google

AD LECTOREM

UT pauca te alloquar teque monitum velim, optime lector, IV. hunc M. Antonii Mureti operum tomum in lucem editurus, & officii mei, & cognitionis tuae ratio poſtulat. Etſi enim in fronte primi horum operum tomi permulta de Mureto ipſo diximus permulta de hac editione mea, ſuperſunt tamen de utroque dicenda non levia. Primum omnium, illud nobis ſolemne fuit, cum diſertiſſimi ac eruditiſſimi hominis opera publici iuris facere decrevimus, ut nempe ſingulis tomis aliquid insereremus vel ineditum omnino, vel rariſſimum, ut editio noſtra ſi non omnia quae Muretus ſcripſit contineret, certe eorum quae nunc manibus teruntur abſolutiſſima foret. Quamobrem primo tomo Orationes Mureti col-

legimus ex Aldina editione quadam, ipſa Mureti manu correcta; tum in calce addidimus verſionem libri quinti Ethicorum Ariſtotelis ab ipſo Mureto compoſitam, multiſque in locis manu ſua emendatam. Eam editionem nimirum nobis commodo dedit Abbas Ioannes Baptiſta Recanatus eruditiſſimus vir ac Patricius Venetus. In alterum tomum epiſtolas Mureti congeſſimus omnes, tam quae extant in Lipſienſi editione anni MDCCXIV. quam quae habentur in editione non trita Ioannis Michaelis Bruti anni MDLXI. Tertius tomus Variarum Lectionum libros XV. continet, cum graecorum locorum latina interpretatione iuxta Pariſienſem editionem anni MDCVI., quae & non adeo communis editio, quaſque omni critica eruditione refertas Lectiones in Lipſienſi fruſtra eſt invenire.

At libri adhuc ſupererant earumdem Lectionum quatuor, tum liber ſingullaris

ris

ris obſervationum iuris, quae omnia in Lampade Critica latebant magis quam aſſervabantur; adeo utraque eius Facis ſeu Lampadis editio raro oculis occurrit. Nec editio integra librorum eorumdem Variarum Lectionum Francofurtenſis ita frequens ad manus venit. Libros igitur reliquos quatuor variarum Lectionum, tum librum ſingularem obſervationum iuris huic tomo mandavimus. Addidimus iis carmina Mureti quae extant in Lipſienſi praefata editione, tum carmen ad Neaeram in eadem editione omiſſum, ſed in Aldina ſuperius memorata contentum. Praeterea carmen aliud ad Fulviam puellam ineditum quod nobis mira humanitate conceſſit U. C. P. Catarinus Zeno. P. Syri Mimiambos ideo in calce operis adiungere placuit, quia ſatis eos diligenti opera editio Lipſienſis collegerat ex Ingolſtadienſi editione anni MDCII. nec adeo frequens occurrunt: illoſque inſu-

inſuper lepidiſſime imitatus eſt Muretus in inſtitutione puerili ad nepotem, quam in hoc eodem tomo habes, carminibus reliquis Mureti eiuſdem additam.

Conſimili cura ac ſtudio reliquos Mureti operum tomos concinnabimus, ut ne cuivis libro aliquod deſit condimentum. Permulta eius ſunt in Graecos Latinoſque Auctores Commentaria, permulti eiuſdem in ius civile libri, quod Muretus optima illa, Gallorumque Iuriſconſultorum propria cura, miraque brevitate ac perſpicuitate declaravit. Illud enim praeclarum credo, illud civilibus negotiis quammaxime utile, ſi vetus Romanorum ius breviter potius ac nitide explicetur, quam ſi immenſis commentariis obruatur potius quam illuſtretur. Porro commentaria illa omnia Mureti quae diximus & in ius civile, & in humaniores veterum ac poeticas litteras, poſteriori-

bus

bus tomis colligemus, ut ne quid diligentiae aut novitatis poſtulare a nobis poſſint litterarum ſtudioſi, utque Italorum primi in edendis Mureti operibus amantiores omnium videri poſſimus & accuratiores.

Digitized by Google

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC QUARTO TOMO CONTINENTUR

VARIARUM LECTIONUM

LIB. XVI.

T. Livii locus e philoſophia depromptus. Cap. I.

Animalia in igne degentia. Plinius corrigitur. cap. II.

Terentii Adelphi locis aliquod caſtigantur. cap.III.

Hippolyti Card. Eſtenſis prudens de ſeveritate ſermo. cap. IV.

Unus pro millibus a Democrito primum dictum videri. cap.V.

Servi ad pedes cenantibus ſtabant. Magdalenam pedes Domini ſtando unxiſſe. cap VI.

Aridaeus & Apollodorus tyranni. Seneca emendatus. cap. VII.

Tria Livii loca numerorum notis depravata. cap.VIII.

Si forte. Ciceronis in Miloniana locus interpunctione ſanatus. cap.IX.

Svetonii de clarIs Rhetoribus libellus emendatur. cap.X.

Notati

Notati in tranſcurſu errores aliquot cuiuſdam qui libellum illum Svetonii commentario explanavit. cap.XI.
Plinii minoris epiſtola contra interpretis eruditi ſententiam explicata. cap.XII.
Plauti Curculio locis aliquot caſtigatur. cap.XIII.
Plauti Scena, Curculine, ſuis numeris reddita. cap.XIV.
De miſera rerum humanarum conditione, e Seneca Tragico aliiſque Scriptoribus diſputatum. cap. XV.
Avidia pro aviditate. Salluſtii locus coniectura correctus. cap.XVI.
M. Tullii Phillipicae decimae locus explicatur. cap. XVII.
In Muraeniana Cicero, & in odis Horatius Graecorum ſcriptis illuſtrati. cap.XVIII.
Ciceronis Quinctiana locis aliquot perpurgata. cap.XIX.
Elegans Ciceronis, Tuſculana ſecunda, locus illuſtratus. cap. XX.

VARIARUM LECTIONUM

Liber XVII.

Rectene inſcripti libri M. Tullii de finibus bonorum & malorum, diſputatum. cap. I.
Epithetorum in poetica uſus. Mater Leonum Africa. Horatius illuſtratus. cap. II.
Avaritia & ambitio Rerumpublicarum peſtes. Salluſtii ſuper ea re locus Catillinarii caſtigatus. cap.III.
Plenus auferendi caſui ſaepe Cicero adiunxit contra atque Victorio placuit. cap.IV.
Ciceronis, pro Rabirio Poſtumo oratio, ex veteribus libris duobus, locis aliquot emendata. cap.V.

Lycur-

Lycurgi orationis locus emendatus & auctus. cap.VI.
Antiphontis Rhamnuſii oratio correcta. cap.VII.
Peregrinatio ſitne utilis quaeſitum: & liceatne laudare aliud, aliud ſequi. cap.VIII.
Ciceronis de Divininatione in Verrem locutio contra Aſconii Paediani ſententiam defenditur. cap.IX.
Ciceronis e Lucullo lectio defenſa, de Herculis ſagittis ex Euripide. cap.X.
Lyſiae laudatio eorum qui Corinthiis operam ferentes occubuerunt, locis aliquot emendati. cap.XI.
Roma cur & a quo Orbis compendium dictum. Gregorii XIII. Pont. laus. cap. XII.
Neque vivus neque mortuus ſum: a pluribus uſurpatum eſſe. cap. XIII.
In Plauti Poenulo notata non pauca. cap.XIV.
In eadem comoedia difficilis nodus explicatus. cap.XV.
Plautina formula, haud vidi magis. cap.XVI.
Poenulus Plauti contra atque a Turnebo explicatur. cap. XVII.
Duorum rurſum in Poenulo locorum explicatio & acceſſio. cap. XVIII.
Seneca emendatur. Svetonius in Caligula ex Homero illuſtratur. cap.XIX.
Xenophoutis libri primi Anabaſeos locus non ſatis fideliter ab erudito interprete redditus. cap.XX.

VARIARUM LECTIONUM

Liber XVIII.

DE vocalibus eleganter diſputatum ex Platone & Plutarcho. Athenaeus lib. 10. caſtigatus. cap I.
Loci duo Athenaei integritati reſtituti. cap.II.

Ele-

Elegans Horatii locus de ira ex vetere libro reſtitutus. cap.III.
Dolus alius bonus malus alius apud Iuriſconſultos. cap.IV.
Ariſtotelis locus 1.Phyſicorum ex Galeno emendatus & auctus. cap. V.
De Ciceronis e Philippicae ſecundae loco diligenter quaeſitum. cap.VI.
Alia item ex eadem oratione menda ſublata. cap.VII.
Elegans Platonis librorum de Rep. initium. Lyſiae ſtilus. Fab.Quinctilianus correctus. cap.VIII.
Plautus Mercatore locis aliquot reſtitutus & auctus. More maiorum contra Alciati ſententiam. Tuis ingratiis. cap.IX.
In Nonio Marcello emendati ſcriptores, Plautus, Varro, Cicero, Turpilius, Lucilius, & Afranius. cap.X.
Principem legibus ſolutum quomodo intelligendum ſit e Platone diſputatum qui & corrigitur. cap. XI.
Therica & Paradoxa an eadem ſint. Cicero contra Turnebi ſententiam explicatus. cap.XII.
T. Lucretii locus de noctibus ſerenis, alter item Plinii. Lucubrare quando optimum. Kalendis Ianuarii quid fieri ſolitum. Marcelli Corvini & Gul.Sirleti Cardinalium laus. cap.XIII.
Virgilium quod neque Homeri neque Ciceronis meminerit ingratum videri. cap.XIV.
Xenophonis e tertio Anabaſeos locus correctus & explicatus. cap.XV.
Gregorii Nazianzeni loci duo, partim e Luciano partim ex Ariſtophane expreſſi. cap.XVI.
Virgilii IV. Aeneidos locus non recte a Servio explicatus. cap XVII.
Hecyrae Terentii locus exponitur, Donati hiatus expletur. cap.XVIII.
Si telum manu fugit e XII. Tabulis, ab Homero deſum-

ſumptum ut & Philoſophiae definitio. Hadriani Turnebi laus. cap. XIX.
Scriptores veteres, non recentes publice explicandos & ſequendos. Quinctiliani praefatio libri ſexti emendatur. cap. XX.

VARIARUM LECTIONUM

Liber XIX.

De Baccho bimatre Martialis verſus reprehenſus. cap. I.
In Quinctiliano poetarum verſus aliquot nitori ſuo redditi. cap. II.
Athenaeus libro octavo ſaepius caſtigatus. Chreſtomathia & Ecloga quid. cap. III.
Recte ne Cicero Graecos reprehenderit, quod laborem & dolorem una voce πόνον apellare dixerit. cap. IV.
Xenophontis locus quarto anabaſeos emendatus: cap. V.
Quinctiliani libro ſexto de riſu, loci plurimi & emendati & explicati. cap. VI.
Male ominatis verbis uti. Horatius & Terentius illuſtrati. Verſus Ennii numeris reſtituti. cap. VII.
Phormio Terentiana e Demoſthene illuſtrata. cap. VIII.
Plauti e captivis verſus e Graeco ſumpti. cap. IX.
Ciceronis epiſtola 1. ad Atticum locus, contra Simeonis Boſii ſententiam & emendatus & explicatus. cap. X.
Sacrum pro populi ſalute in domo Conſulis fiebat quotannis idque Athenienſium exemplo. cap. XI.
Cicero accuſationum in Verrem libro 1. emendatus & contra eruditi ſententiam interpretis explicatus. cap. XII.
Ciceronis in Verrinis locum e Graeco Scriptore ſumptum

ptum videri. cap.XIII.
T. Livii loci aliquot e M. Tullio expreſſi. cap.XIV.
Eiuſdem Livii locus caſtigatus. cap.XV.
Condemnandi & iudicandi verbum, Graecorum more in accuſationibus etiam a Latinis adhiberi. Advertere quid ſit. Livius iterum purgatus. cap.XVI.
Livius rurſum emendatus locis aliquot e vetere libro. cap XVII.
De Horatio Coclite Senecae narratio, ab aliis praetermiſſa. cap.XVIII.
Adire manum alicui, Plautus locis aliquot explicatus. cap.XIX.
Cicero in Maniliana emendatus & illuſtratus. cap.XX.
Xenophontis locum in Cyri Paedia imitatus Salluſtius. cap.XXI.
Salluſtii in catilinario locum e Socrate expreſſum videri. cap.XXII.

OBSERVATIONUM IURIS

Liber ſingularis.

DEfuncto reo, ſolutaque poena quae ad heredes pertinet qui de re pecuniaria iudex cognoſcere debeat. Emendata in eam rem L. Defuncto eo D. de pub. iud. cap.I.
Servum nec delegari nec deportari. Emendata in eam rem lex. cap.II.
Emendatur reſcriptum M. Antonii & L. Veri in L. 3. de quaeſtionibus. Accurſii error. cap.III.
Demonſtratur incogitantia eorum qui libros Pandectarum concinnarunt. cap.IV.
Unde ductum videatur dictum illud Ulpiani Heri

ri Servus hodie liber. cap.V.
Gordiani reſcriptum, vulgo male acceptum explicatur. cap.VI.
Illudere, ludificari ludibrio habere. cap.VII.
Emendatae Inſtitutiones Iuſtiniani. cap.VIII.
Emendata lex Praetor ait D. de edendo. cap.IX.
Oſtenditur vera lectio L. Iuris gentium D. de pactis contra Accurſium. cap.X.
Depravatus locus in Inſtitutionibus de nuptiis reſtituitur. cap.XI.
Quomodo lagenda videatur Lex XIII. D. de probationibus. Eademque illuſtrata. cap XII.
Quod genus legati fuerit olim partitio. cap.XIII.
Ad L. primam. De operis novi nuntiatione. cap.XIV.
Emendatus Ulpianus L. ſi hereditas de teſtam. tect. cap.XV

INDEX

Lib. I. *Carminum.*

PSalmus XIV. al. XV.) pag.161. num. 1.
Pſalmus XLV. al. XLVII.) 2.
Pſalmus LI. al. LII.) 3.
Pſalmus CXIV. al. CXVI.) 4.

HYMNI SACRI

SEreniſſimo Principi Guilielmo Gonzagae Duci Mantuae. 5.
In Adventu. 6.
In die S. Barbarae 7.
Ad laudes. 8.

In

INDEX

In Natali Domini. 9.
In die S. Stephani. 10.
In die S. Iohannis Evangeliſtae. 11.
In die S. Innocentium. 12.
In Feſto S. Silveſtri. 13.
In die Circumciſionis. 14.
In die Epiphaniae. 15.
A Septuageſima ad Cineres. 16.
A die Cinerum. 17.
In Dominica Paſſionis. 18.
In Dominica in Ramis palmarum. 19.
In die Paſchae. 20.
In die Annunciationis. 21.
In Feſtivitatibus S. Crucis. 22.
In die Aſcenſionis. 23.
In die Pentecoſtes. 24.
In die SS. Trinitatis. 25.
In Feſto Corporis Chriſti. 26.
In Nativitate S. Iohannis Baptiſtae. 27.
In die Transfigurationis. 28.
In die S. Laurentii. 29.
In die Aſſumptionis B. Mariae. 30.
In Feſto S. Hadriani. 31.
In die s. Michaelis. 32.
Commune B. Virginis. 33.
Commune Angelorum. 34.
Commune unius Confeſſoris Pontificis. 35.
Commune unius Virginis. 36.
In Feſto Ambroſii. 37.
Ad B. Virginem Lauretanam. 38.
Ad D. Barbaram. 39.
De s. Andrea Apoſtolo. 40.
Mente Deum pura quiſquis veneratur amatque. 41.
Ad Gregorium XIII. Pont. Max. 42.
Ad Dominum Zamoſcium Polon. Cancel. 43.

† 2 Ad

Ad Antonium Montecatinum. 44.
Ad Falvium Cardulum. 45.
P. Franciſco Bentio. 46.
Ad Claudium quendam. 47.
Raphaelis Urbinatis Pictoris eximii tumulus. 48.
Ad Petrum Gerardum. 49.
Tibur. 50.
Idem. 51.
Dedicatio hortorum Tiburtinorum. 52.
Idem. 53.
Bacchus fonti impoſitus. 54.
Idem ex adverſo reſpicens fontem Nympharum. 55.
In tabulam Tantali. 56.
In tabulam Iaſonis ec. 57.
Prologus in Phormionem Terentii. 58.
E Graeco Callimachi. 59.
Afficta Trabeae. 60.
In eandem fere ſententiam inque eiuſdem imitationem. 61. 62. 62. 64. 65. 66. 67. 68.

INDEX

Lib. II. Carminum.

Pſalmus XXVI. al. XXVII) 1.
Pſalmus L. al. II) 2.
Ad Sacram Chriſti Crucem. 3.
Ad eandem. 4.
Ad B. Virginem Templi ad nives ſeu maioris Romae. 5.
Eccleſia Gentium. 6.
Ad Nicolaum Viennenſem Epiſtola. 7.

Ad Ianum Antonium Baiſium. 8.
Ad Stephanum Iodellum. 9.
Ad F. Verum Gomenium elegia. 10.
Ad Iohannem Auratum. 11.
In diſceſſu Danielis Schlecheri. 12.
Ad Petrum Ronſardum. 14.
Ad Nicolaum Deniſotum. 15.
Ad Ianum Tilium Paraenetium. 16.

EPIGRAMMATA.

ANtonio Goveano 17.
Iulio Caeſari Scaligero. 18.
Gulielmo Mombaſio. 19.
In Ponticum. 20.
In Noallium. 21.
In Virgilium. 22.
Neque avaros neque prodigos probandos eſſe. 23.
In Romanum. 24.
In malos Principes. 25.
In Corellium. 26.
Stephano Aliſio Burdegalenſi. 27.
Mario Crucio. 28.
De virtute & gloria. 29.
Sub exortum diei. 30.
De voluptate & ratione. 31.
In Paulum. 32.
Petro quinto. 33.
Claudio Burgo. 34.
In D. Catharinam. 35.
Eadem de ſe ipſa loquitur. 36.
In Commentarios Iuris civilis Franciſci Connani. 37.
De morte M. Bruti. 38.

De

De morte Ciceronis. 39.
Calendis Ianuariis iocoſum. 40.
In Inſignia Lucae Sempronii. 41.
In Iulium Caeſarem Scaligerum. 42.
In eumdem 43.
In Carolum Caliantheum. 44.
In quemdam. 45.
Iohanni Caiſteando. 46.
In Pontilianum. 47.
De Lucii cuiuſdam memoria. 48.
In Paulum. 49.
De Pompili naſo. 50.
In Pauli naſum. 51.
Sanſoni Crucio. 52.
In Vitronem. 53.
In Pontilianum. 54.
De ſe ipſo. 55.
In importunos recitatores.

Ad Neaeram puellam elegia pag. 238.
Ad Fulviam puellam elegia pag. 239.
Iulius Caeſar Tragedia pag. 241.
Monodia in obitum Chriſtophori Thuani cum Antonii Conſtantini notis pag. 259.
Inſtitutio puerilis ad M. Antonium Muretum F. F. & in eam Antonii Conſtantini notae pag. 277.
Ad eumdem Marcum Antonium Fratris Filium ſententiae graecae cum interpretatione latina Innocentii Giſcaterii pag. 297.
Publii Syri Mimi aucti & correcti ec. pag. 216.

MAR-

MARCI ANTONII MURETI

VARIARUM LECTIONUM

LIBER DECIMUSSEXTUS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

T. Livii locus e philoſophia depromptus.

CAP. I.

PHiloſophicam ſententiam fecit Livius, libro quinto Annalium, ab App. Claudio dici, in ea oratione quam ad populum, adverſus Tribunos habuit. Haec enim ipſius verba ſunt: *Labor voluptaſque diſſimilima natura, ſocietate quadam naturali inter ſe iuncta ſunt.* Conſtat autem id multo ante apud Platonem dictum eſſe a Socrate, qui cum paulo poſt moriturus, vinculis, ex more ſolutus eſſet: *Quam mirabile*, inquit, *videtur id, quod ſuave homines vocant: & mirabiliter affectum natura erga id, quod ei adverſari videtur, moleſtum: cum ambo quidem in homine ſimul eſſe nolint: alterum autem eorum ſi quis perſequatur ac capiat, alterum quoque fere capere cogatur: tamquam ex eodem utraque capite apta, ac colligata ſint*. Neque tamen omnino verum eſt, voluptatem, & moleſtiam

ſimul in eodem eſſe non poſſe,multae enim ſunt voluptates, quibus aliquid moleſtiae admiſtum eſt: ut ea ipſa quam tum ſentiebat Socrates: & pleraque eorum, quae ad corpus pertinent: quae propterea purae ac liquidae eſſe non poſſunt; ut ſapientiſſime diſputatur ab Ariſtotele libro decimo Ethicorum. Et ut in tepido, remiſſi caloris, ac frigoris quidam quaſi cinnus eſt: ita multae ſunt voluptatis ac doloris permiſtiones, ut cum alibi, tum in amatoria levitate. Propterea enim Muſeus Grammaticus ſtimulum amoris vocavit γλυκύπικρον Et Catullus a Venere *dulcem amariciem curis inſeri* ait. Neque vero aut detracta moleſtia, neceſſario in locum illius ſubit voluptas, aut detractam voluptatem ſtatim conſequitur dolor. Media enim inter utrumque indolentia eſt: etſi eam Epicurus non voluptatem modo, ſed ſummam voluptatem eſſe dicebat. Multum tamen inter voluptatem, & doloris vacuitatem intereſſe, & Cicero multis locis docet, & multis ante eum ſaeculis in Phileto docuerat Plato,

Animalia in igne degentia. Plinius corrigitur.

CAP. II.

CUm varia animalium genera coelo, terra, marique, ut poetae loqui ſolent, naſcantur, ſolus ignis nullum ex ſe animal procreare dicitur: ideoque veteres cum Veſtae nomine ignem intelligerent, & ipſam virginem fecerunt, & ei virgines conſecrarunt. Ovidius.

Nec tu aliud Veſtam quam puram intellige flammam
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Ariſtoteles tamen libro quincto de hiſtoria animalium, in Cypro, ubi lapis chalcites excoquitur, in medio igne beſtiolas quaſdam alatas naſci ait,quae per ignem ſaliant, atque ambulent, morianturque ſimul atque ab igne

igne abſceſſerint. Ad eas reſpexit Seneca libro quinto naturalium Quaeſtionum, ita ſcribens. *Ignis qui omnia conſumit, quaedam etiam creat: &, quod videri non poteſt ſimile veri, ſed tamen verum eſt, animalia igne generantur.* Plinius autem libro undecimo, Ariſtotelis verba prope ipſa interpretatus eſt, hoc modo, *GIGNIT aliqua & contrarium naturae alimentum. Siquidem in Cypri aerariis fornacibus ex medio igni maiores muſcae magnitudinis volat pennatum quadrupes: appellatur pyrales, a quibus pyrauſta. Quamdiu eſt in igne, vivit cum evaſit longiore paulo volatu, emoritur.* Plinii verba leviter depravata eſſe conſtat: legendumque aut, *maioris muſcae magnitudinis*, aut *maioris muſcae magnitudine* Ariſtoteles enim ait:

Θηρία τῶν μεγάλων μυιῶν μικρόν τι μείζονα.

Terentii Adelphi locis aliquot caſtigantur.

CAP. III.

REpueraſcere me cogit amor in meos. Itaque qui iampridem & Comoedias, & cetera ludicra poſueram, ut graviora, & huic aetati convenientiora curarem, nunc, ut conſulam ſtudiis M. Antonii, qui natura fratris mei filius eſt, caritate, & benevolentia meus, Terentium, amores olim ac delicias meas ſumo interdum in manus, eiuſque fabulas, cum optimae ſpei puerulo, magna cum animi mei voluptate percurro. Reperio autem ad oras librorum meorum notata nonnulla, quae fortaſſis non ingrata fuerint illius poetae amatoribus. Quaedam igitur, ut fors feret, ex illis in hos libros referam, ſi cui forte, aut uſui, aut oblectamento eſſe poſſint. Ac alia quidem alias: nunc ex Adelphis haec pauca, quae ad manum ſunt. Demea cum audiſſet ex Hegione de Pamphila gravida, conturbatus, neque habens quid aliud reſponderet:

fratrem, inquit, conveniam Hegio.

Iſ quod mihi de hac re dederit conſilium ,
id ſequar .

Sed quomodo ait ſecuturum ſe id conſilium , quod ſuper ea re frater dederit ? An neſciebat quicquid libidinoſe & intemperanter faceret Aeſchinus , de Mitionis, ſi non conſilio, at certe permiſſu illius ac voluntate fieri ? Deinde diceret potius , ſe auctorem ac ſuaſorem fratri fore , quid ipſum e re nata facere oporteret: non ſecuturum , quod ille ſuaſiſſet. Neque enim Demeae , ſed Mitioni de illo negotio ſtatuendi poteſtas erat. Neque is qui negotii alicuius praecipuus eſt arbiter, ſolet aliis conſilium dare, quod ſequantur : ſed ipſe potius aliorum ſententias exquirere , & quod optimum factu viſum fuerit , ſequi . Quae cum ita ſint , non dubito , quin totus ille verſus, Is quod mihi , ex hoc loco expungendus ſit : ut tota reſponſio Demeae contineatur his tribus verbis ,

——fratrem conveniam Hegio .

Ut ſententia ſit. Ergo tibi hic aliud nihil praeſtare poſſum Hegio , niſi ut cum fratre colloquar . Scis enim Aeſchinum non in mea poteſtate eſſe, ſed in illius . Hoc & Donatus confirmat : cuius haec verba ſunt : *Vultuoſe pronuntiandum hoc quod addidit, HEGIO quaſi dicat , In manu fratris eſt conſtitutum, non mea.* Tralatus autem huc eſt verſus ille ex Phormione, ubi ita loquitur Demipho :

——frater eſt exſpectandus mihi .
Is , quod mihi de hac re dedit conſilium ,
id ſequar .

Ita enim plane illic quoque legendum videtur. In illo autem , quod paulo poſt ſequitur, Colloquio Cteſiphonis , & Syri , ubi legitur :

Nunc eum maxume operis aliquid facere credo.

Prorſus legendum eſt , *NUNC CUM MAXUME* , quo modo & Plautus , & Cicero , & Seneca , & Tacitus & alii

alii optimae notae ſcriptores ſaepe locuti ſunt. Quod autem, cum adoleſcens patri, qui voluptates ſuas ab eo impediri nollet, triduanam perpetuam laſſitudinem precatus eſſet, ſubiicit Syrus,

Ita fiat, & iſtoc ſi quid potis eſt rectius:

Tum Cteſipho.

Ita. nam hunc diem

Miſere nimis perpetuum, ut coepi, cupio in laetitia degere.

Videri in eo poterat poeta non ſatis diligens ſervandi decoris fuiſſe, qui improbo ſervo, non laſſitudinem, ſed mortem Demeae precanti, ingenuum adoleſcentem aſſentientem feciſſet. Sed totum huius loci artificium ſubtiliſſime aperuit elegantiſſimus Grammaticorum Donatus: qui verba haec duobus modis accipi poſſe oſtendit: quorum utrovis poſito, id quod alioqui poetae obiici poterat, diluatur. Aut enim negabimus mortem a Syro intelligi: neque illum quidquam aliud precari dicemus, niſi ut ad illum triduum aliquid praeterea addatur, ſitque aliquanto longior laſſitudo: aut, ſi mortem ſignificare voluit, quod mihi quidem in ſervo, & in tali ſervo, veriſimilius videtur, dicemus eum, cum illa diceret, ET ISTOC, SI QUID POTIS EST RECTIUS, avertiſſe ſe a Cteſiphone, ita ut ab eo non audiretur. Prior illa expoſitio ſi cui magis probabitur, ISTOC, non ſextus caſus erit, ſed adverbium antiquum, pro, ISTUC. Et haec quidem ex Donato hauſta ſunt: ſed intelligi ex eo non queunt, niſi verba ipſius prius emendata fuerint. Legenda igitur ſunt ad hunc modum.

ET ISTOC SI QUID POTIS EST LECTIUS. Deeſt, *addi*, nam ſi mortem ſignificaret, non conveniret, adoleſcentem, ITA, dicere. Videtur ergo plus temporis optaſſe languori. Vel ET ISTOC SI QUID POTIS EST RECTIUS] ut moriatur ſcilicet. Et

 hoc

hoc averſus ſervus debet dicere : ne indecorum adoleſcentis perſonae ſit, ITA , dixiſſe , quamvis eiuſmodi adoleſcentes inducant Comici . Ut Naevius in Tribaſilo .

Deos quaeſo , ut adimant & patrem & matrem meos .

Haud magni pretii haec eſſe , dicat aliquis ? licet , ego ea nunquam pro pretioſis vendicabo : ut ne illud quidem , quod illius verſiculi , qui non ita multo poſt legitur ,

Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis .

Tanta eſt ſimilitudo cum illo Euripidis ex Cyclope,

Ὃν ἐξέθρεψα παῖδ' ἐγώ ποτ' ἀγκάλαις .

Ut ſi illa Euripidis Satyra periiſſet: & hic unus verſus non expreſſo auctoris nomine , citatus ab aliquo vetere Grammatico reperiretur , facile ſuſpicaturus fuerit aliquis , eam eſſe ex Adelphis Menandri . Tale enim quiddam in aliis eveniſſe ſcimus .

Hippolyti Card. Eſtenſis prudens de ſeveritate ſermo.

CAP. IV.

SAepe mihi obverſatur ante oculos Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis ; ſaepe de illo vigilans , ſaepe etiam dormiens cogito : & magna cauſſa eſt, cur id facere debeam . Primus ille fortunarum mearum , quantulae illae tandem cumque ſunt,auctor atque incoeptor fuit . Quindecim annos, & eo amplius cum eo familiariſſime vixi : cum optimus & humaniſſimus Princeps, ſua mecum graviſſimis de rebus conſilia ſaepenumero communicaret ; nonnumquam etiam eodem plane modo quo magiſter diſcipulorum ingenia interrogando experiri ſolent , meam ſuper eis ſententiam exquireret : a ſe interdum diſſentientem aequiſſimo animo ferret : erran-

errantem amantiſſime redargueret, multarumque rerum ad vitam pertinentium, pro ſingulari prudentia, qua praeditus erat, admoneret. Praecipue autem cum Tibur ſeceſſeramus, ubi ille quotannis aeſtivos menſes tranſigere ſolebat, nullus fere abibat dies, quin, per ſtudiorum ſpeciem, aliis omnibus excluſis, horas aliquot una iucundiſſimis ſermonibus conſumeremus. Utinamque eorum, quae quotidie ab illo audiebam, commentarios & confeciſſem diligentius, & ſtudioſius conſervaſſem. Sed hominum incogitantium more, qui, quorum in praeſens copia eſt, ea ſibi perpetuo parata fore confidunt, & e plurimis pauciſſima ſeligebam, quae memoriae cauſſa, conſignarem literis, & eas ipſas ſcidas in quas illa conieceram, poſtea ita negligenter habui, ut earum bona, magnaque pars perierit. Incido autem nonnumquam in earum nonnullas, quae me acriore reliquarum deſiderio incendunt. Ut haec eſt, quae nunc aliud agenti venit in manus. Habitus erat in prandio ſermo de ſummo quodam, & potentiſſimo Principe, qui cum in omnibus aetatis partibus admirabilem quandam integritatem, & innocentiam praeſtitiſſet, iam ſenex ad imperium evectus, peccata hominum ferre non poterat; eaque durioribus, ac ſeverioribus legibus, quam inveterata ſaeculi licentia poſtulare videretur, coercebat. Multi ac varii ſermones fuerant, aliis, ut fit, rigidam illam & praefractam ſeveritatem commendantibus, neque aliter vitia reſecari poſſe dicentibus: quibuſdam modice culpantibus, cum dicerent ab illis repentinis mutationibus naturam quoque ipſam abhorrere, quae nos non ſtatim ab hyeme ad aeſtatem, aut ab aeſtate ad hyemem, ſed interiecto inter illas vere, autumnoque perduceret. Abſceſſus quoque & vomicas in corporibus noſtris a medicis, lenibus primo fomentis ac cataplaſmatis moliri ſolere, neque prius incidi, quam ſuppuraverint. Cardinalis eum & blande omnes ad di-

cendum invitaret, neque patienter modo, ſed & libenter audiret, dicebat, in iis reprehendi poſſe ſeveritatem, qui ad formulam ſuam non viverent, ſed alia facerent ipſi, alia publice facienda praeſcriberent: in eo non poſſe qui nullam aliis legem poneret, quam non ipſe ſibi multo ante poſuiſſet. His aliiſque in eandem ſententiam ſermonibus ſuper menſam habitis, Hippolytus dimiſſis ceteris, ex more, me in cubiculum ad ſe vocari iubet. Ibi cum alia multa ſapientiſſime dixit, quibus ne ſibi quidem illam tantam ſeveritatem prorſus probari oſtenderet, quam tamen certo ſciret ab optima mente proficiſci: Tum has, quas ſubiiciam ſententias, aſperſit orationi ſuae: quas ego, quod & graves & eleganter expreſſae viderentur, ut primum ab eo diſceſſi in libello, quem tum forte in ſinu geſtabam, annotavi: *Nihil prohibet, eſſe aliquem & optimum virum, & non optimum Principem. Optandus eſt medicus, qui aliquando aegrotarit. Non ſatis aptus eſt ad regendos homines, qui ab hominibus ea, quae ſunt ſupra hominem, exigit. Miſeros homines, ſi ſola innocentia tutos facit. Cogitet, qui imperat, quomodo ſibi olim alios imperare voluiſſet.* Deinde, quaſi eum ipſum de quo ſermo erat, alloqueretur. *Quod tu,* inquit, *alios praeſtare non poſſe miraris, id te alii praeſtare poſſe mirentur. Si quid tu quoque olim tale feciſti, ignoſce & aliis, ut ignotum eſt tibi: ſin nihil: cogita, non tandem a Deo datam eſſe omnibus animi firmitatem. Qui ad minora peccata interdum connivere non vult, ſaepe ad maiora homines cogit. Aliud ultio eſt, aliud correctio. Qui ulciſci vult, iratus eſt, qui corrigere, amicus. Ille eum qui peccavit, non amplius eſſe vult: hic eſſe quidem, ſed non amplius talem eſſe. Non ſunt ferenda vitia, ſed qui nullum vitium fert, nullum hominem feret.* Haec optimus, & longo rerum uſu exercitatiſſimus ſenex: quae tanquam oracula quaedam fuiſſe eventus ipſe poſtea docuit.

Unus

Unus pro millibus, a Democrito primum dictum videri.

CAP. V.

NOn numerandas, ſed ponderandas eſſe ſententias, ſaepe a ſapientibus dictum eſt: pluriſque faciendum eſſe unius gravis, & cordati viri iudicium, quam imperitam multitudinem, cui probari ac placere, olim a peritis Muſicis argumentum habitum eſt κακοτεχνίας. Ex quo proditum etiam eſt literis, Periclem ſi quando plaudentem ſibi coronam videret, metuere ſolitum, ne quid peccaſſet, neu quid plus minuſve dixiſſet, quam oportebat. Et laudatur Antimachus, qui cum grande illud ſuum poema recitans, ab omnibus, praeterquam a Platone relictus eſſet: *Legam*, inquit, *nihilominus. Plato enim mihi unus inſtar eſt multorum millium.* Neque non illud Epicuri generoſum ac magnificum eſt: qui ad Metrodorum ſcribens, & parvi tum ſibi, tum illi, facienda eſſe vulgi iudicia, differens: *Satis magnum*, inquit, *qui mihi unus eſt pro centum millibus.* Et alibi de Peduceo, *Tu vero*, inquit, *leges Sexto*: *eiuſque iudicium mihi perſcribes*:

εἷς ἐμοὶ μύριοι.

Cum autem Graeca illa verba alicuius veterum eſſe conſtet neque quiſquam adhuc, quod ſciam, cuius ſint, prodiderit: non alienum putavi teſtari, quid de illis opiner. Suſpicor igitur Democriti eſſe: cuius hoc dictum refertur a Seneca: *Unus mihi pro populo eſt*: *& populus pro uno*.

Servi ad pedes cenantibus ſtabant. Magdalenam pedes Domini ſtando unxiſſe.

CAP. VI.

DIſcumbentibus olim cenandi cauſſa ſervi retro ad pedes ſtare conſueverant, qui Dominorum iuſſa ex-

exciperent. Quod vel ob eam cauſſam obſervatione dignum putavi, ut magis intelligeretur quod in ſacroſancto Evangelio ſcriptum eſt, Magdalenam, cum in domo Phariſaei cenanti communi omnium domino, ingreſſa eſſet, retro ad pedes ipſius ſtetiſſe. Neque enim adveniens, ulla ratione maiorem animi ſummiſſionem ſignificare poterat, quam cum eum ſibi nobiliſſima mulier locum delegit, qui ſervis proprie erat attributus, *Stans retro*, ait S. Lucas, *ad pedes eius, lacrimis coepit rigare pedes eius*. Seneca libro tertio de Beneficiis: *Ut primum diluxit, ſervus, qui cenanti ad pedes ſteterat, narrat, quae inter coenam ebrius dixiſſet*. Martialis:

Omnia cum retro pueris obſonia tradas
Cur non menſa tibi ponitur a pedibus?

Aridaeus & Apollodorus tyranni. Seneca emendatus.

CAP. VII.

QUaeſiit ex me per epiſtolam homo eruditus, qui, me auctore, Senecam ſtudioſe legere coeperat, cum ab eo prius, more multorum, abhorruiſſet, qui fuiſſet rex Arrhideus, & Apollodorus, qui ab eo inter feros, & crudeles nominarentur. Reſpondi de Arrhideo quidem ut dubitaret, factum eſſe culpa librariorum, qui *Arrhideum* pro *Aridaeo* ſcripſiſſent. Fuiſſe autem Aridaeum Alexandri Magni fratrem, ex ignobili muliere ortum: cuius meminiſſet & Plutarchus ad finem Alexandri. Sed & in commentario: *Num ſeniori gerenda ſit reſpublica* ita legi: Καὶ γὰρ, καὶ Ἀριδαῖος ἦν νέος, γέρων δὲ Ἀντίγονος, ἀλλ' ὁ μὲν ἅπασαν ὀλίγον δεῖν κατεκτήσατο τὴν Ἀσίαν, ὁ δὲ ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς δορυφόρημα, κωφὸν ἦν ὄνομα βασιλείας, καὶ πρόσωπον ὑπὸ τῶν ἀεὶ κρατούντων παροινούμενον. Philinnam Saltatriculam Aridaei matrem fuiſſe legimus apud Athe-

thenaeum libro tertiodecimo. Apollodori autem tyranni mentionem eſſe, & apud eundem Plutarchum libro, quo diſputat, *Philoſopho cum iis, qui rerum potiuntur, vel maxime ſermonem conferendum eſſe*, & apud Suidam in voce Ἱερώνυμος. Haec, quanquam recondita non ſunt, quod illi tamen ſcrupulum iniecerant, putavi, evenire poſſe, ut aliis quoque moleſta eſſent.

Tria Livii loca numerorum notis depravata.

CAP. VIII.

DEpravata multa in optimis quibuſque ſcriptoribus, cum librarii eas literas quibus numerus indicabatur coniungerent, atque ex eis vocem aliquam conficerent, ſaepe iudicavi. Nunc proponam quoſdam e Livii annalibus locos, in quibus eius generis maculam tamdiu haeſiſſe mirum eſt. Eorum unus ex libro 23. ubi agitur de auxiliis, quae Carthaginenſes miſerunt ad Hannibalem; cum, male pugnato a Romanis ad Cannas, ſpes eſſet, bellum brevi tempore perpetratum iri. *Itaque*, inquit Livius *ſit Senatuſconſultum, ut Hannibali XL. Numidarum millia in ſupplementum mitterentur, & XL elephanti, & argenti multa talenta*. Sed quis non miretur, cum & militum, & elephantorum numerus ſenatuſconſulto definitus ac certo comprehenſus fuerit, de pecunia ita ἀορίστως decretum eſſe? Non immorabor in re perſpicua longius. Fuit haec paulo ſupra noſtram aetatem ab hominibus ineruditis inevecta ſcribendi ratio, ut cum quingenta ſignificare vellent, ita ſcriberent Vcta. Erat igitur ſcriptum in vetere Liviano libro M. Vcta. id eſt, *mille quingenta*. Quod qui non intellexerunt inepte ſcripſerunt MULTA. Contrario vitio laborat hic locus e libro 26. Eodem tempore ſeptem *tabernae, quae poſtea quinque, & argentaria quae nunc novae appellantur arſere*. Numeri notam putarunt eſſe,

quae

quae non erat. Habebat enim antiquus liber SEPTEM TABERNAE QUAE POSTEA VET. ET ARGENTARIAE, QUAE NUNC NOVAE APPELLANTUR. Nam, ut novae ita veteres tabernae in foro erant. Unde locorum nomina, *ſub veteribus*, & *ſub novis*. At illi, deletis duabus literis, quas fruſtra geminatas putarent, illud V notam eſſe quinarii numeri iudicarunt. Addam & tertium, qui tamen quoto ex libro ſit, nunc quidem recordari non queo. Sed alicubi exſtare tam certo ſcio quam me vivere. Expoſito praelio quodam, Livius, ut plerumque ſolet, ſubiiciens numerum eorum, qui utrinque ceciderant, ita ſcribit, ut vulgo quidem legitur: E ROMANIS CECIDERE VICTORES. In veteribus erat VICTI. Sed qui Romanos ex eo proelio viderent ſuperiores diſceſſiſſe, ex *victis* fecere *victores*. Erat autem ſcribendum VIcti, id eſt, ſexcenti. Sexcenta adhuc huius generis in ſcriptis veterum latent: quae aut a me aliquando, aut ab aliis detegentur.

Si forte. Ciceronis in Miloniana locus interpunctione ſanatus.

CAP. IX.

Apud Ciceronem in Miloniana ita legitur. *Hiccine vir patria natus, uſquam, niſi in patria morietur, aut ſi forte pro patria, huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum ſepulcrum eſſe patiemini?* Sed vitioſa interpunctio vim omnem illius enervat, pulcritudinem delet, ſententiam obſcurat. Atque equidem putabam id ita perſpicuum eſſe, ut ſupervacaneum eſſet monere. Sed cum videam id mendum haerere etiam in iis libris, qui iure an iniuria, videbimus, ſed certe vulgo ceteris emendatiores putantur, praetereaque animadverteram hominibus ceteroqui non inerudi-

tis

tis in explicanda eius ſententia oculos caecutire, potius huius opellae iacturam faciam, quam eos diutius errare patiar. Eſt igitur ita legendum. *Hiccine vir patriae natus, uſquam, niſi in patria morietur, aut, ſi forte, pro patria?* Atque hic ſubſiſtendum: ut quod ſequitur, ſit novae periodi principium. Hoc enim ſignificat, indignum eſſe, talem virum uſquam niſi in patria mori, niſi forte caſus aliquis ita tulerit, ut in aliquo externo bello, mortem, pro patria dimicans, oppetat. Eſt genus loquendi Graecum, *ſi forte*, εἰ τύχοι. Sic libro primo Epiſtolarum ad Q. fratrem. *Intelliges, nihil eſſe a me, niſi orationis acerbitatem, & iracundiam, & ſi forte, raro literarum miſſarum indiligentiam reprehenſam*. Et libro tertio de oratore: *Ex quo vereor, ne nihil ſim tui, niſi ſupploſionem pedis imitatus, & aliquem, ſi forte, motum* Sed & Ovidius in primo metamorphoſeon:

Figitur in viridi, ſi fors tulit, anchora prato.

εἰ ἔτως ἔτυχε; cuius ignoratione vulgo fecerunt, *ſic fors tulit*.

Suetonii de claris Rhetoribus libellus emendatur.

CAP. X.

IN his libris conſcribendis imitari mihi videor eorum conſuetudinem, qui teſſeris ludunt. Ut enim illi quod temere iecerunt, eo utuntur: ſic ego pomeridianis horis, dum ſe calor frangat, in bibliothecam meam ingreſſus, qui primus liber in manus venit, eum arripio, & ſi quid olim a me in eo notatum ſit, inſpiciens, unum aut alterum horum capitum concinno. Nunc igitur, cum ſeſe obtulerit libellus ſane elegans Suetonii, *de claris Rhetoribus*, tentabo, num ex iis, quae pridem in eo notavi, paſſim quaſi corollam aliquam texere. *Rhetorica quoque*, inquit, *apud nos, perinde atque Grammatica fere recepta eſt*. Ego pro, FERE, non dubito quin

quin legendum ſit, SERO. Sequitur paulo poſt, *Quod ne cui dubium ſit, vetus item Cenſorium edictum ſubiiciam.* Lego *vetus S. C. & Cenſorium edictum ſubiiciam* Addo & praenomen prioris conſulis, ut ſit, C. FANNIO. STRABONE. M. VALERIO. MESSALLA. COS. Ac paulo poſt, UTI. EI. non, ut vulgo editum eſt, UT. SI. EI. Notum autem eſt & Senaticonſultum hoc, & Edictum totidem verbis apud Agellium exſtare. Quod autem aliquanto poſt legitur: *DUM utilia, & neceſſaria, dum pernicioſa & ſupervacanea oſtendere*: ſi locus vitio vacat, illud DUM geminatum, valet, ὁτὲ μὲν; ὁτὲ δὲ. Ad ipſum autem prooemii finem, cum ita legatur: *PETITUR puer, quod dominum voluntate fuerit liber, in libertate*: legendum eſt in libertatem. Hoc enim dicit, eum puerum peti *in libertatem*, id eſt, liberali cauſſa manu aſſeri, quod domini portitores fraudare cupientis, voluntate liber habitus ſit: Ubi autem de L. Plotio Gallo diſſerens ita ſcribit: *HUNC eundem (nam diutiſſime vixit) M. Coelius in oratione, quam pro ſe de vi habuit, ſignificabat* (malim legere *ſignificat*) *dictaſſe a Cratino accuſatori ſuo actionem*. Ibi ergo pro A CRATINO, legendum eſſe ATRATINO conſtat ex oratione Ciceronis pro Coelio. Neque negligendum eſt, quod ait *L. Otacilium cum eſſet oſtiarius, vetere more, in catena fuiſſe*. Eius enim moris mentio &. apud alios, & apud Ovidium in illo verſu,

Ianitor indigna dura religate catena.

Quem autem Epidium Nuncionum vocat, *Nurſinum* fortaſſis vocare melius fuerit. Et, ut haec leviora ſint, hoc certe quod ſubiiciam, conciliare aliquam huic capiti gratiam, vel apud faſtidioſos aeſtimatores poteſt. SEX inquit, *Clodius e Sicilia Latinae ſimul Graecaeque eloquentiae profeſſor, male oculatus, & dicax par oculorum. In amicitia M. Antonii Triumviri extitiſſe ſe aiebat.* Ita vulgo legitur. Sed aquam quis citius e pumice. quam

ullam

ullam ex his verbis idoneam ſententiam expreſſerit. Emendatus igitur ad hunc modum SEX, *Clodius e Sicilia Latinae ſimul Graecaeque eloquentiae profeſſor, male oculatus & dicax: pari oculorum amicitiam M. Antonii Triumviri ſtetiſſe ſibi dicebat*. Cum enim M. Antonius & plurimum biberet ipſe, & eos, qui idem facerent, amaret, ut ex hiſtoria notiſſimum eſt; Clodius, qui, ut M. Antonio obſequeretur, dies noctesque cum eo perpotabat, oculis ſibi conſtitiſſe illius amicitiam dictitabat, eos enim potando corruperat. Itaque in compotorum illius numero a Cicerone cenſetur. *Compotorum* enim legendum eſt, non, *Competitorum* & alia quoque in verbis Ciceronis, quae hic referuntur, ex Cicerone ipſo emendanda. Hic aliquis ex iſtis novis Aſtydamantibus ἀϛοχίαν tuam admiraretur, & Muſarum fidem & imploraret, & ſibi inauratam ſtatuam ipſe decerneret. Sed ego iſtam novam eloquentiam nondum didici: & ſenex ſum. Satius fuerit, his nugis omiſſis, alias nugas (quid enim aliud haec noſtra ſunt?) huc congerere, & quandam in ultimam eiuſdem libelli partem notare. In iis igitur, quae de C. Albutio narrantur, ita legenda ſunt haec, RECEPTUSQ. *in Planci oratoris contubernium, cui declamaturo mos erat prius aliquem, qui ante diceret, excitare, ſuſcepit eas partes, atque ita implevit, ut Planco ſilentium imponeret, non audenti in comparationem ſe dimittere*. Et mox ubi legitur SOLITUS, *propoſita controverſia ſedens in opere*, legendum, INCIPERE. Ac ſtatim pro, DECLAMARE AUT GEMERE VARIO, lego *declamare autem genere vario*. Et paulo poſt, ubi vulgo, TANDUMMODO, *trivialibus verbis*, legendum, *tantum non*, μονονουχί. Mox, DUM *ampliſſimam quamque ſectatur*, non, ut vulgo, *quanquam*. Tum pauculis verſibus interiectis, ET RURSUS *cum in cognitione caedis Mediolani a L. P. P. d. v. c. c. l. n. l. v. ita excanduit, ut deplorato Italiae ſtatu:* & quae

ſequun-

ſequuntur. De illa autem M. Bruti ſtatua, quae Mediolani viſeretur, iucundum cognitu quiddam eſt apud Plutarchum in Bruto, in extremo. Tantulus libellus unam prope mihi horam abſtulit.

Notati in tranſcurſu errores aliquot cuiuſdam, qui libellum illum Suetonii Commentario explanavit.

CAP. XI.

CUm ſuperiora ſcripſiſſem, venit ad me amoeniſſimi homo ingenii Alexander Riparius, qui, cum ea, pro noſtra arctiſſima familiaritate, legiſſet: Vereor, inquit, ne tota tibi haec opella perierit. Levis inquam, fuerit iactura. Sed cur id, quaeſo, vereris? An tu, inquit, neſcis a vetere illo amico tuo, & hunc libellum, & alium argumenti quidem conſimilis, eiuſdem autem auctoris iampridem emendatos prodiſſe? Quem tu, inquam, amicum mihi veterem nominas? quaeſo te, etiam ne is in hunc librum aliquid ſcripſit? Imo vero, inquit, domi, ut puto, commentarium ipſius habeo, quanquam fortaſſis aliqua iam parte lacerum. Mitte, quaeſo, qui afferat. Ille puerum confeſtim ire ac redire iuſſit. It, redit, affert tres aut quatuor conſciſſas chartas. Itaque mittendum ad librarios fuit. Apud quos vix tandem repertum commentarium, quanquam non valde meuebam ne quidquam eorum, quae a me notata erant, occupaſſet, excutere tamen libuit. Eorum pauca quaedam notare placuit: neque enim vacavit omnia, in quibus ab illo diſſentio. Primum igitur illa C. FANNIO. STRABONE. M. VALERIO. MESSALLA. COS. notat eſſe initium edicti: neque videt eſſe principium Senatuſconſulti, & ambigit, ſcribendum ne ſit CONS. an potius CENS. cum tamen cenſorum nominibus nunquam tempora notari ſoleant: hos autem

Conſu-

Conſules, non *Cenſores* fuiſſe etiam pueri ſciant. Addit, multa edicta & Senatuſconſulta apud Ciceronem, & apud Agellium, & apud Frontinum legi, quaſi dubium ſit, aut non apud alios quoque aeque multa legantur: neque tamen videt illud ipſum S. C. & illud ipſum Edictum, de quibus hic agitur, apud Agellium exſtare. Sequitur. UTI. ROMAE. NE. ESSENT. *Ne*, pro, *non*, inquit, antiquo more. Imo vero, qui dicat, UTI ROMAE NON ESSENT, non Latine loquetur. DE IISDEM. in V. imp. *de iiſdem.* in veteribus monumentis ſemper *iſdem*. Haec levia ſunt. AD QUOS IUVENTUS. Magis, opinor, e veterum conſuetudine in V. impreſſo, IUVENTUS AD QUOS. Hic recta depravat. EOS SIBI NOMEN IMPOSUIS. SE LATINOS RHETORAS In V. imp. EOS *ſibi nomen impoſuiſſe Latine ſcilicet Rhetoras*. Lego ego, *haud Latine ſcilicet Rhetoras*, vel potius, *haud Latine*, tantum. Ne in edicto verbum *rhetoras* fuiſſe intelligamus. Mirabar, ſi tibi quidquam potius videretur, quod non omnium deterrimum eſſet. Neque vero ignotum eſt, veteres ſedulo caviſſe, ne peregrinas voces Edictis, aut Senatuſconſultis admiſcerent: quod tamen non ita ſuperſtitioſe vitabant, ut piaculum ducerent, ſi quid ſecus factum eſſet: ſed hoc loco id ipſum ad invidiam in illos dicendi magiſtros conflandam pertinebat, quod ſibi Graecum vocabulum imponerent, cum ante id tempus nunquam Rhetorum Latinorum nomen auditum eſſet, totumque illud artificium Senatui diſpliceret Mitto multa, neque enim tanti eſt. Hoc tamen omittere non poſſum. Suetonii verba ſunt: *NAM ET dicta praeclare per omnes figuras, per caſus, & apologos aliter, atque aliter exponere, & narrationes tum breviter & preſſe, tum latius & uberius explicare conſueverant*. Ubi *dicta praeclare* vocat, quae Graeco vocabulo dicuntur *Chriæ*, de quibus Quintilianus libr. I. Aphthonius in Progymnaſ-

matis, & alii. Ad eas per caſus variandas aſſueſcebant pueri in ſcholis, hoc modo: *Socrates dicebat. Socratis dictum eſt. Socrati placuit. Socratem dixiſſe aiunt. O Socrates praeclare a te dictum eſt. A Socrate dici ſolitum accepimus.* Et hoc aperte conſtat cum ex aliis, tum ex Diomede, libro primo. Ad haec, quae vel pueris nota eſſe oportebat, mox ita ſcripſit: *PER CASUS. eventus. Ut quid quoque caſu dicendum. Vel caſus intelligit, de quo Quintilianus in V. Caſus autem, inquit, qui & ipſe praeſtat argumentis locum, ſine dubio eſt ex inſequentibus.* Sed quid ego plura perſequar?

Plinii minoris Epiſtola contra interpretis eruditi ſententiam explicata.

CAP. XII.

UT epiſtolas Plinius accuratiſſime ſcripſit, ita interpretem nactus eſt accuratiſſimum, Io. Mariam Cataneum, hominem, patrum noſtrorum memoria, exquiſitae doctrinae, diligentiae ſingularis. Qui tamen interdum, ut homines omnes ſumus, offendit. Sed bene agitur cum iis, quorum errata, in opere praeſertim longo, numerari queunt. Atque ita mihi omnia quae opto, eveniant, ut ego, cum magnorum, ac praeſtantium virorum errata quaedam detego, nihil minus propoſitum habeo; quam ut quidquam de illorum exiſtimatione, ac gloria deteram, quibus me nullo modo parem eſſe, ſentio, & profiteor: ſed quo maior eſt eorum auctoritas, eo maius periculum eſt, ne alios ſecum in eundem errorem trahant: quae mihi una cauſſa eſt ea interdum, in quibus ipſi ἀνθρώπινόν τι ἔπαθον, indicandi. Plinius igitur libro quarto ad Paternum ſcribens, & ad eum ſuos quaſdam hendecaſyllabos mittens de quibus iudicium ipſius cognoſcere cupiebat, ita epiſtolam claudit. *A SIMPLICITATE tua peto; ut*

quod

quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas. Neque eſt difficile, quod poſtulo. Nam ſi hoc opuſculum noſtrum aut potiſſimum eſſet, aut ſolum: fortaſſe poſſet durum videri dicere, Quaere quod agas. Molle & humanum eſt, Habes quod agas. Quae ita declarantur a Cataneo. *QUAERE QUOD AGAS. iocando monet, quid iudicandum ſit. MOLLE ET HUMANUM. reſpexit ad genus carminis, quod laſcivum, & urbanum eſt. QUOD AGAS. quomodo iudices.* Equidem ſuſpicor hominem eruditum, ſtudendo defeſſum, dormitaſſe cum hoc ſcriberet, ita longe praeter conſuetudinem ſuam, a ſententia Plinii aberravit. Videtur autem errorem illi obieciſſe, quod librarii OPUSCULUM ſcripſerant, cum OPUS tantum ſcribendum foret: ut magis intelligamus, nullum eſſe tam puſillum mendum, quod non e bonis ſcriptoribus tolli expediat. Hoc enim dicit Plinius, nihil eſſe cauſſae, cur vereatur Paternus libere aperire ſententiam ſuam; etiam ſi forte hendecaſyllabos illos non ſatis probet: NAM SI HOC, inquit, OPUS NOSTRUM AUT POTISSIMUM ESSET AUT SOLUM, id eſt, ſi poetae praecipue nomine cenſeri vellem, eiuſque facultatis mea praecipua profeſſio eſſet, aut etiam ſola, ita ut nuſquam alio animum, quam ad faciendos verſus, applicarem; FORTASSE POSSET DURUM VIDERI DICERE QVAERE QVOD AGAS: quaere aliud ſtudium, in quo te exerceas, nam ad hoc, quod delegiſti, parum aptus es. MOLLE ET HUMANUM EST, cum aliud ſtudium mihi praecipuum habeam, nempe ſtudium eloquentiae: HABES QVOD AGAS; poeticam laudem aliis relinque, & urge id ſtudium cui te dediſti: *Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει.*

Plauti Curculio locis aliquot caſtigatur.

CAP. XIII.

QVod oculorum uſus natura nobis cariſſimus eſt, ex eo duxit Plautus occaſionem fingendi novi vocabuli, ut *oculiſſimum oſtium* diceret, quod cariſſimum ſignificare vellet. Sed hoc ei non placuit, qui Plautum Commentario onuſtum emiſit, pluribus locis emendatum, non facile dixerim. Is cum recte legeretur in Curculione,

Huic proximum illud oſtium eſt oculiſſimum.

nactus libros a quibus verbum EST aberat, & veterum librorum, & Sex. Pompeii auctoritate contemta, addidit unam literam, fecitque OCULEISSIMUM: idque & rationem Latini ſermonis, & legem carminis poſtulare dixit. Inepte utrumque. Non enim a nomine OCULEUS, quod Plauti quidem eſt, ſed nihil huc pertinet; ſed a nomine OCULUS, factum eſt OCULISSIMUS; ut ſi oculus carus eſt, quod cariſſimum eſt, oculiſſimum vocetur. De lege autem carminis, non eſt mihi valde laborandum, ut eum in illa parum exercitatum fuiſſe demonſtrem. Sed & proximum verbum ita corrupit.

Salve, valuiſtin' oſtium oculiſſimum.

cum legendum ſit ex vetere libro, qui penes me eſt,

Salve, valuſtin' uſque oſtium oculiſſimum.

Et certe erat haec conſuetudo interrogandi eos, quos ex intervallo videbant, non ut ita ſimpliciter dicerent Valuiſti ne? Sed hoc modo, *Valuiſtin' uſque?* aut *Perpetuo ne valuiſti?* Sic in Epidico.

Quid agis? perpetuon' valuiſti?

& in Bacchidibus ſenex ita de filio interrogat.

Bene ne uſque valuit?

& in Moſtellaria.

Here-

Here ſalve, ſalvum te advenire gaudeo.
Uſque ne valuiſti?

Non abutar otio in ſimilibus colligendis. Sequitur apud Plautum.

Caruit ne febris here te, vel nudius tertius?
Et here cenaſtine?

Quae ita explicat noſter interpres. *Significat ſervus, abſurda interrogando, herum ſuum abſurde querere ab oſtio, valuerit nec ne. Dicimus enim aliquem febri carere, non febrem aliquo homine carere: Vel dic; non eo eſſe ineptam vel abſurdam interrogationem, quae ita quaerat ex Phaedromo CARUIT NE TE FEBRIS? Sed quod, caruit ne te febris heri, vel nudius tertius? nam debet quiſque ſcire, valuerit heri & nudius tortius, nec ne.* Haec ille. Ego ſat habeo dicere, illa omnia, quae huc ab eo allata ſunt, eſſe ἀπροσδιόνυσα. Quoniam enim homines ex febre, aut ex longo ieiunio delirare interdum, & mentis errore affici ſolent, idcirco interrogat herum ſervus, caruerit ne febre proximum biduum, & num veſpere cenaverit. Videbatur enim ei delirare, qui talibus verbis oſtio blandiretur. Itaque tantundem tribus verbis dicere poterat. *Satin' ſanus es?* Ubi autem vulgo legitur, NEC ME ILLE SINIT IUPPITER, legendum eſt, SIRIT, ita poſtulante & lege carminis & ratione Latini ſermonis. Mox autem duo quidem libri mei veteres habent,

Ita tuum conferto amorem ſemper, ſi ſapis.

non, quod ille maluit, amare. Tum quod ille ita legit,

PH. Qui iſtuc eſt verbi? PA. caute ut incedas via.

eorum alter multo, ut videtur melius,

PH. Quid iſtuc verbi eſt? PA. tuta ut incedas via.

& verſu proxime ſequenti.

NEMO hinc prohibet, nec vetat,
Quin quod palam eſt venale, ſi argentum eſt, emas.

B 3 Nemo,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Nemo quid prohibet te amare hinc, id eſt, a lenone nec vetat, quin emas, quod palam venale eſt. Mox verſus ille ita legeudus eſt,

PH. Lenonis hae ſunt aedes. PA. male iſtis evenat.

non, ut vulgo, *eveniat*. Deinde interiectis paucis,

Ita ut occoepi dicere, eii ancillula eſt.

PA. Nempe huic Lenoni, qui hic habitat. PH. recte tenes.

PA. Nimis formido, ne exedat.

In quibus explicandis miror qui libuerit interpreti,tam multa; tam foeda tam flagitioſe congerere. Satis ſuperque cum vult, ſpurcus, & obſcoenus eſt Plautus; & quod olim dixit Varro: *Muſas, ſi Latine loqui vellent, non alio, quam Plautino ſermone, uſuras eſſe;* nae illae ſaepe ſi Plautino more loquerentur, meretricio magis; quam virginali more loquerentur. Sed ubi nihil obſcoenitatis eſt, velle in ea reperienda ingenioſum videri, & implere totas paginas eiuſmodi rebus, quae etiam ſi vere dici poſſent; reticeri tamen debuerant; certe non erat hominis βαθυπώγωνος, ſexagenarii, quique cum ea ſcriberet, uxorem ac liberos haberet. Quid, quod omnia, & inepta prorſus, & aliena ſunt? locus enim totus conſiſtit in verbo EST. Nam cum dixiſſet adoleſcens,

eii ancillula eſt.

cavillans ſervus, quaſi verbum EST, non a verbo SUM, ſed ab EDO ductum eſſet: id eſt, quaſi non ὑπάρχει ſignificaret, ſed ἐσθίει; metuere ſe ait, ne non edat tantum, ſed etiam exedat. Monebo etiam verſum hunc prope in extremo ita legendum eſſe:

Vultis ne olivas? pulpamentum? capparim?

Eſt enim ſenarius: quem corrumpunt, qui alia interſerciunt.

Plauti

Plauti Scena, Curculione, ſuis numeris reddita.

CAP. XIV.

QVoniam Plautus in manibus eſt; faciam, quod iam in his libris aliquoties feci, ut integram ſcenam, cuius verſus prope omnes perturbati ſunt, ita proponam, ut, partim coniectura, partim veteribus libris fretus, legendum puto. Eſt autem ea, quae proxime ſequitur illam, quam modo emendare conatus ſum. Meminiſſe autem oportet eos, qui Plautinos verſus dimetiuntur, crebras eſſe apud eum craſes, & ſynaereſes; neque ſemper elidi ob ſequentem vocalem ultimas ſyllabas vocum in literam M deſinentium: ut ne ipſas quidem vocales ultimas earum vocum, quae alias item a vocali incipientes antecedunt. Item ultimas ſyllabas verborum, quae imperandi vim habent, etiam ſi primi ſecundive ordinis ſit, ab eo, cum libet, corripi: UT AMA. VIDE. TACE. CAVE. & talia. Haec enim, & eiuſdem generis alia, qui minus cogitet, in verſuum dimenſione frequenter haerebit. Sed quoniam haec contrita, ut puto, iam ſunt, agedum, praeſtemus quod polliciti ſumus.

PHAEDROMUS. PALINURUS.

LE. Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt.
Eius amos cupidam me huc per tenebras prolicit
Ubi ubi eſt, prope me eſt. Evax habeo. Salve anime mi,
Liberi lepos, ut veteris vetuſti cupida ſum,
Nam prae tuo, unguentorum omnium odos nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa,
Tu crocum, & caſſia es, tu bdellium, nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me ſepultam pervelim.
Sed quum adhuc naſo eſt obſecutus odos meo,
Da nunc viciſſim gutturi meo gaudium.

Digitized by Google

Nihil ago tecum? ubi ipſus eſt? ipſum expeto
Tangere, & invergere liquores in me tuos
Sino ductim, ſed hac abiit, hac perſequar.
PH. Sitit haec anus. PA. Quantulum ſitit? Modice ſitit.
Capit quandrantal. PA. pol quidem, ut tu praedicas
Vindemia haec huic anui non ſoli ſat eſt.
Canem quidem eſſe hanc par magis fuit, ſagax
Naſum habet. LE. Amabo, quota vox ſonat proculi
PH. Anum apellandam hanc cenſeo. Adibo. redi,
Et reſpice ad me huc. LE. quis imperator eſt?
PA. Vini pollens lepidus Liber,
Tibi qui ſiccae, ſemiſomnae,
Screanti, potum affert, & ſedatum it ſitim.

Elegantiſſime autem fecit, ut, quaſi Liberi patris ſacra ferret, ſenariis interiecerit duos verſus eius generis, quo in eius choris utebantur.

LE. Quam longe abeſt, quaeſo, a me? lumen hoc vide.
Fac grandiorem ergo, obſecro, huc ad me gradum.
Salve. LE. Ego ne ſalva ſim, quae ſicca ſum ſiti?
PH. At iam bibes. LE. diu ſit. PH. En tibi lepida.
LE. Salve oculiſſime homo. PA. Age, ageſis, effunde hoc cito
In barathrum, propere prolue cloacam PH. tace.
Nolo huic maledici. PA. faciam igitur male potius.
LE. Venus de paulo paululum hoc tibi dabo haut
Lubenter, namque amantes potantes, tibi
Vinum propinant ſemper omnes. at mihi haut
Saepe hac veniunt haereditates. PA. hoc vide, ut
Ingurgitat impura in ſe avariter merum,
Faucibus plenis. PH. perii hercle. huic iam neſcio,
Quid primum dicam. PA. Em. iſtuc, quod mihi dixti.
PH quid eſt?
PA. Periiſſe ut te dicas. PH. Di male faciant tibi.
PA. Dic. iſti. LE. ah. PA. quid eſt? ecquid bibere lubet.
LE. lubet.

PA. Etiam mihi quoque ſtimulo fodere te lubet.
PH. Tace. noli. PA. taceo. ecce autem bibit arcus. pluet.
Credo hercle hodie. PH. iam dico? PA. Quid dictu-
rus es?
PH. Me periiſſe. PA. age dice. PH. anus audi. hoc volo
Te ſcire: perditus ſum miſer. LE. At pol ego oppido
Sarvata. ſed quid eſt? quod perditum lubet
Te dicere eſſe? PH. quia id quod amo careo miſer.
LE. Ne plora Phaedrone mi. curato tu, amabo, me,
Ne ſitiam; ego, quod amas, iam huc adducam tibi.
PF. Tibin' ego? quin ſi mecum ſervas fidem,
Vineam tibi pro aurea ſtatua ſtatuam, quae tuo
Monumentum gutturi ſit. Quis me in terra erit
Adaeque fortunatus, ſi illa ad me bitet,
Palinure? PA aedepol qui amat, miſera afficitur, ſi
eget,
Aerumna. PH. non ita eſt, nam confido ego,
Paraſitum hodie huc cum argento adventurum meum.
PA. Magnum incoeptas, id ſi eſpectas, nuſquam quod eſt.
PH. Quid ſi ad fores adeam, atque occentem? PA. ſi lubet.
Neque veto, neque iubeo: quando video ego te
Immutatis moribus here eſſe, atque ingenio.
PH. Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto libens.
Vos amo, vos volo, vos peto atque obſecro.

Sunt autem hi duo verſus e quaternis creticis, quibus uſus eſt, quoniam is numerus ad ſaltationem eſt accommodatus. Itaque eis utebantur in Pyrrhicha.

Amanti mihi morem gerite amoeniſſimi.

Redit iterum ad creticos.

Fite cauſſa mea Ludii barbari,
Suſſilite, obſecro, & mittite iſtanc foras.
Quae miſero amanti ſanguinem ebibit mihi.

Rurſum ad creticos.

Hoc vide ut dormiant peſſuli peſſumi,
Nec mea gratia commovent ſe ocyus.

Per-

Perſpicio nihili meam vos facere gratiam.
St. tace. PA. taceo hercle quid eſt? PH. St. ſonitum ſentio.
Tandem aedepol morigeri fiunt peſſuli.

Ita puto ſcenam illam reſtitui oportere. Sed varietatem conſectanti, omittendus in praeſens Plautus eſt.

De miſera rerum humanarum conditione e Seneca Tragico, aliiſque ſcriptoribus diſputatum.

CAP. XV.

EX omnibus Senecae Tragoediis plurimum mihi ſemper placuerunt *Troades*; quarum etiam olim magnam partem, animi cauſſa, Graecis verſibus expreſſeram. Nunc quoque earum principium agitanti multa in mentem veniunt, quae committam huic chartae; ſi quid forte in eis inerit, quod aliquis non invitus legat. Verſus hi ſunt:

Quicumque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves timuit Deos,
Animumque rebus credulum latis dedit,
Me videat & te Troia.

Quid autem eſt in rebus humanis, cui fidere, quoque niti aliquis poſſit, ſi ne regno quidem ſatis tuto fiditur? Et tamen ne potentiſſimorum quidem regum ſtabilis & fixa fortuna eſt. Quis enim rex Priamo potentior, aut perdiu fortunatior fuerat? At aetate confectus in eas incidit calamitates, quae & perpetuam, quaſique reſtibilem poetarum ingeniis ſcribendi ſegetem, ac materiam ſubminiſtrarunt, & ab Ariſtotele prope in Proverbii loco nominantur. Recte igitur & ſapienter Solon in illo nobili ſermone, quem cum Croeſo habuiſſe dicitur, neminem beatum vocari debere cenſuit, quandiu viveret: & quod in longitudine temporis, πολλὰ μὲν ἐστὶν ἰδέειν τὰ μή τις ἐθέλει, πολλὰ δὲ καὶ παθέειν. Multis enim ut, in eodem illo ſermone eſt, magnas opes ad tempus conceſſit Deus,

quos

quos poſtea radicitus exſtirpavit. Idque Croeſus quoque ipſe expertus eſt: qui e ſummis opibus ſummaque potentia eo tandem perductus eſt, ut captus a Cyro, parum afuerit, quin vivus cremaretur. Sapienter etiam Herodotus. ἡ ἀνθρωπείη δ᾽ εὐδαιμονίη οὐδαμᾶ ἐν ὠυτῷ μένει. Et ob id Plato homines eſſe dicebat θεῶν ἀθύρματα. Et quo Plautus,

Enimuero di nos homines ut pilas habent.

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει.
Ῥεῖα δ᾽ ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει,

ait Heſiodus, ex quo Horatius.

——inſignem attenuat Deus
Obſcura promens, hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, hic poſuiſſe gaudet.

& alibi ait eam eſſe potentem,

——vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

Aeſopum etiam Phrygem interrogatum; quid ageret Iuppiter, reſpondiſſe aiunt, τὰ μὲν εἰκαδομεῖν, τὰ δὲ καταβάλλειν. Et Euripides praeclare,

Θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος.

& niſi me memoria fallit, Menander,

Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ἄνδρα, τοῦτ᾽ οὐ πείσομαι.

Omnia enim ut ſperare, ita & metuere homines poſſunt. Meritoque Apelles, cur, praeter ceterorum pictorum conſuetudinem, Fortunam ſedentem pinxiſſet, interrogatus. *Quoniam*, inquit, *ſtare non poteſt*. Imo vero cum maxime arridet, tum maxime metuenda eſt. Ut enim ait Hippocrates τὰς εὐεξίας, cum ad ſummum pervenerint, periculoſiſſimas eſſe; ita periculoſiſſima eſt eorum condicio, quibus fortuna immodice favet. Recteque Bias. *Fortuna vitrea eſt, cum ſplendet, frangitur*. Quod vel

vel maxime intelligi poteſt ex iis, quae de Amaſi rege Agypti, & Samiorum tyranno Polycrate apud Herodotum leguntur. Hanc humanarum rerum infirmitatem ac fragilitatem iampridem indicaverat Homerus illo verſu,

Οἵηπερ γενεὴ φύλλων τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.

& illo Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

& Pindarus his verbis: Τί δέ τις, τί δ' οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Sed & eadem de re pulcerrimus locus eſt apud Sophoclem Aiace Maſtiphoro; ubi Minerva eum oſtendiſſet Ulyſſi Aiacem Telamonis filium, qui maximo inter Graecos in pretio fuerat, furore divinitus immiſſo percitum, &, dum Graecos ulciſci ſe putat, in pecudes ſaevientem: ita Ulixem ipſum alloquitur.

Ὁρᾷς Ὀδυσσεῦ τὴν θεῶν ἰσχὺν ὅση;
Τούτου τίς ἂν σοι τ' ἀνδρὸς ἦν προνούστερος,
Ἢ δρᾷν ἀμείνων εὑρέθη τὰ καίρια;
Vides Ulixe quae poteſtas ſit Deum?
Quis hoc viro prudentior antehac fuit,
Aut ad gerenda, quae opus erant, praeſtantior?

Tum Ulixes, cum reſpondiſſet, eum plane & prudentiſſimum, & fortiſſimum fuiſſe: ſeque eius in tantam infelicitatem collapſi miſericordia commoveri, etiam ſi eum ſibi infenſum eſſe ſciret: addit commoveri ſe non tantum eius cauſſa, ſed etiam ſua. Videre enim ſe, quantum hominum viveret, nihil aliud eſſe, quam vanas imagines, & inanem umbram. Tum Minerva praeceptum ſapientiſſimum ſubiicit, & nunquam ex hominum animis delendum: ut talia intuens, nihil unquam in eos ſuperbe loquatur: neque ſe extollat, ſive robore, ſive opibus alium ſuperet. Unum enim diem ſatis eſſe ad omnia humana & deprimenda, & rurſum erigenda. Moderatos autem homines diis caros eſſe; inviſos, improbos. Sed & illud eleganter a Seneca dictum, *Nec leves metuit Deos*, mutari enim Deos dice-

dicebant, cum condicio hominum mutaretur. Horatius,

Mutatoſque Deos flebit, & aſpera
Nigris aquora ventis
Emirabitur inſolens.

His autem paucis verbis, *me videat & te Troia*, plus dixit, quam ſi plura dixiſſet. Videat me ex regina captivam, ex tot liberum matre orbam, ex feliciſſima etiam hoſtibus miſerabilem. Videat Troiam ex urbe omnium pulcerrima, & opulentiſſima, eo redactam, ut vix illius veſtigium ſuperſit. Haec cum viderit, eat & fidat rebus humanis.

Avidia, pro aviditate. Salluſtii locus coniectura correctus.

CAP. XVI.

ETſi vitium omne natura foedum, & homine indignum eſt: quaedam tamen vitia ſunt, quae minus averſeris; quaedam contra ita turpia; ut ſtomachum omnibus ac nauſeam moveant. Et ut herbae quaedam noxiae, quibus tamen in locis ſponte proveniunt, bonitatem ſoli, ſi cultus accedat, indicant; ita e quibuſdam vitiis excelſus tamen, & erectus animus intelligitur, quique, ſi excolatur, egregii aliquid praeſtare poſſit: cum contra alia quaedam vitia ſint, quae degenerem, & abiectum ac ſervilem animum manifeſto arguant. Huic rei argumento eſſe poſſunt *avaritia*, & *ambitio*; quarum illa ſordida, & humilis eſt: haec magnis ac generoſis animis plerumque comes addita. Illa nihil magnum ac ſublime cogitat, ſemper avida, ſemper hians, ſemper querula, infuſcatis aerugine manibus, quod recondat quaerit, non quo fruatur, parata amicos, cognatos, parentes, patriam, nummis, ſi res ferat, addicere. Haec ſaltem aliquid petit, quod & ma-

gni

gni ac fortes viri petunt ; neque aliud fere intereſt, quam quod vir bonus honeſtatem ipſam ſequitur, gloriam, quaſi acceſſionem aliquam, & publicum virtutis ſuae teſtimonium non recuſat ; ambitioſius gloriam ſibi praecipue proponit : ea quaſi mercede detracta ; ne virtutem quidam ipſam amaturus . Sed tamen contemtus pecuniae ſemper laudi ; contemtus gloriae interdum vitio datur . Itaque Alexandrum Macedonem, C. Caeſarem, & tales viros ab avaritia alieniſſimos fuiſſe legimus, ab ambitione non item . Nota eſt Alexandri quidem illa vox : *Interfeciſſem ; ſi quis me tertium nominaſſet* ; Caeſaris autem illa, cum ignobile oppidulum praeteriret, *Malle ſe illic primum eſſe, quam Romae ſecundum.* Tantum erat in utroque τὸ φιλόπρωτον. Fere igitur ſi alterutrum neceſſe ſit ; ambitionem facilius ac libentius homines, quam avaritiam agnoſcunt . Ut Saluſtius (eius enim cauſſa ſermo hic a me ſuſceptus eſt) in prooemio libri de coniuratione, de ſe fatetur . *Ac me,* inquit, *cum ab reliquis malis moribus diſſentirem ; nihilominus honoris cupido eadem quae ceteros, fama, atque invidia vexabat .* Sed cum ſententiam nobiliſſimi ſcriptoris videre difficile non ſit, in verbis tamen depravatum aliquid videtur. Idque mihi aſſenſuros eſſe omnes arbitror, qui attente ac diligenter ea conſiderarint . Ego cum ſaepe ac diu de illo Salluſtii loco & cogitarim, & quaeſierim ex aliis, & vetuſtos libros conſuluerim ; tandem in eam ſententiam veni, ut pro certo arbitrer ita legendum eſſe . *Ac me, cum ab reliquis malis moribus diſſentirem , nihilominus honoris cupido eadem, quae ceteros, famaque avidia vexabat.* Ut *honoris cupidinem, & avidiam famae* dixerit, φιλοτιμίαν καὶ φιλοδοξίαν. *Avidiam* autem, pro aviditate, dixiſſe Salluſtium nemo mirabitur: qui eum iam tum, ut immodicum antiquarum, & inſolentium vocum affectatorem notatum eſſe meminit . Iam vero ut a *perfido perfidiam, ab invido invidiam, ſic ab avido*

avidiam

avidiam dice, analogia quidem facile patiatur. Et veteres quidem multa hoc modo formarunt: *deſidiam, ferociam, ignaviam, dividiam, inaniam, imbelliam*; quorum plaeraque in uſu eſſe poſtea deſierunt. *Indoloriam* etiam, ſi Sidonio credimus, Cicero dixit. Hanc opinionem meam mihi quidem, communi fortaſſe vitio, valde probari fateor: aliorum tamen ſententiae non praeiudico.

M. Tullii Philippicae decimae locus explicatur.

CAP. XVII.

GRavi admodum ſententia uſus eſt Cicero libro decimo Philippicarum, cum recuperandae libertatis cauſſa nullum detractandum eſſe periculum diceret. Vitam enim, quae omnino ſemel relinquenda ſit, nuſquam glorioſius, quam in libertate defendenda poſſe deponi. Atque etiam ſi, vitato aliquo eiuſmodi periculo, immortalitas viro forti proponeretur, ita ut perpetuo in ſervitute victurus eſſet; tanto debere eum alacrius mortem oppetere; ne, morte vitata, incideret in illam perpetuam ſervitutem. Mala enim omnia eo magis fugienda ſunt; quo ea diuturniora fore proſpicimus. Hoc ita divinus orator expreſſit. *Ita praeclara eſt recuperatio libertatis; ut ne mors quidem ſit in repetenda libertate fugienda. Quod ſi immortalitas conſequeretur praeſentis periculi fugam: tamen eo magis fugienda videretur; quo diuturnior eſſet ſervitus*. Conſtat autem Homericam quidem eſſe ſententiam, ſed finem illius ſummo artificio ab eloquentiſſimo viro immutatum, & in contrariam partem inflexum παρὰ προσδοκίαν. At Ciceronis corrector hoc quoque loco diligens eſſe voluit, iudicavitque legendum, *Eo magis ea non fugienda videretur*. Et addidit delarationem correctione dignam, ut operculum patella.

patella. *In illis*, inquit, *verbis Ciceronis*, *Ea non fugienda videretur*, *ſubaudiendum, eſt mors. Nam ſi ſine negatione legas*, *ut in vulgatis*, *ſubintelligetur*, *immortalitas*. Hominem admiror, qui non viderit, de *ſervitute*, non de *morte*, aut de *immortalitate* Ciceronem loqui.

In Muraeniana Cicero, & in Odis Horatius, Graecorum ſcriptis illuſtrati.

CAP. XVIII.

INter commoda ruſticorum, hoc quoque ponit Horatius, quod dormientes non excitantur tubae ſono, ut milites. Id enim ſignificatur illo verſu,

Nec excitatur claſſico miles truci.

Neque id Cicero praetermiſit; ſed id inter iuriſperitos & militares viros etiam intereſſe dixit. Sulpicium enim cum Muraena comparans, *Te*, inquit, *gallorum: illum buccinarum cantus exſuſcitat.* Sed & ante eos quidam vetus poeta Graecus id dixerat, eos qui in pace dormirent, non tubarum clangore, ſed gallinaceorum cantu a ſomno excitari. Eius verba haec leguntur apud Plutarchum in Nicia. Τὸς ἐν εἰρήνῃ καθεύδοντας ὀ σάλπιγγες, ἀλλ' ἀλεκτρυόνες ἀφυπνίζουσι. Non aranearum telae hac obſervatione tenuiores ſunt; ſed habent haec quoque λεπτολογήματα interdum aliquid voluptatis. Subtexam & alia eiuſdem generis. Quod cornicem libro tertio Odarum eleganti admodum epitheto aquae augurem vocat, ab Euphorione, ut mea fert opinio, ſumſit. Eius enim citantur haec,

ὑετίμαντις ὅτε κρώξειε κορώνη.

Sed nunquid parum prudenter feciſſe videri poteſt, qui libro ſecundo, cum Pompeium Varum, cuius inſperato reditu exultabat, adventicia cena excepturus eſſet, etiam ex apio properari ſibi coronas iuſſerit? ita enim canit,

-- *quis*

——quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto?

Aliis quoque locis *coronas ex apio* in conviviis adhibet.

Neu deſint epulis roſae
Neu vivax apium.

Et alibi,

Eſt in horto
Phylli nectendis apium coronis.

At apium apud veteres ferale & omninoſum habebatur, quod eo tumuli coronari ſolerent: & quibus aegrotis mortem imminere ſignificarent, eos apio indigere dicebant. Certe Timoleontis milites, cum in colle quodam ſuperando in mulos apio onuſtos incidiſſent, ita omen illud exhorruiſſe memorantur; ut prope concidiſſent animis, niſi eos fortiſſimus imperator docuiſſet victoriam potius portendi: cum in Iſthmiis victores illis temporibus apio coronari ſolerent. Itaque ab hominibus eruditiſſimis proditum eſt, ex omnibus paſſim herbis ac floribus in conviviis hilarioribus ſolitas necti corollas, praeterquam ex apio. Abſit tamen a nobis haec audacia, ut elegantiſſimum & eruditiſſimum poetam, in eo peccaſſe dicamus. Habet enim ille hyperaſpiſen, in his rebus ſane valentem, ac ſtrenuum, &, ſi amare ac potare ſapientia eſt, quovis Thalete ſapientiorem, Anacreontem, cuius haec ſunt:

Ἐπὶ δ᾽ ὀφρύσι σελίνων ϛεφανίσκοις
Θέμενοι, θαλίαν ἑορτὴν ἀγάγωμεν Διονύσῳ.

Haec igitur corona huic capiti coronis eſto.

Ciceronis Quinctiana, locis aliquot perpurgata.

CAP. XIX.

Locos quoſdam ex oratione Ciceronis pro Quintio hic ſubnotare animus eſt, quos aliter, quam ceteri

teri aut intelligo, aut lego. Primus hic erit. *Tum Naevius ipſe pueros circum amicos dimittit, ipſe ſuos neceſſarios ab atriis Liciniis, & faucibus macelli corrogat*. Ubi homo eruditus, *Ex atriis*, inquit, *Liciniis auctionarios praecones, ex faucibus macelli nobiles homines otio affluentes, qui cupediis inhiabant, aut otio ibi ſuo fruebantur*. Non equidem negarim gulae proceres in macellum nonnunquam ventitaſſe. Notanda ſunt illa Iuvenalis,

Multos porro vides, quos ſaepe eluſus ad ipſum
Creditor introitum ſolet exſpectare macelli.

Sed tamen obſonatorum opera ſaepius utebantur: neque eſt veriſimile nobiles homines in turpi, ac prope infami loco ſedere ſolitos, tanquam publice profitentes, ſe ventri ac gulae deditos eſſe: & habebant alia honeſtiora loca, in quibus otium ſuum oblectarent: Neque haec conveniunt, & nobiles fuiſſe, & praeconis Naevii neceſſarios. Ex utroque igitur loco corrogatos accipio homines abiectos, ignobiles, Naevii amicitia dignos. Sed fefellit interpretem, quod ſtatim ſubiicitur, *Tabula maxima ſignis hominum nobilium conſignantur*: quod cum illudens Cicero dixiſſet, ipſe, ut vere ac ſerio dictum, accepit. Nam quod opinionis ſuae confirmandae cauſſa citat locum ex libro tertio Accuſationis, ubi ita legitur: *Albam Aemilium ſedentem in faucibus macelli loqui palam, viciſſe Verrem*: miror ſi eum, quod Aemilius vocaretur, aliquem eſſe e numero nobilium exiſtimavit: cum paulo poſt ita de eo loquatur Cicero. *Albam habeo iudicem eum hominem, qui ſe ipſe ſcurram improbiſſimum exiſtimari vult, qui a ſcurru potius ſemper gladiator, quam ſcurra appellatus ſit*. Sponſionem autem illam de qua Cicero, ut nova & iniqua conqueritur, ita fuiſſe conceptam puto; *Ni bona ſua ex edicto poſſeſſa non eſſent*; quomodo & Budaeus legit, hoc modo: *Si bona tua ex edicto poſſeſſa eſſent*. Nam ex hac poſteriore formula, neceſſe habuiſſet Naevius probare, bona Quinctii ex edicto poſſeſſa

eſſe:

eſſe: at ex illa onus probandi tralatum eſt in Quinctium. Ideoque priore loco eum dicere oportuit: de quo non iniuria Cicero conqueri videtur. Quod autem citat interpres locum quendam e libro ultimo in Verrem, ubi de ſponſione Servilii agitur, alio loco docebo, quam longe ab illius ſententia aberrarit. Ex eadem oratione. *Quum in altera re cauſſae nihil eſſet, quin ſecus iudicaret ipſe de ſe*. Liber vetus, *ſequius*: cui voci librarii videntur aliquando inimici fuiſſe, ita pertinaciter coniurarant ad eam ex omnibus libris obliterandam. Ex eadem. *Ita ne eſt? quod viri optimi faciunt, ſi qui ſuos propinquos*, & cetera. Et in eodem vetere libro multo melius. *Ita ne? Quod viri optimi faciunt, ii qui ſuos propinquos ac neceſſarios claros & honeſtos eſſe atque haberi volunt, id Sex. Naevius non faceret?* Quomodo ſi legas, tollitur omnis illa, in qua interpres fruſtra luctatur, difficultas. Ex eadem. *Ego pro te nunc hoc conſulo, poſt tempus, in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat, conſulere oblitus es.* Lego, *Hos*, & *quos*, & ita legendum manifeſto oſtendunt ea, quae ſtatim ſequuntur. Sed interiungamus ipſi, ut & qui haec legent, interquieſcant.

Elegans Ciceronis, Tuſculana ſecunda, locus illuſtratus.

CAP. XX.

Cicero libro ſecundo Tuſculanarum, cum multis veriſque laudibus Philoſophiam ornaſſet, acerbeque exagitaſſet Philoſophos quoſdam, qui cum optima inſtituendae vitae praecepta aliis traderent, ipſi tamen turpiſſime ac flagitioſiſſime vivebant: eum quicum loquitur, facit hoc ipſo quaſi argumento utentem adverſus Philoſophiam, ut oſtendat eam non tantas utilitates adferre, quantas diceretur. Cui reſpondens ipſe, ait id hominum vitio evenire, ut enim quamvis bona ſe-

mina non in omnibus agris idem efficiunt; ita neque praecepta, quamlibet bona, in quibuslibet animis. Hoc autem ita explicat. *Nam ut agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur : falſumque illud ac improbe,*

Et ſi in ſegetem ſunt deteriorem datae
Fruges , tamen ipſae ſuapte natura enitent:
Sic animi non omnes culti fructum ferunt .

Sed latere hic aliquid vitii, primum oſtendit prior verſus, qui vix ſatis numeris ſuis conſtat : niſi aut ultima vocalis in Etſi non elidatur : aut ita legamus,

Et ſi ſegetem ſunt in deteriorem datæ :

Quomodo olim , auctore me , edidit Manutius & poſt eum alii . Sed poſtea ipſi mihi diligentius cogitanti , viſa eſt mutatio illa vitium occultaſſe potius quam ſuſtuliſſe . Neque enim ſatis cohaerent haec , *Falſum & improbe* . Itaque alii addiderunt , *Falſoque & illud improbe*. Ego autem falſam quidem eſſe ſententiam illam video , improbitatis nullam in ea ſignificationem repetire poſſum . In vetere libro , quem habeo ita legitur, *Falſumque illud ad improba* , ex qua depravta ſcriptura coniecturam feci, ita legendum eſſe : *Falſumque illud Attii,*

Probae & ſi in ſegetem ſunt deteriorem datae ,
Fruges , tamen ipſae ſuapte natura enitent .

Ut Cicero & poetam nominaverit , qui id dixerat; & praecepta philoſophiae non ſimpliciter cum ſeminibus, ſed cum probis & lectis ſeminibus compararet .

MARCI ANTONII MURETI VARIARUM LECTIONUM

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

Rectene inſcripti libri M. Tullii de Finibus bonorum & malorum diſputatum.

CAP. I.

QUaeſitum eſt, cur Cicero pulcerrimos libros, in quibus varias veterum Philoſophorum de ſummo bono ſententias excutit, inſcripſiſſet *De finibus bonorum & malorum*. Ac facile quidem illos abſolvimus, qui Caelii Calcagnini errorem ſecuti, melius eos *De fine*, quam *De finibus* inſcribi potuiſſe cenſebant. Cum enim variae Philoſophorum diſciplinae, varios fines facerent, & de iis ipſe diſputare inſtituiſſet, recte libros ſuos *de finibus*, potius quam *De fine* nominavit. In illo pluſculum laboris fuit, cur non ſolum *bonorum fines* dixiſſet, ſed etiam *malorum*. Nam nomen quidem ipſum *finis* ſumſerunt Philoſophi ab illo omnis elegantioris doctrinae fonte Homero.

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι:

Sed tamen numquam dixerunt τέλος κακῶν: Ac ne videtur quidem dici poſſe. Etenim τὸ τέλος τελειοῖ Malum autem non perficit. Itaque mors vocatur τέλος, κατὰ μεταφορὰν, & cum furem, aut ſycophantam τέλειον dicimus, improprie loquimur: non ſecus quam cum *bonum*

furem, aut *bonum ſycophantam* dicimus. Auctor & fundus huic rei Ariſtoteles libro quarto τῶν μετὰ τὰ φυσικά, qui etiam ſecundo Phyſicorum irridet poetam quendam, quia ita dixerat,

Ἔχει τελευτὴν, ἧσπερ οὕνεκ' ἐγίνετο.

Non enim quodlibet extremum *finis* vocatur, ſed quod optimum, quod ille ita exprimit, βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον, τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. Quae verba ideo referre & interpretari placuit, quod a quibuſdam interpretibus peſſime accepta ſunt. Item τέλος, & τὸ οὗ ἕνεκα, idem ſunt. At *malum* nullo modo poteſt, ut finis, cuiquam propoſitum eſſe. *Bonum* enim expetunt omnia. Neque ullus, quamvis malus, quidquam ipſius mali cauſſa facit. Voluntas enim numquam fertur ad malum, quatenus malum eſt. At fortaſſe dicat aliquis, *finem malorum* dici, non quem ſpectent, & quo referantur mala omnia, ſed id quo nihil peius ſit. Quid, quod ne id quidem fieri poteſt? Quodcumque enim malum propoſueris, id addito alio, peius & deterius fiet: neque quiſquam unquam malum ullum tantum nominabit, (de iis malis loquor, quae homini in vita accidere poſſunt) ut non eo peius aliud reperiatur. Et recte Pythagorici dicebant, bonum finitum eſſe, malum infinitum. Recto nihil rectius at perverſo & depravato, ſemper aliquid contortius reperiri poteſt. Niſi forte malum unum tantum dixeris: ut Stoici cum ſolum vitium in malis habendum docerent; qui & vitia ipſa, & peccata paria eſſe dicebant. Sed tunc inepte dixeris *ſummum malum*, *aut maximum malum*, *aut finem malorum*. Nam haec, niſi in comparatione, non dicuntur. Comparatio autem non niſi inter plura. Et inter paria nihil ſummum aut maximum eſt. An ut felicitas bonorum omnium cumulus, ita *finis malorum* erit omnium malorum cumulata complexio? At non poteſt. Nam bona quidem conſpirare poſſunt, mala non poſſunt.

Quia bonum σωστικὸν eſt & ſui, & eius in quo eſt. Malum φθαρτικὸν & aliorum & ſui. Itaque omnes virtutes in uno aliquo eſſe, nihil prohibet. Imo vero qui perfecte habet unam, omnes habeat neceſſe eſt. Neque ceterae ſine prudentia ſunt: neque abſoluta prudentia ſine ceteris. Longe aliud in vitiis, quibus maior inter ſe, quam cum virtute pugna eſt. His adductus facile in eam ſententiam prolaberer, ut dicerem, inſcriptionem librorum eſſe *De finibus*, aut certe *De finibus bonorum*, niſi me Ciceronis ipſius revocaret auctoritas cuius haec verba ſunt, ex libro ſecundo de Divinatione; *Cumque fundamentum eſſet Phiſophiae poſitum in finibus bonorum & malorum, perpurgatus eſt is locus a nobis quinque libris: ut quid a quoque, & quid contra quemque philoſophum diceretur, intelligi poſſet*. Poſitum ſit igitur, veram eſſe inſcriptionem, *De finibus bonorum & malorum*. Finem autem malorum dici, id quod tale eſt, ut χεῖρον deterius ſit alio quolibet per ſe ſumto: aut etiam aliis omnibus coacervatis; dummodo hoc unum non ſit in illo acervo. Aliter accipi poſſe, nullo prorſus modo exiſtimo.

Epithetorum in poetica uſus. Mater Leonum Africa. Horatius illuſtratus.

CAP. II.

OMnia ornamenta, omnemque quaſi mundum Latinae poeſeos a Graecis acceptum eſſe, nemo iam neſcit, niſi qui ea quoque, quae nota ſunt omnibus, neſcit. Cum autem ut coelum ſtellis, ita poeſis concinnis praecipue & ſuo loco poſitis epithetis illuminetur; multa, quibus Horatius utitur, unde petita eſſent, alias indicavi. Nunc unum etiam indicabo in Ode ad Atiſtium Fuſcum; ubi de lupo, qui ſibi in ſylva Sabina occurrerat, ita canit:

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit aeſculetis.
Nec Iuba tellus generat, Leonum
Arida nutrix.

Quod enim Mauritaniam *nutricem Leonum* vocat, Homericum eſt: qui poeta ſaepe vocat Idam μητέρα θηρῶν id eſt, matrem Leonum Θηρὸς enim nomen, quamquam aliarum quoque ferarum commune eſt, proprie tamen de *Leone* dici, notat Galenus. Ut mirum non ſit, cum Ida tam mulos Leones habeat, cur eis potiſſimum ad curſum Phrygia mater utatur. Sic idem poeta Thracen vocat μητέρα μήλων, id eſt, *pecudum matrem*. Sic alias docui a Tibullo noctem *matrem ſyderum* dici quae ab Euripide, *ſyderum nutrix* diceretur. Sic Olympiam Pindarus, *matrem certaminnm*, in quibus victores aureis coronis donarentur; Sic Syracuſas *equorum bellicorum nutrices* vocavit. Neque pigebit appingere locum illum ex ode prima libri quarti,

——Lyraeque & Berecynthiae
Delectabere tibiae
Miſtis carminibus, non ſine fiſtula.

Imitatum eſſe ex tertia Ode Olympiorum, unde haec ſunt:

Φόρμιγγά τε ποικιλόγαρυν
Καὶ βοὰν αὐλῶν, ἐπέων τε θέσιν,
Αἰνησιδάμου
Παιδὶ συμμίξαι πρεπόντως.

Atque id genus ſymphoniae, quo hodie quoque ſaepe utimur σύμψαλμα Graeco vocabulo nuncupatur. Vereor ne dicar nimis diſſimilia copulare; ſed tamen quando de epithetis e Graeco fonte ductis agere coeperam, dicam quod nunc in mentem venit epithetum quo ſummus Latinorum poetarum afficit undam inferorum, cum eam *irremeabilem* vocavit, ipſum quoque a Graecis fluxiſſe. Sic enim & Theocritus,

Ἀγγεῖ-

Ἀγγείλειεν ἐμοί τις ἀνέξοδον εἰς ἀχέροντα.

Et hanc unam vocem Catullus verſu integro expreſſit,

Illuc, unde negant redire quemquam.

Avaritia, & ambitio rerumpublicarum peſtes. Salluſtii ſuper ea re locus Catilinarii caſtigatus.

CAP. III.

SApienter Salluſtius maiorum omnium, quibus Reſp. Romana conflictata eſt, duos quaſi fontes fuiſſe ſcribit, ambitionem, & avaritiam. Sunt enim duae illae civitatum praecipue peſtes: cum cives inter ſe committant, tollantque concordiam, qua civitatum ſalus continetur. Idem autem ante illum dixerat graviſſimus ſcriptor Thucydides his verbis *πάντων δὲ αὐτῶν ἡ ἀρχὴ διὰ πλεονεξίαν ἢ φιλοτιμίαν.* Ariſtoteles, quoque in Politicis, maximas & pernitioſiſſimas contentiones ex honoris, aut pecuniae ſtudio, ait exſiſtere, *Διὰ κέρδος* inquit, *καὶ διὰ τιμὴν παροξύνονται πρὸς ἀλλήλοις.* citatur & verſiculus Graecus, Theognidis an Solonis, qui eandem ſententiam complectitur, quo ibi utitur Salluſtius, cum ait avaritiam omnia venalia habere. Eſt autem hic,

Πιπράσκει δ' ὁ κακὸς πάντα πρὸς ἀργύριον.

Sapiens autem ille Hebraeus ait avari etiam animam ipſam eſſe venalem, *φιλαργύρου.* inquit, *οὐδὲν ἀνομώτερον. οὗτος γὰρ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἔκπρακτον ποιεῖ.* Sed antequam manum de tabula tollam libet conſiderare locum ex illa ſcelerata ac peſtifera oratione, qua Catilina ſuos ad coniurandum cohortatur; in quo latere mendi aliquid ſentio. Verba illius haec ſunt: *Nam poſtquam reſp. in paucorum potentiam ius atque ditionem conceſſit, ſemper illis reges, tetrarchae vectigales eſſe: populi nationes ſtipendia pendere: ceteri omnes ſtrenui, boni, nobiles atque ignobiles vulgus fuimus.* Non probo illud *nobiles atque ignobiles.*

Or-

Ornare enim ſuos volebat, non deprimere,& hoc ipſum illos urebat, quod homines novi & ignobiles ad gubernacula civitatis admoti eſſent; cum ipſi qui maxima ex parte nobiles erant, iacerent. Proponam ſcripturam vetuſti libri, quem habeo, quam plane veram eſſe exiſtimo. *Nam poſtquam reſp. in paucorum potentiam, ius, damnationemque conceſſit, ſemper illis reges, tetrarchae vectigales eſſe: populi, nationes ſtipendia pendere: ceteri omnes ſtrenui, boni factioſi, gnobiles, vulgus fuimus.* *Factioſos* olim dictos eſſe, impigros & aptos ad res gerendas quos Graeci δραστηρίους vocant, notum eſt. Itaque opponuntur *inertibus*. Plautus. *Lingua factioſi, inertes opera.* *Gnobiles* autem pro *nobilibus* antiquo more dixit Salluſtius. Sic *gnarigare* dicebant, pro *narrare*: ſic *gnatos, gnavos, gnaros, gnotos*, & ſimilia: Sic in XII. tabulis: *Ante meridiem cauſſam gnoſcito.*

Plenus, auferendi caſui ſaepe Cicero adiunxit, contra atque Victorio placuit.

CAP. IV.

QUiddam valde minutum, ac puſillum notavit Victorius, capite XVII. Libri XXVI. variarum lectionum: Ciceronem ſemper cum poteſt, coniungere nomen *Plenus* cum patrio generandique caſu: haec enim ipſius verba ſunt, numquam autem cum ſexto, niſi neceſſitate quadam coactum: cum tamen hac altera conſtructione, & Varro, & Caeſar utantur. Profert autem locum unum ex Accuſatione, ubi Cicero ab illa ſua conſuetudine receſſit, ita ſcribens. *Verres ornamentis fanorum, atque oppidorum habeat plenam domum.* Sed eum excuſat, quod inſuavis futura erat oratio, ſi dixiſſet *ornamentorum*, propter duas contiguas voces, eodem modo deſinentes. Ego aliam cauſſam adfero, quod ſi dixiſſet *ornamentorum*, videri poterat dicere,

cere, tribus generibus rerum plenam eſſe Verris domum, ornamentis, fanis, & oppidis. Nam ſi nihil aliud obſtabat Ciceroni, quam quod dit Victorius, ne illam conſuetudinem ſuam retineret, poterat pro *plenam* dicere *refertam*. Sed non ſolent politi, & eruditi ſcriptores ea nomina quorum unum ex alio pendet, uno & eodem genere ac numero ponere: quod ea res ambiguam obſcuram; inſuavem orationem facit. itaque *ornamenta fanorum* recte dixeris: ſin cum illud dicere velles, magnam fuiſſe multitudinem eorum illorum, qui fanorum ornamenta exſpectarent, dixeris, magnam fuiſſe multitudinem ſpectatorum ornamentorum fanorum: neſcire te loqui etiam pueri dicent. Atque hoc eſt, quod rhetores monent, caſibus, generibus, & numeris diſtingui debere orationem. Quod ut magis intelligatur, removeamus alteram ex illis duabus vocibus: ut ſit *ornamentorum fanorum plenam domum*; aeque inepta erit oratio. Non igitur quod tres voces eodem modo terminarentur, eo ita loqui Cicero noluit: ſed propter eam, quam modo expoſui, cauſſam, ea enim ſublata; coniunctio non trium modo, ſed & plurium ſimiliter deſinentium vocum, vitii nihil habitura eſt. Cicero in Miloniana. *Scudorum, gladiorum, frenorum, ſparorum; pilorumque etiam multitudo deprehendi poſſe indicabatur*. Vides, quam illa ſimiliter deſinentia non fugiat? Addit homo eruditiſſimus ſed certe interdum minus accuratus, quam par erat, inveniſſe ſe etiam alterum locum in Ciceronis ſcriptis, in quo ille a conſuetudine ſua diſceſſerit, neque ſe tantae conſilii mutationis cauſſam adferre poſſe, niſi aliquis putet id natum ab animi perturbatione magna qua tunc premebatur. Eſſe enim in tertio libro Epiſtolarum ad Atticum, quas ſcripſit, cum patria expulſus foret: illic igitur ita ſcripſiſſe. *Ex tuis literis plenus ſum exſpectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit, aut oſtendat*. Quid non

in animis hominum efficit doloris acerbitas? Ita perturbatus erat Cicero, quod patriae, quod uxoris, quod liberorum aſpectu careret; ut, cum conſilium cepiſſet nominis plenus numquam niſi urgente neceſſitate, cum ſexto caſu coniungendi, in tanta re imprudens conſilium mutaverit, & non *exſpectationis*, ſed *exſpectatione plenum* eſſe ſe ſcripſerit. Sed tamen hoc patrono effugiet quoquo modo inconſtantiae notam. At hoc quomodo excuſabimus, quod ſcriptum eſt in oratione pro Sextio: *Otioſa vita, conferta & plena voluptatibus*. Quod hoc ex libro tertio de Finibus: *Eo beatior quiſque quo ſit corporis aut externis bonis plenior*. Quid alia eiuſdem generis multa? Cogitationem hanc ſuſcipiat alius. Nam mihi quidem nihil occurrit, quo tantam conſilii mutationem excuſare poſſe videar.

Ciceronis pro Rabirio Poſthumo oratio, ex veteribus libris duobus, locis aliquot emendata.

CAP. V.

PErcurram, animi cauſſa orationem Ciceronis pro C. Rabirio Curiano Poſthumo, in qua multa notaveram abhinc annos prope viginti, ex duobus veteribus libris; quorum unum mihi commodato dederat Alexander Glorierus, tunc auditor meus, nunc vir clariſſimus, quique ſibi univerſa civitate plaudente, ad altiores dignitatis gradus viam virtute quotidie munit; alterum donaverat homo eruditus, itemque antiquae probitatis ac fidei Hercules Cioſanus. Sed cum eorum plaeraque poſtea etiam Lambinus notaverit inſpiciam eodem tempore notas ipſius: & quae ab eo animadverſa erunt praetermittens, ſi quid aut ipſius diligentiam fugerit, aut aliter in illis, quos dixi, libris ſcriptum fuerit, adnotabo. Statim igitur in ipſo principio ita vulgo legitur: *Si quis & iudices, qui C. Rabirium quod*

ſua

ſua fortuna fundatas praeſertim , atque optime conſtitutas opes poteſtati regiae libidinique commiſerit , comprehendendum putet . At in eorum librorum utroque : *Quod ſuas fortunas , fundatas praeſertim atque optime conſtitutas poteſtati regiae* , & cetera . Neque mihi dubium eſt , quin haec ſcriptura verior ſit . Certe enim , *Opes fortuna ſua* Latine dici non puto . Quod autem *Curtius* fuiſſe dicitur huius Rabirii pater, recte in veteribus libris legitur *Curius*: quod cum a Lambino quoque ita emendatum ſit , praetermiſiſſem , niſi eum , incogitantia quadam in eundem errorem denuo provolutum viderem . Nam qui recte aliquot locis Curium ſcripſiſſet, immemor ſui in extremo, ubi rectiſſime legitur , *Tune es Curii filius* , mutat , neque precario , ſed plane directis verbis impeperat , ut legatur *Curtii* . Vix illud notandum puto , quod in illo : *Quamvis patrem ſuum numquam viderat* ab utroque libro abeſt vox *publicorum*, quam ut vulgo *publicanorum* . In eodem etiam corrupte *Cuius reditum conſulicum datum* : unde coniicio legendum , *Conſuli commendatum* . In libro autem Ciofani illud praeclare : *Sunt lites aeſtimatae A Gabinio, nec praedes dati: nec ex eius bonis quanta ſumma litium fuit , ſervari poteſt* . Quae plane incorrupta eſt illius locis ſcriptura . Illud quoque in utroque recte legituri quod in omnibus divulgatis depravatum eſt . *Si eſt hoc novum in lege Iulia , ſicuti multa ſunt ſeverius ſcripta quam in antiquis legibus, & ſanctius, inducatur ſane etiam conſuetudo huius generis iudiciorum nova* . Quae autem ſubiiciam , & in vulgatis libris , & in veteribus corrupta ſunt . Utrorumque ſcripturam proponam : tum , quid mihi videatur, aperiam . Lambinus igitur ita edidit . *Illo* , inquit , *capite quod erat in Poſthumum , quod in Gabinium iudex eſſes , nihil Gabinio datum, cum in eum lites aeſtimarentur* . Quibus ex verbis non meliorem ſententiam extruderit quiſquam quam ex febricitantium ſomniis . Libri veteres hoc modo , *Illo* ,

in-

inquit, capite quod in poſterum. Puto verba illa, QVOD IN POSTERUM, eſſe principium eius capitis ex lege Iulia, qua accuſator Poſthumum teneri dicebat: & propterea grandiuſculis, ut fit, literis ſcribi oportere. Sequitur in eiſdem libris: *Quom in Gabinium iudex eſſes, nihil Rabirio datum nihilque ei lites aeſtimarentur*. Puto legendum: *Quom in Gabinium iudex eſſes, nihil de Rabirio auditum, nihil quom ei lites aeſtimarentur*. Et ſpero aſſenſuros mihi eos, qui totum locum attente conſiderarint. Omitto quaedam puſilla: cuius generis hoc eſt quod in eis ita legas. *Neque ſolum hoc genus pecuniae capiendae turpe, ſed etiam nefarium eſſe arbitrabantur, ac tamen*, & cetera. At non illud omittendum, quod in eorum uno legitur *Quare aut iudici mihi non eſſe liceat, aut legem Senatoriam non timere*. Prorſus enim abſurdum videtur, quod in vulgatis omnibus legitur, *Aut legem lege Senatoria non timere*. Eſt & hoc ita perſcriptum, in veteribus: *Non patitur mea met iam fides*; unde deleo literam T. ut ſit, *Non patitur mea me iam fides*. Equidem ut verum fatear, muſcas mihi captare videor, cum haec tam minuta conſector. Sed tamen cum ſemel coeperim, perſequar uſque ad extremum, quamquam enim genus hoc ſcriptionis, & ſcribenti moleſtum eſt, &, ut opinor, legenti: ſcio tamen in purgandis veterum ſcriptis operam bene & utiliter collocari. Alias igitur oblectationis aliquid dabimus. Nunc vincat utilitas. Haud ita multo poſt, in uno ex eis libris ita legitur: *Quid vociferabere? Decem millia talentum Gabinio eſſe permiſſa, Hui. videlicet puer blandus reperiendus fuit, qui hominem ut tu vis, avariſſimum exoraret, HS bis millies, & quadringenties ne magnopere contemneret*. Hoc ego, ne quid diſſimulem verius & ſyncerius puto, ut & hoc, quod ſequitur. *Et quidem in cuſtodia fuit etiam regia, & vita ei ablata paene eſt*. Et ſtatim: *Quae neceſſitas coegit perferre, pertulit*. Aliquanto autem inferius.

Nec

Nec vero id homini tum quiſquam, ſed tempori adſignandum putavit. Et paulo poſt: *Nam & ventum eſt Alexandream iudices, haec una ratio*, & quae ſequuntur. Sunt & aliae quaedam in iis, quae ſequuntur, varietates, ſed non magni momenti. Cetera prorſus cum Lambini editione conſentiunt.

Lycurgi orationis locus emendatus & auctus.

CAP. VI.

UT Euripides intereſſe ait, non tantum quid dicatur, ſed etiam a quo dicatur: quod a perſona dicentis multum iis, quae dicuntur vel accedit auctoritatis, vel decedit: ita non tantum quid dicatur, refert, verum etiam quomodo dicatur. Eadem enim ſententia alio, atque alio verborum genere elata, modo iacet ac languet, modo attollitur, & audientium mentes admiratione perfundit. Declarant id vel maxime Poetae, qui cum interdum vulgares, & e medio petitas ſententias proferant, quia tamen eas & numeris vinciunt, & figuris illuminant, ſeque ab uſitata loquendi conſuetudine abducunt, quia grandius & ſublimius dicunt, grandiora etiam, & ſublimiora dicere exiſtimantur. Non aliter in veſtitu ac cultu corporis accidere videmus, ut principibus, ac magiſtratibus ex eo dignitatis aliquid accedere videatur. Neque non quod dixi poetis evenire, idem etiam oratoribus evenit, ut ſi quis eorum verba immutet, quamvis eandem ſententiam retineat, multum tamen eis & dignitatis, & vehementiae detrahat. Ut contigit acri ſane & pleno ſpirituum oratori Lycurgo, qui cum in pulcerrima oratione adverſus Leocratem multa de virorum fortium, qui mortem pro patria oppetierant, laude dicturus eſſet, ne nimis a re propoſita digredi videretur, ita ſibi viam ad eam diſputationem praemuniit, ut diceret, duabus de

cauſſis

cauſſis libenter audiendam eſſe virorum fortium commendationem. Nam & ex contentione, inquit, magis intelligitur eorum, qui ab illis degenerant, ignavia; & iuſtum eſt, laudem, quae ſola viris fortibus praemium periculorum eſt, eis non denegari, qui animas ipſi ſuas in publicis certaminibus civitatis, pro ſalute communi, profuderunt. Verba autem, quibus hanc ſententiam complectitur, haec ſunt, *αἱ γὰρ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν εὐλογίαι τὸν ἔλεγχον σαφῆ κατὰ τῶν τἀναντία ἐπιτηδευόντων ποιοῦσιν*. Sed a libris excuſis abeſt vox *ἀνδρῶν*, quae tamen & ſonum & granditatem addit orationi. At hoc leve eſt, praeut quod ſequitur: *ἔτι δὲ καὶ δίκαιον, τὸν ἔπαινον, ὃς μόνος ἆθλον τῶν κινδύνων τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐστὶ, τοῦτον, ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀνήλωσαν, ἐν τοῖς δημοσίοις καὶ κοινοῖς ἀγῶσι πόλεως, μὴ παραλιπεῖν*. In libris qui uſque in hunc diem editi ſunt omnibus ita legitur, *ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως ἐτελεύτησαν*. quomodo ſententiam quidem eandem manere ſed de pulcritudine ac vehementia orationis plurimum detrahi, nemo non videt.

Antiphontis Rhamnuſii oratio correcta.

CAP. VII.

ANtiquiſſimi Rhetoris Antiphontis Rhamnuſii quo Thucidides magiſtro uſus dicitur, quique ob inſignem ſuaviloquentiam Neſtor vocitatus eſt, oratiunculae aliquot exſtant lectu iucundae ut in quibus primos rudis adhuc, & incoatae eloquentiae conatus licet agnoſcere. In omni autem re iucundiſſimum eſt principia ipſa, & progreſſus videre. Nam & qui herbarum, ac ſtirpium naturas curioſe inquirunt, ſatis ſe ſtudio ſuo feciſſe non putant, niſi eas & ex terrae gremio primulum erumpentes & pubeſcentes, ac ſuccreſcentes, & florentes denique ac vigentes, poſtremo etiam areſcentes

tes ac decidentes contemplati fuerint. Quod ſi quis tam perſpicacibus oculis uteretur, ut ipſius naturae unumquidque procudentis, & ad iuſtam magnitudinem paulatim perducentis artificium ſpectare poſſet, ac tum quomodo quidque mutaretur, tum quantum quoque momento accreſceret, intueri nemo reperiretur, qui non illius ſpectaculi ſuavitati vel inemori vellet. Sed ut ad Antiphontem, cuius cauſſa hic ſermo inſtitutus eſt, redeam, in perparva oratione, qua homo adoleſcens, qui ſenem in certatione pugno interfeciſſe arguebatur, crimen illud a ſe repellens inducitur, duae maculae haeſerunt, quas tollere haud ab re fuerit. Primum ergo ubi legitur. ἀλλ' ὁ νόμος εἴργων μήτε ἀδίκως ἀποκτείνειν, ἔνοχον τοῦ φόνου τοῖς ἐπιτιμίοις ἀποφαίνει σε: ma illeſto conſtat duas voces omiſſas, legendumque, μήτε δικαίως, μήτε ἀδίκως ἀποκτείνειν. Paulo autem infra, eum locum, hoc quoque ita emendandum eſt: εἰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν πληγῶν ὁ ἀνὴρ παραχρῆμα ἀπέθανεν, ὑπ' ἐμοῦ μὲν, δικαίως δ' ἂν ἐτεθνήκει, νῦν δὲ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον; & quae ſequuntur. Illa autem omnia, οὐ γὰρ ταῦτα, ἀλλὰ μείζονα καὶ πλείονα δίκαιοι οἱ ἄρχοντες ἀντιπάσχειν εἰσὶν, ex hoc quidem loco delenda ſunt: quae cum paulo ſuperius recta ac loco ſuo poſita eſſent, ut tam exiguo intervallo denuo hic legantur, literariorum ſtupor effecit. Haec non adnotarem; niſi eos quoque libros, qui merito omnium emendatiſſimi habentur, eodem ad ceteros modo depravatos viderem.

Peregrinatio ſit ne utilis, quaeſitum: & liceat ne laudare aliud, aliud ſequi.

CAP. VIII.

PEregrinatio ad tempus, homini praeſertim adoleſcenti, neque iniucunda, neque inutilis eſt, nam & novitas, ac varietas mirificam oblectationem habet: & qui mores multarum gentium novit, magnum ſibi

ad prudentiam inſtrumentum comparavit. Sed plaerique iuvenum hodie, qui longinqua itinera ſuſcipiunt, multaſque regiones perluſtrant, id ſibi fere unum ſtudio habent, ut quo quaeque urbs loco ſita ſit, cuius generis aedificia habeat, quae in quaque ſit mercium, ceterarumque rerum ad explendas cupiditates accommodatarum copia, cum domum redierint, narrare aequalibus poſſint: quibus legibus, atque inſtitutis temperata ſit, quibus magiſtratibus utatur, quomodo ea quae ad ſe conſervandam utilia ſunt, perſequatur, declinetque contraria: horum omnium ne cogitationem quidem ſuſcipiunt ullam. Et tamen nihil prodeſt multa loca vidiſſe, niſi harum rerum notitiam adiunxeris. Praeclareque de Ulyſſe Homerus.

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Urbes, inquit, *multorum hominum vidit, ingenia naturaſque cognovit*. Quae re ipſa diſtincta ſunt, ea diſtinxit etiam verbis. Negligentius Horatius.

Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Urbes etiam a praetereunte videri poſſunt: mores cognoſci, niſi adhibita cura & ſtudio, non poſſunt. Solon, Pythagoras, Plato, aliique olim magni ac praeſtantes viri, eo conſilio peregrinati ſunt, ut quam maximam ſibi talium rerum ſuppellectilem compararent. Quamquam enim ut in aliena domo, ſic aliena rep. negant, curioſum eſſe oportere, haec tamen, quam dico, curioſitas & privatim ſemper, & publice utilis fuit. Aliam quandam rationem, ſecutus eſt Plato, qui huius generis peregrinationes, neque, niſi magiſtratus permiſſu, neque, niſi a quinquageſimo uſque ad ſexageſimum aetatis annum ſuſcipi voluit: quod probarem & ipſe, ſi qua uſquam civitas, qualem ipſe deſcribit, reperiretur. Nam quid ille verebatur, ne alienigenarum hominum multitudine in provinciam aliquam confluente ibique ſedes figente, & adoleſcentibus, quorum impro-

improvida aetas ad libidinem plaerumque quam ad virtutem pronior eſt, extra patrios fines vagantibus, externa potius vitia importarentur, quam domeſtica tollerentur: hunc metum ipſius non vanum fuiſſe, ſatis declarant eae gentes, quae, cum multa ſaecula floruiſſent, nunc in exitium ſuum verſae, peregrinis potius moribus laborant, quam ſuis. Sed, ut me ad propoſitum, referam, cum & utilis & iucunda ſit bene inſtituta peregrinatio; tranquillam tamen& quietam vitam amantibus, domi vivere iucundiſſimum eſt *οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος*, dixiſſe ait teſtitudinem Aeſopus. Quid ſenex ille, an corporis oculis captus, neſcio, mentis certe oculo Lynceus?

Οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι,

Ubique enim ut vafer quidem & improbus, ſed politus & urbanus ſcriptor ait Lucianus, *ἀκαταφρόνητον πρᾶγμα ὁ ξένος*. itaque in illa aurea aetate, ſi qua poetis fides, nemo peregrinabatur,

Nullaque mortales praeter ſua littora norant.

Equidem afficior intimis ſenſibus; cum illud Claudiani poemation lego, quo Senex ille Veronenſis deſcribitur, qui numquam e patriis finibus exceſſerat: de quo vere & eleganter idem poeta:

Erret & extremos alter ſcrutetur Iberos,
Plus habet hic vitae: plus habet ille viae.

Praeclareque Horatius:

Romae laudetur Chios, & Samos, & Rhodos abſens.

Sed, ut aliud ex alio; quid eſt, quod longinquas ſive urbes, ſive inſulas, laudari iubet, adire vetat? Certe enim hoc dicit. Laudato peregrinationes; ſed ipſe te domi contineto. An aliud laudare iubemur, aliud ſequi? At aliud in ore, aliud in pectore habere turpiſſimum eſt. Et tamen multa alia ſunt, poetarum: ut illud Heſiodi, laudandam eſſe parvam navim: ſed merces in magnam imponendas, & hoc Virgilii,

——*Laudato ingentia rura :*
Exiguum colito .

Et hodie in Italia uſitatum eſt ſimile proverbium agricolarum . Laudandos montes : ſed a planitie non recedendum . Capitale in eodem genere illud Sophoclis : laudandam iuſtitiam : ſed haerendum lucro :

τὰ μὲν
Δίκαι' ἐπαίνει, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου .

A quo praecepto etiam improbiſſimi, verbo,re & factis, ne ii quidem,qui boni viri habentur,omnes abhorrent. Numquid igitur , ut aliam veſtem domeſticam habemus , aliam forenſem : ita alia aliis laudabimus, alia ipſi conſectabimur ? An hoc potius ſignificant vetera illa poetica proverbia : cum ſaepe variae, ac multiplices ſint hominum ſententiae,ita ut eadem alii laudent, alii vituperent , graveſque interdum inimicitiae ex eiuſmodi diſſenſionibus oriantur: debere nos ſinere unumquemque iudicio ſuo uti : & potius quam ullam dimicationem aut contentionem ſuſcipiamus , laudare iudicium ipſius: ſed tamen id quod optimum eſt , ſequi ? Ita mihi quidem videtur . Et cetera quidem hoc ſenſu accipi queunt : Sophocleum illud non poteſt : neque alia ratione ſummum poetam defendi poſſe arbitror , quam ut dicamus eum habuiſſe rationem decori, & ſententiam protuliſſe convenientem ei perſonae , quae tum loquens iudicaretur .

Ciceronis Divinatione in Verrem locutio contra Aſconii Paediani ſententiam defenditur.

CAP. IX.

PRincipium divinationis in Verrem hodie in omnibus vulgatis libris depravate legitur hoc , *Si quis veſtrum iudices , aut eorum qui adſunt , forte miratur , me, qui tot annos in cauſſis iudiciiſque publicis ita ſum verſatus,*

ut

ut defenderim multos, laeſerim neminem, ſubito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcendere: is ſi mei conſilii cauſſam rationemque cognoverit, una & id quod facio probabit, & in hac cauſſa profecto neminem mihi eſſe proponendum actorem putabit. Manavit autem error ab Aſconio Paediano, qui, cum in veteribus libris legeretur *Deſcenderim*, putavit, ſpeciem eſſe ſoloeciſmi, niſi aut aliquid adderetur, aut pro *Deſcenderim Deſcendere* legeretur: quomodo & quoſdam legere affirmat. Sed hoc ab Aſconio (quae enim invidia eſt, vera proloqui?) incogitantius dictum eſt. Nulla enim hic neque umbra neque ſpecies ſoloeciſmi eſt. Fefellit eum, quod putavit verbum *Miratur* abſolute poſitum eſſe, & illud *Me*, coniungendum cum iis, quae ſequuntur, quod ſi eſſet, omnino legendum eſſet, *Deſcendere*. Sed non ita eſt, imo vero illud *Me* coniungendum eſt cum verbo *Miratur*: quod ſi feceris, omnis illa falſa ſoloeciſmi ſpecies ſomniorum in morem evaneſcet. Ita enim locutus eſt Cicero, ac ſi quis diceret. *Aſconium miror qui aliis in rebus tam accuratus fuerit, in hac tam pueriliter erraverit. Miror te, qui heri tantum biberis, hodie tam mane ſurrexeris. Miror te, qui ſemper antehac tibi praeclare moderatus ſis, hodie continere te non potueris, Miror Ciceronem, qui ſemper uſque huc defenderit, nunc ſubito mutata voluntate ad accuſandum deſcenderit.* Hoc ego non aliam ob cauſſam notandum putavi, quam quod tam multos Aſconii auctoritate in eundem errorem pertractos eſſe mirabar.

Ciceronis e Lucullo lectio defenſa, de Herculis ſagittis ex Euripide.

CAP. X.

NOn abſimili modo conatus eſt homo eruditus, & hac aetate τῶν φροντιδόντων, locum Ciceronis e Lucullo mutare, qui tamen mutationis illius nihil indi-

gebat, recteque & emendate ſcriptus omnibus in libris circumferebatur hoc modo.. *Quid apud Euripidem Hercules, quum, ut Euryſthei filios, ita ſuos configebat ſagittis, quum uxorem interimebat, quum conabatur etiam patrem?* Hinc enim cenſuit is quem dico, tollendam eſſe particulam *Ita*, motus ea ratione, quod Hercules apud Euripidem in ea fabula nuſquam Euryſthei filios confixiſſe dicatur, ſed ſuos: quos inſania correptus putabat eſſe Euryſthei filios: quod ut probet, quaſi valde dubium, adducit etiam Euripidis verſus. Atqui ὦ γαθὲ quod tu dicis, id ipſum Cicero dicit: tuque dum, ut corruptum, ita integrum & vitio carentem locum emendare conaris, oſtendis te aliud egiſſe, cum illa ſcriberes. Non enim hoc ſignificatur, confixos eſſe ab Hercule ut Euryſtei filios, ita etiam ſuos: ſed ita confixos ſuos, ut ſi Euriſthei, quod ille inſaniens putabat, filii fuiſſent. Equidem ſi quis hoc modo loquatur: Socrates capitis damnatus, ut mulſum, ita hilaris obduxit venenum: non ita accipiam, ut & mulſum & venenum a Socrate epotum putem: ſed eadem hilaritate obductum ab eo venenum, ac ſi mulſum fuiſſet. Sed ne optimi quidem iaculatores ſemper collimant.

Lyſiae laudatio eorum qui Corinthiis opem ferentes occubuerunt, locis aliquot emendatior.

CAP. XI.

SI putarem fore ut optimi ſcriptores, Graeci praeſertim, qui ab optimis & accuratiſſimis typographis editi iam ſunt, vivo adhuc & ſpirante me, denuo ederentur: nihil fortaſſis neceſſe haberem, quae in eis depravata video, quomodo emendanda putem, in hos libros referre; ſatiſque haberem ea novas editiones adornantibus indicare. Sed cum & aetas me iam id ſperare prohibeat; & literarum Graecarum ſtudia, ſaltem

in

in Italia: nam de aliis gentibus nihil affirmare poſſum, ita quotidie refrigeſcere videam, ut exiſtimem a nova praeſtantium librorum editione librarios emtorum raritate deterritum iri; non puto me perperam facere ſi optimam quamque editionem cum iis libris, quibus adoleſcens utebar, conferens, ubi quid a me notatum video quod & alicuius momenti, & ab eis tamen omiſſum ſit, communicandum id cum ſtudioſis putem. Neque me illud movet, quod proſpicio fore, ut huius generis ſcripta ſordeant ac negligantur, ſimul ac quis e ſingulis capitibus pauca quaedam, quae in hoc, aut illo nobili ſcriptore emendantur excerperit, non enim gloriae ac nomini meo, ſed ſtudioſorum utilitatibus ſervio: quibus cum hi qualeſcumque libri mei utiles eſſe deſierint, dum ſemel profuerint, quo minus in perpetuum abiiciantur, non recuſo. Interea cum veteres illos & ſapientiae, & eloquentiae laude ita floruiſſe videam, ut neque a me, neque a quoque eorum, qui nunc ſunt, a me quidem certe minime omnium, quidquam ſcribatur quod vel κατ' ὄναρ ad illorum praeſtantiam accedat, malo ceteris, quoad poſſum, viam ad eos facilius intelligendos ſternere, quam ſcribere quae parum cauti, novitatis ſtudio allecti, illis omiſſis, legant. Ut enim dictum eſt a nobili poeta, *moribus ac viris antiquis rem Romanam ſtare*, ita libris & ſcriptoribus antiquis veram ac ſolidam eruditionem ſtare dicamus licet:

Vino qui utuntur vetere, ait quidam, *ſapientes puto,*
Et qui veteres ſpectant libenter fabulas.
Nam nunc novae quae prodeunt Comoediae,
Multo ſunt nequiores, quam nummi novi.

Id leviter inflexum od omne prope genus librorum accommodari poteſt. Et tamen, quod mihi interdum riſum, interdum ſtomachum movet, obſcuri homunciones reperiuntur, qui nobiliſſimos quoſque ſcriptores, quoſque tamquam in coelo, ut ita dicam merito collo-

carunt, in ordinem cogere, & de eis adverſus tot ſaeculorum ſententiam iudicare audeant. Alius Homerum damnat, alius in Virgilio multa reprehendit, alius praecepta Horatii de arte poetica irridet, alius Ovidium neſciſſe ait Latine loqui, quaſi nos hodie, quid ſit Latine loqui ſciamus: alius alia, quorum me pudet, pigetque. Miſeri, quanto melius facerent, ſi ad eos intelligendos, & ad virtutes eorum penitus cognoſcendas, & quantum cuiuſque vires ferunt, imitandas ſtudium conferrent, quam nunc, canum Lunam allatrantium more, ad quos adſpirare non poſſunt, eorum famam lacerare contendunt. Neque negaverim, eſſe & in veteribus, quae culpari poſſint, homines enim fuerunt; ſed ut in formoſis corporibus naevos notamus, non propterea totam formam deſpicimus, ſic & in illis, ſi qua non placent modeſte notanda, non ipſos tribu movendos cenſeo. Modeſta iudicia fero, impudentiam & arrogantiam non fero. Sed ſentio me longius provectum, quam propoſueram. Ac vereor interdum, ne noſtra haec dicaci cuipiam videantur eſſe ex genere Macrocephalorum, quibus caput toto reliquo corpore longius eſſe dicitur: ſic enim & nobis prooemium ſaepe longius eſt, quam cantilena. Sed ſuum cuique vitium. Senes interdum natura loquaciores ſumus. In hanc, qua modo uſus ſum, φλυαρίαν neſcio quo modo, incidi, cum conſtituiſſem emendata locis aliquot ex pulcerrima & ornatiſſima oratione Lyſiae, qua eos laudavit, qui Corinthiis opem ferentes occubuerant, quam quidem orationem, ut & ceteras ὄρχαμος τυπογράφων ita emendatam edidit, ut tamen aliorum induſtriae aliquid reliqui fecerit. Sub principium igitur, ubi ita ſcriptum eſt, ἱκανὰ δὲ καὶ τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἐξῆν εἰπεῖν, pro ἐξῆν legendum ἐξεῖναι. mox, ἐν τοῖς τεθνεώτων ἔργοις adde articulum, ut ſit, ἐν τοῖς τῶν τεθνεώτων ἔργοις. deinde Αμαζόνες μὲν γάρ. Dele illud μὲν & ſtatim, μόναι δὲ ὡπλισμέναι, ſcribe,

μόναι

μόναι μὲν. Paulo poſt καὶ ἔργῳ μὲν τοὺς περὶ αὐτὰς καταδεδουλωμέναι. lege τὰ περὶ αὐτάς. ut referatur ad illud quod anteceſſit, πολλῶν ἐθνῶν. Sed & ubi eſt, τὰς ἐπὶ τῷ πολέμῳ τύχας, libri veteres habent, ἐν τῷ πολέμῳ. Sed haec levia illud gravius, quod, ubi eſt, ἀλλ' ἐκείνοις μὲν ἀντὶ τῆς εὐσεβείας τὴν αὐτῶν ἀρετὴν ἐπεδείξαντο, legendum eſt, τῆς ἀσεβείας. Illam autem impietatem dicit, qua Thebani impedire volebant, ne interemtorum corpora ſepelirentur. Paulo infra legendum, ἐκείνοις δὲ οὐκ εἰδότες & de liberis Herculis, Τοσοῦτον δ' ἀτυχέστεροι παῖδες ὄντες ἐγίγνοντο τοῦ πατρός. expuncta particula δὲ: eſt enim ἐπιφώνημα, ut

Tantae molis era Romanam condere gentem.

Et ſimile aliud hac ipſa in oratione legitur: At ubi eſt, μόνοι γὰρ ὑπὲρ ἁπάσης τῆς ἑλλάδος πρὸς πολλὰς μυριάδας τῶν βαρβάρων διεκινδύνευσαν, alibi libri pro, μόνοι, habent μύριοι, & utraque ſcriptura defendi poteſt. Nam & decem millia Athenienſium fuiſſe conſtat: & ſolos dimicaſſe quamquam mille Plataeenſes adfuerunt, etiam Demoſthenes in epitaphio dicit: ἐκεῖνοι γὰρ ἐξ ἁπάσης τῆς ἀσίας στόλον ἐλθόντα μόνοι δὶς ἠμύναντο καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν. Quo fit ut apud Lyſiam quoque libentius legam μόνοι,& δὶς ἐκινδύνευσαν quam διεκινδύνευσαν: Locus autem qui ſequitur, in omnibus editis libris & mutilus & corruptus eſt hoc modo: ἄνδρες δ' ἀγαθοὶ γενόμενοι, καὶ τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες, ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς φιλοψυχήσαντες, καὶ μᾶλλον τοὺς παρ' αὐτοῖς νόμους αἰσχυνόμενοι, ἔστησαν μὲν τρόπαια ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος τῶν βαρβάρων ἐν τῇ αὐτῶν, ὑπὲρ χρημάτων εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἐμβαλόντων παρὰ τοὺς ὅρους τῆς χώρας. Multa hic & gravia peccata ſunt: quae tollentur omnia, ſi veteres membranas ſecutus, ita legas: ἄνδρες δ' ἀγαθοὶ γενόμενοι, καὶ τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐ φιλοψυχήσαντες, καὶ μᾶλλον τοὺς παρ' αὐτοῖς νόμους αἰσχυνόμενοι ἢ τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους κίνδυνον φοβούμενοι, ἔστησαν μὲν τρόπαιον ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος τῶν βαρβάρων ἐκ τῆς αὐτῶν χώρας ὑπὲρ χρημάτων εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἐμβαλόντων παρὰ τοὺς ὅρους Οὕτω δὴ ταχέως, & quae ſequuntur. In ſequen-

quentibus pauca ſunt, neque magni momenti quae omittam. In iis autem quae expoſui, nullam mihi ingenii aut εὐστοχίας laudem appeto: ſunt enim omnia e duobus veteribus libris, altero Veneto, altero Vaticano.

Roma cur, & a quo orbis compendium dictum. Gregorii XIII. Pont. Laus.

CAP. XII.

IN excerptis e primo libro Deipnoſophiſtarum Athenaei legimus non aberraturum, ſi quis urbem Romam epitomen totius orbis vocaverit: quod & Romam ex omnibus terrarum partibus longe plurimi confluunt, & quicquid uſquam viſendum, ac ſpectabile eſt, Romae ſpectari poteſt, quam laudem etiam hodie poſt tot Barbarorum inſultus, tot ſtrages, tot direptiones, *aeterna urbs*, ut eam veteres vocarunt, magna ex parte retinet. Ut nunc quoque cum Propertio vere dicere liceat:

Omnia ſunt pariter rerum miracula Romae,
Natura hic poſuit, quicquid ubique fuit.

Atque haud ſcio an unquam eam epitomen orbis, aut communem patriam verius vocare licuerit, quam hoc tempore, cum Gregorius XIII. Pontifex Maximus incredibili animi magnitudine & depraedicanda omnibus ſaeculis in univerſum hominum genus caritate, Hebraeorum Chriſtianam religionem ſuſcipere volentium, Graecorum, Armeniorum, Germanorum, Britannorum collegia inſtituit, magnifica eis, ubi habitent, aedificia extruxit, reditus, quibus alantur, attribuit, templa ingentia poſuit; ut ſingulari temporum noſtrorum felicitate, ſacroſanctum Chriſti nomen ac numen omnium populorum linguis, ac ritibus una in urbe celebretur. Cuius Pontificis inexhauſta, & indiſeſſa liberalitas orbis noſtri finibus non contenta penetravit

etiam

etiam ad gentes veteribus incognitas, & noſtro primum ſaeculo repertas, conſtitutis quaternis nummorum aureorum millibus, quae quotannis uſque in Iapponem ad ſuſtentandos eos, qui coeleſti doctrina populos illos imbuerent, mitterentur. Hoc eſt vere communem omnium paſtorem, vere Chriſti vicarium eſſe. Sed ad laudes illius pleniore ore celebrandas alius mihi, ſi Deus volet, conſtitutus eſt locus. Nunc quod dicere coeperam, cum Athenaeus non indicarit, quis e veteribus *Romam epitomen τῆς οἰκυμένης* vocaſſet, viſum eſt monere, eius appellationis auctorem fuiſſe oratorem Polemonem, ut teſtatur Galenus commentario primo in Hippocratem de *Articulis*.

Neque vivus neque mortuus ſum: a pluribus uſurpatum eſſe.

CAP. XIII.

QUod apud Euripedem in Supplicibus, mulier nobilis, ſortem ſuam deplorans, ait, ſe iam *neque in vivis, neque in mortuis poſſe numerari*, id a Dante poeta Etruſco in magni timoris ſignificatione poſitum eſſe, dicit Victorius cap. XXI. libri XXXI. variarum lectionum. Quamquam autem, quod tantum acumen in eo dicto ſit, curve id tantopere admirari debeamus, non video, ſaepe enim & homines, neque ingenioſos, neque eruditos, & mulierculas ita vulgo loquentes audivi: qui tamen vir eruditiſſimus tanti eſſe, duxit; notabo ego quoque a Plauto in Curculione eodem modo loquentem virginem induci. Verſus Plautini hi ſunt:

Ego pertimeſco, tum ibi me neſcio quis arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam, nec mortuam.
Nec quo me pacto abſtulerit, poſſum dicere.

Hoc quoque, & ſi ſtipula levius, notetur in illis Euripi-

dis verſibus, non δυσνοώτατος legendum, ſed δυσνοωτάτη. Sic enim paulo poſt, ἀριθμουμένη & ἔχουσα.

In Plauti Poenulo notata non pauca.

CAP. XIV.

IN Poenuli Plautinae prologo quaedam notare conſtitui. Statim autem in ipſo limine duo vetera exemplaria, quae habeo, variant. In uno eſt:

Achillem Ariſtarchi mihi imitari lubet.

In altero, ut in editis, *commentarii*: quod ſi retineamus, ſcribendum, ut puto erit *Achilem* unico l: ut verſus conſtet. Sic ſaepe aupud Graecos ἀχιλεὺς, & ὀδυσεὺς, quod ſi quis etiam Latine ſcribens imitari audeat, equidem non reprehenderim. Secundum verſum ita legendum arbitror.

Inde mihi principium capiam ex Tragoedia.

Nam ut vulgo legitur, *ex ea Tragoedia*, non video, quomodo verſus conſtare poſſit. Quod autem ſervos vel ſedere vetat, vel aes pro capite dare vult; eo pertinet, quod ſubſellia quaedam erant, quae ab iſtis hiſtrionibus locabantur: pro quibus mercedula ſolvenda erat, ſi quis in eis ſedere vellet. Quas autem *ſcribilitas* Plautus, eas Martialis συγκεκομμένως *ſcriblitas* vocat.

Circumlata diu menſis ſcriblita ſecundis.

Sed quid eſt, quod ait, velle ſe ad argumentum remigrare, cum eius nullam prorſus partem attigiſſet? Nimirum *remigrare* hoc loco nihil aliud eſt, quam *migrare & tranſire*. Sic *reddere* interdum quidem eſt quod *dare*. Celſus Iuriſconſultus. *Verbum reddendi* inquit, *quanquam ſignificatum habet retrodandi: recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem*. Plautus Pſeudolo;

Hercle haut te ſinam emoriri, niſi mi argentum redditur.

Sic *redire* dicitur *haereditas*, quae tum primum defertur. Terentius,

Ea ad hos redibat lege haereditas.

Cato de re ruſtica: *Nunc ad rem redeam, quod promiſi, inſtitutum principium hoc erit*. Salluſtius de bello Iugurthino: *Verum ego liberius altiuſque proceſſi, dum me civitatis morum taedet pigetque. Nunc ad inſtitutum redeo.* Et tamen in id nondum ingreſſus erat. Sequitur;

Eius regiones, limites confinia.

Determinabo, ei ego tum factus finitor.

Ubi Ioachimus, & eum ſecutus Lambinus notant, *finitor*, legendum eſſe penultima brevi, quod certe non pro cetera earum rerum ſapientia ſua dixerunt. Nam & *auditor & amator*, qui correpta penultima enuntiet, ſi cui riſum debebat, illo ſe aere alieno exſolverit. Quanto ſatius mutare ordinem vocum: ut ſit,

——ei ego finitor factus ſum.

Paulo poſt autem ſuſpicor legendum.

Latine Plauti Poenulus pultiphagonidae.

Se ipſum enim, non Poenum illum pultiphagonidem vocat. Venuſtiſſime autem illud,

Voſmet nunc facite coniecturam ceterum,

Quid id ſit hominis, cui Lyco nomen ſiet.

quaſi ex cuiuſque nomine de moribus coniectura fieri poſſit. Sic in Bacchidibus:

Adeon' me fuiſſe fungum, ut illi crederem?

Cum me ipſum nomen eius Archidemides

Clamaret, demturum eſſet ſi quid crederem.

Sic ex nomine *Verris* augurabantur homines fore, ut ab eo Sicilia verreretur. Quin etiam qui hodie criminalia iudicia exercent; in torquendis reis, interdum ex nomine ipſo coniecturam capiunt:

Ubi quamque eſt in urbem ingreſſus.

Melius videtur, quod in uno e meis eſt, *Uti quamque in urbem ingreſſus*. Ille quoque verſus,

Dat aurum, ducit, noctem rogat, poſt ibi:

Neque numeris ſuis conſtat, & abſurdam ſententiam

continet

continet. Quid enim opus eſt, ut qui aurum dedit, & duxit, noctem poſtea roget? At in meis rectiſſime hoc modo,

Dat aurum: ductat noctem: rogitat poſt ibi,
Unde ſit.

Haec quanquam pauca, non uſquequaque tamen Plauti amatoribus ingrata erunt.

In eadem Comoedia difficilis nodus explicatus, Seſamum & papaver.

CAP. XV.

In eadem fabula adoleſcens amore perditus, cum amicae verba audiret, ac ſibi, eis audiendis mel, ut aiunt lingere videretur, *Obſecro*, inquit, *ut mulſa loquitur?* Tum vafer ſervus dominum irridens,

Nihil, inquit, *niſi laterculos*,
Seſamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.

Quae verba ita exponit interpres. *Servus Milphio ad ſpectatores converſus, plane contraria Adelphaſium loqui reſpondet, quam dicat herus eius Agoraſtocles, nempe dura, & iniucunda omnia. Laterculos, id eſt, parvos lateres.* Addit ex Dioſcoride, *Seſami* eſum nocere ſtomacho: & poſtremo ea omnia eſſe palato iniucunda. Non potuit, ſi maxime voluiſſet a Plauti ſententia longius aberrare. *Laterculi*, placentulae erant a figura vocatae quibus ſapa admiſcebatur, ut ex Catone notum eſt. Sed hoc, ut opinor, faciebant parci, & reſtricti patresfamilias: nam ab elegantioris palati hominibus melle condiebantur. Apuleius libro 10. *Panes, cruſtula iucunculos, hamos, laterculos plura ſcitamenta mellita.* Vulgo tamen male *lacertulos* legunt, literarum ſede mutata. Sic alias quaſdam ab *orbiculari figura globulos vocabant.* *Seſamum autem vel principem locum* obtinebat inter bellaria, ut ex Athenaeo & Polluce notiſſimum eſt. Papaverem

verem quoque ex eodem numero fuiſſe, vel ex Petronio diſcere poterat, cuius haec verba ſunt: *Mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque tanquam papavere & ſampuſcho ſparſa*. Iam ex tritico multa placentarum genera, & olim fiebant & hodie fiunt; & ut amygdalae, ſic & nuces frictae ex melle in ſecundis menſis apponebantur. Sic circer frictum, ſic fabam frictam ex melle edebant. Dulcia igitur enumeravit Servus, non hero contraria locutus eſt.

Plautina formula, Haud vidi magis.
CAP. XVI.

Genus quoddam loquendi eſt ironicum, quo utebantur cum oſtendere volebant id quod dixiſſet alius ſibi non probari: neque ita eſſe ut ille dixiſſet. Dicebant igitur, *Haud vidi magis*. Quare Milphio cum ſe pridie ab hero, qui tum ſibi blandiretur, valide vapulaſſe dixiſſet: reſpondiſſetque adoleſcens, quod per amorem feciſſet, ſibi ignoſci aequum eſſe: ſubiicit ſervus, *Haud vidi magis*, quae verba noſter ita interpretatur. *Haud vidi quenquam qui magis amaret, quique magis amore immenſus, in ſervos ſaeviret*. At ego haud vidi quenquam, qui aut ſaepius aut longius a Plauti ſententia aberraret. Hic quidem perinde eſt, ac ſi diceret irridens ſervus: *Nihil vidi unquam aequius*: cum ex contrario intelligi velit, iniquiſſimum eſſe. Sic in Amphitruone:

Exſpectatus ne advenio?
SO. haud vidi magis.

Exſpectatum, eum ſalutat magis haud quiſquam, quam canem, & in Captivis:

At etiam te ſodalem ſuum eſſe aiebat.
TUND. haud vidi magis.

quos locos cum hic noſter ſatis commode interpretatus eſſet, in hoc ad ingenium rediit.

Poe-

Poenulus Plauti contra atque a Turnebo explicatur.

CAP. XVII.

IAm Plautum e manibus poſueram, cum inſpicere volui, ut plaerumque ſoleo, numquid eorum, quae a me notata erant, alii occupaſſent. Sed ea mihi ipſa res plures ex Poenulo locos ſtrictim attingendi occaſionem dedit: quos ab eruditiſſimo viro Turnebo ita explicatos reperi; ut facere nullo modo potuerim, quin teſtificarer, quantum ab eo diſſentirem, iure an iniuria, lectorem iudicem facerem. Turnebi igitur verba ſunt,

Scitum eſt per tempus, ſi obviam eſt verbum vetus: vel ut alii legunt, ſi obviam it, quo ſenſu dictum eſt? opinor ſignificari verba vetera, id eſt, proverbia & ſententias, ſcita eſſe, cum tempeſtive uſurpantur. Verbum autem vetus eſt, quod ante Agoraſtocles dixerat deberi ei libertatem & grates gratias. Si Turnebum igitur ſequamur, illius verſiculi ſententia erit, proverbia & ſententias conciliare orationi gratiam, ſi tempeſtive adhibeantur. Et ita, Milphio, quaſi quidam dicendi magiſter, herum ſuum docebit, ſcite & eleganter loqui, eique de proverbiorum uſu praeceptum rhetoricum tradet. Bene ſane. Sed quodnam illud eſt proverbium Turnebe? *Deberi*, inquit, *ei libertatem & grates gratias.* Ignoſce quaeſo, tarditati meae, nam neque hic proverbium, neque ſententiam ullam video. Sequar igitur interea veterem librum meum, in quo eſt:

Scitum eſt, per tempus ſi obviam is: verbum eſt vetus. quod ita interpretor. Tu mihi ſaepe blandiris, ſaepe gratiam deberi agnoſcis, ſaepe libertatem daturum polliceris: ſed iſtaec omnia verba ſunt. Nihil enim praeſtas praeter pugnos, quibus ſaepe me pectis. Atque hi quidem

quidem ſolvuntur praeſenti pecunia in probo & aſpero: illa autem blandidica dicta in diem differentur. *Verbum autem vetus eſt, Scitum eſt, per tempus ſi obviam is*. id eſt, Scitum atque elegans eſt, cum quid promiſiſti, ne exſpectare quidem dum rogeris: ſed ſuo tempore occurrere, atque obviam ire & promiſſa patrare: quod tu non facis. Dixi quid mihi videatur. Nunc lectores in conſilium mitto. Sequitur alius locus, de quo Turnebus,

Primae ut inferremus ignem in aram.

In membranis pervetuſtis reperi

Prima cum ut inferremus . . .

ut ſit, *prima cum*, pro, cum prima luce, quod genus loquendi apud Nonium in quodam auctore me legiſſe recordor.

Sint illae membranae per me vel Ogygiae, nunquam propter eas adducar, ut verſum corrumpam; qui, ſi eas ſequare, corruit. Eſt enim Trochaicus, ut ceteri. Retinebo igitur vulgatam ſcripturam, quae ipſa quoque carioſas & edentulas chartas auctores habet. Nunc & alia.

In iiſdem, ait Turnebus, *membranis erat*,

Ego faxo ſi non irata es, ninnium pro te dabit.

Sat ſcio, ninnium equuleum interdum Graecis ſignificare: ſed puta tamen ſcribendum eſſe, numulum pro te dabit, id eſt, te pecunia ſua liberabit.

Ego vero hic neque ninnium, (quid enim huc equuleus pertinet?) neque nummulum lego. Si nummulo uno liberari potuiſſet Adelphaſium, non diu ſerviiſſet. Dixerat paulo ante Agoraſtocles ſibi domi eſſe ſexcentos nummos Philippos. Retineo igitur hic quoque vulgatam ſcripturam, quae ne ipſa quidem fugientium & exoleſcentium librorum teſtimonio deſtituta eſt.

AD. Ego faxo, ſive MIL. irata es nimium, argentum pro te dabit.

Minatur enim puella amatori ſuo. Ego, inquit, faxo,

 ut

ut eum poeniteat, quod mihi verba tandiu dederit ſine modo. Tum ei Milphio, ut iuſſus erat ſublanditur. *Argentum* autem *dare pro aliquo*, aut *pro capite alicuius*, unde ἀργυρώνητοι ita eſt in frequenti uſu apud comicos, ut putidum ſit exempla congerere Ait Turnebus. Lego etiam,

Qui bene volunt, bene vis item.

non ut vulgo, bene viſitent. Ego vero hac in parte popularis ſum,& vulgus ſequor. Hoc enim quaſi proverbium eſt: *Qui bene volunt, bene viſitent*; id eſt, ita viſitent quos amant, ut eis boni aliquid faciant, non, ut eos verbis inanibus paſcant; quod tu facis. Haec quoque ita lego, longe aliter, quam Turnebus,

Atque hic ne me verberet, (illud faciet, niſi te propitio)
Male formido.

Nam quod ille ſecundarum partium in his omnibus Turnebo accinit, non huius facio. Turnebum miror: Cerritos miror quidquam unquam pro ſano loqui.

Duorum rurſum in Poenulo locorum, explanatio, & acceſſio.

CAP. XVIII.

PAene me iam Poenulus delaſſavit, ſed ſatius eſt ſemel defungi, quam quidquam reliquiarum facere. Adoleſcens impatiens morae, advocatorum, quos ſecum ducebat, tarditatem accuſans, ita loquitur.

Ne quidquam hos procos mihi elegi, loripedes, tardiſſimos.

Quod Turnebus ita accipit ut ſubſit irriſio: quod ſenes ſint, nec ea aetate qua procos quis ſuis filiabus deligere debea. Ego vero contra ſentio: & procorum nomine intelligo adoleſcentes, ea aetate, ut de uxore ducenda cogitare poſſint. Adoleſcens enim, qui properaret,ſenes ſibi advocare noluerat: adoleſcentes ſumſerat, ſed id ſibi nihil profuiſſe dicit; cum prae mollitia & de-

liciis,

liciis, ob id enim eos *procos* vocat, nihilo celerius incederent, quam ſenes. Idque ipſe ita perſpicue dicere videtur, ut mirer, non dico Turnebum, hominem perſpicaciſſimum, & erudiriſſimum, ſed quemquam omnino fuiſſe, qui aliter accipere potuerit. Verſus hi ſunt,

Atque equidem hercle dedita opera amicos fugitavi ſenes,
Scibam aetate tardiores, metuo meo amori moram.
Nequicquam hos procos mi elegi, loripedes, tardiſſimos.

At id per ſe videre quilibet duntaxat non tardiſſimus potuit. Hoc quod ſubiungam, non item, ubi enim & in Iocahimi, & in Dionyſii libris ita legitur:

Potare, amare volt, ne qui ſciant.

Deeſſe aliquid ad verſum, nemo eſt, quin ſentiat. Sed unam modo aliquam vocem deeſſe facile quis crediderit; cum tamen duo propemodum verſus deſiderentur. Ita enim eſt in veteribus meis,

Potare amare volt. LT. locum lepidum dabo.
AD. At enim hic clam furtimque eſſe volt, ne qui ſciant.

Verbum, *volt*, non longo intervallo bis poſitum, errori occaſionem obtulit. Sunt & alia multa in hac ipſa fabula, quae corrigendo deteriora facta ſunt. Sed ego mihi iam uno in diverſorio nimis diu videor commoratus.

Seneca emendatur. Suetonius in Caligula ex Homero illuſtratur.

CAP. XIX.

Rectiſſime & veriſſime iudicarunt duo ſingulare viri Victorius & Turnebus, apud Suetonium ins Caligula legendum eſſe.

Ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σέ.

eodemque modo apud Senecam, ſub finem libri primi de ira. Sed quia is Senecae locus nondum plane perpurgatus eſt; ſubiiciam eum, & paulum quiddam,

 quod

quod in eo adhuc reſidet & obſcuritatis & vitii, ſi potero tollam. C. *Caeſar*, inquit, *iratus coelo, quod obſtreperet pantomimis, quos imitabatur ſtudioſius, quam ſpectabat: quodque comeſſatio ſua fulminibus terreretur, prorſus parum certis, ad pugnam vocavit Iovem, & quidem ſine intermiſſione, Homericum illum exclamans verſum,*

Ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽ ἢ ἐγώ σε.

Parum certa vocat *fulmina*, iocans *quomodo parum certas ſagittas* dicimus, quae non attingunt ſcopum Ovidius.

Certa quidem noſtra eſt: noſtra tamen una ſagitta
Certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.

Parum certa igitur fulmina, quae ipſum Caligulae caput non tangerent, quod unum petere debere videbantur. *At aliud ſine intermiſſione* plane depravatum eſt: neque dubium quin legendum ſit *ſine miſſione*. Vocabant autem *pugnam ſine miſſione*, cum gladiatores ea lege deſcendebant in arenam, ut neutri fas eſſet petere miſſionem, ſed neceſſe haberent, uſque eo dimicare, dum alter caderet, quod optime verſui Homerico congruit. Sic apud eruditum in primis & venuſtum ſcriptorem Appuleium: *Proeli are*, inquit, *& fortiter proeliare*. Et paulcis interiectis, *Graſſare gnaviter, & occide moriturus, hodierna pugna non habet miſſionem.*

Xenophontis libri primi Anabaſeos locus non ſatis fideliter ob erudito interprete redditus.

CAP. XX.

NON fraudabo gloriola ſua ſcito & eleganti praeditum ingenio puerum M. Antonium fratris mei filium, qui hodie iuſſus a me Xenophontis primum anabaſeos conferre cum interpretatione Romuli, cum alia ſatis multa notavit ab interprete partim omiſſa, partim negligentius reddita, tum hoc, quod mihi animadverſione dignum viſum eſt, cum & inſigne ſit, ne-

que

que ab optimo typographo, qui tamen notandis Romuli erratis ſatis alioqui diligens fuit, animadverſum. Xenophon enim, cum, expoſita Cyri morte, de moribus & ingenio ipſius, ut ſolet, differeret, multaque argumenta colligeret, quibus oſtenderet eum multitudini eximie carum fuiſſe, hoc quoque inter cetera utitur, quod quamvis ipſe fratris ſervus foret, nemo tamen, deſertis ipſius partibus, ad fratrem transfugerit: cum multi contra quotidie a Xerſe deficerent, ſeque in Cyri caſtra conferrent. Unum excipit Orontem, qui conatus ſit a Cyro transfugere, ſed conatum illum infauſtum ei atque infelicem fuiſſe. Καὶ οὗτος δὲ, inquit, ὃν ᾤετο πιστὸν οἱ εἶναι, ταχὺ αὐτὸν εὗρε Κύρῳ φιλαίτερον ἢ ἑαυτῷ. quae verba ita interpretatur Romulus: *Quem tamen Rex, dum ſibi fidelem putat, Cyro paene quam ſibi amiciorem invenit*. Atqui nihil minus dicit Xenophon, quam quod eum Romulus dicentem facit. Neque de rege loquitur: ſed eum cui uni ex omnibus plurimum fidei Orontas habebat, repertum eſſe dicit Cyro, quam Orontae amiciorem. Literas enim quas ad regem de proditione ferre iuſſus erat ad Cyrum attulit: atque ita proditione detecta, Orontas capite poenas luit. Hoc, cum & ad hiſtoriae varietatem vel maxime pertineret, & mirante me, a puero nondum duodecim annos nato ſagaciſſime animadverſum eſſet, dignum, quod adſcriberem, iudicavi.

MARCI ANTONII MURETI
VARIARUM LECTIONUM
LIBER DECIMUS OCTAVUS.

De vocalibus eleganter diſputatum, ex Platone & Plutarcho, de E, & O. Athenaeus lib. 10. *caſtigatus.*

CAP. I.

A Re tenui huius libri principium ducam: ſed quae cognita, & voluptatis, & utilitatis aliquid habitura eſt: Aliud eſſe literarum nomina, aliud cuiuſque literae vim ac poteſtatem omnes, opinor, ſciunt. Et omnes quidem conſonantes nomina habeant, neceſſe eſt. Vis enim & poteſtas ipſarum, niſi aliqua vocali addita, neque plane exprimi, neque percipi poteſt. Itaque apud Latinos earum nomina ſunt. Be, Ce, De Ef, & ſimilia. Vocalium apud Latinos quidem nomina nulla ſunt, ſed mera ac nuda ipſarum poteſtas eis pro nomine eſt. Merito. Poſſunt enim per ſe, &, ut ita dicam, ἄζυγες pronunciari. Graeci tamen etiam vocalibus quibuſdam nomina indiderunt, aliis breviora, aliis longiora; duabus tantum vim ac poteſtatem ſuam nominis loco eſſe voluerunt. Nam *Alpha* quidem, & *Iota*, & *Eta* manifeſto literarum nomina ſunt. Duae quoque vocales natura breves, cum per ſe nimis exiles viderentur, & pluſculum temporis

poris in eis appellandis ponendum eſſet, ſortitae ſunt, non nomina quidem proprie, ſed tamen quaedam quaſi nomina, neque ea, quibus hodie Grammatici utuntur, qui Epſilon & Omicron vocant: ſed alia. Nam E quidem EI, O autem OY veteres nominabant. Sed & e conſonantibus *San* vocabant, quae hodie *Sigma* dicitur. Vetuſtiſſimi autem neque Eta, neque eam quae hodie *Omega* dicitur in uſu habebant, ſed aut ipſis brevibus earum loco utebantur, aut brevibus geminatis, longitudinem indicabant, quod & figurae ipſarum demonſtrant. Nam ſi duo E adverſis frontibus ſcribas, eaque inter ſe coniungas hoc modo EƎ, deletis poſtea tranſverſis lineolis quarum altera in ſummo altera in imo eſt, habebis H. Sed & O productum ita ſignificabant ∞ unde eſſectum eſt ad ſcribendi celeritatem illud quo hodie utimur ω. Y autem & Ω non, ut hodie Ypſilon & Omega, ſed ſimpliciter Y & O nominabant. Plato in Cratylo: *τῶν ϛοιχείων, οἶσθα, ὅτι ὀνόματα λέγομεν, ἀλλ᾽ οὐκ αὐτὰ τὰ ϛοιχεῖα, πλὴν τεττάρων, τοῦ ε καὶ τοῦ υ, καὶ τοῦ ο, καὶ τοῦ ω. τοῖς δ᾽ ἄλλοις φωνήεσί τε καὶ ἀφώνοις, οἶσθα ὅτι περιτιθέντες ἄλλα γράμματα λέγομεν, ὀνόματα ποιοῦντες.* Longum eſſet totum locum adſcribere, plura qui volent, ab ipſo petant. In eodem dialogo ait, quoſdam e veteribus dixiſſe *ἱμέραν*, quae poſtea *ἡμέρα* vocata ſit *Ἔρος* quoque fuit, qui poſtea *Ἔρως*. *τῷ γὰρ ο*, inquit, *ἀντὶ τοῦ ω ἐχρώμεθα.* Et in eodem, *οὐ γὰρ η ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ε τὸ παλαιόν*. Sed & ante repertum ω, ſcribebant *τοῖ λαοῖ*, pro *τῷ λαῷ*, *τοῖ λόγοι*, pro *τῷ λόγῳ*, & cetera eodem modo. Unde apud Euripidem in Phoeniſſis *σοῖ νιν ἐκγόνοι*, pro *σῷ ἐκγόνῳ*, quod qui non intelligebant, fecerunt, *σοί νιν ἔκγονοι*. Cum autem quod nunc Epſilon dicitur, id veteres ut dixi, EI, nominarent: factum eſt, ut litera illa in templo Apollinis Delphici conſecrata, multis eruditorum hominum diſputationibus celebrata ſit: quae cognoſci poſſunt ex Plutarchi libro *περὶ τοῦ Ε τοῦ ἐν Δελφοῖς*: unam enim literam

fuiſſe, & apertiſſime ex eo libro περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, ubi ita legitur: εἰ δὲ τὸν θεὸν ἐκβιβάζομεν ἑνὸς κόσμου διὰ τί πέντε μόνον ποιοῦμεν οὐ πλειόνων, δημιουργόν, καὶ τις ἔστι τοῦ ἀριθμοῦ τούτου πρὸς τὸ πλῆθος λόγος ἥδιον ἄν μοι δοκῶ μαθεῖν, ἢ τοὺς ἐνταῦθα τοῦ Ε καθιερώσεως τὴν διάνοιαν. Cumque item quod nunc vocamus Omicron, ipſi vocarent OY, ea fuit una litera, qua Lacedaemonii Philippo regi reſponderunt: οὐ, ut quidam inepte ſomniant: quae nota nuper inventa, non litera eſt, ſed O, cuius nomen negandi vim habebat. Et ita intelligendus Auſonius:

Uno fuit tantum, qua reſpondere negantes,
Litera, & irato regi placuere negantes,

Et rectiſſime in divina Apocalypſi, Ego ſum Alpha, & O, nam parvam quidem o vocabant OY, ultimae autem literae idem nomen & poteſtas erat. Itaque nihil neceſſe eſt Latine loquentibus addere illud, *mega*. Libet hic adſcribere verba Euſtathii e principio Commentarii in quintum Iliados, quibus haec confirmantur: Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ ἔ στοιχεῖον ΕΙ ἔλεγον οἱ παλαιοὶ προστιθέντες τὸ ἴ, ἵνα τῇ διὰ διφθόγγου ἐκτάσει δύνωνται περισπᾶν καὶ αὐτὸ καθὰ καὶ τἄλλα στοιχεῖα. τοιοῦτον δὲ ποιοῦσι καὶ ἐπὶ τοῦ μικροῦ ό. καὶ ἐκεῖνο γὰρ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν οὖ λέγουσιν. His de rebus exſtant verſus Calliae apud Athenæum libro decimo, ſed mirabiliter depravati, quos ut partim ex veteri codice, partim etiam coniectura ductus legendos putem, exponam, ſi prius breviter eorum ſententiam expoſuero. Inducitur mulier alias mulieres Grammaticam docens, quae primum quidem eas monet primam vocalem vocandam eſſe *Alpha*: ſecundam autem EI tantum, at tertiam non ſimpliciter vocandam E ſed Eta. Tum interrogat eam una ex diſcipularum numero, num quarta quoque vocalis ita ſimpliciter vocanda ſit, ut ſonat, cui reſpondet magiſtra, non ſuo tantum ſono vocandam, ſed *Iota*. Interrogata rurſus de quinta, reſpondet eam vocandam eſſe OY, at ſextam vocari tantum V, & ultimam Ω, & ſic eſſe

ſeptem

ſeptem vocales, ſed in metris tantum. Nam ε & η ο & ω tempore tantum differunt, ceteroqui ſunt eadem. Addit denique, eam, cum haec ſemel dixit, denuo repetere, ut magis in animis diſcipularum infigantur. Verſus hi ſunt,

Ἄλφα πρῶτον ὦ γυναῖκες, ΕΙ τὸ δεύτερον μόνον
Χρὴ λέγειν. Τρίτον δὲ μόνον οὐ χρὴ λέγειν, ἀλλ᾽ ΗΤ᾽ ἐρεῖς.
Ἀραφήσω καὶ τό τε ταρτὸν αὖ μόνον; Οὐκ ΙΩΤΑ γοῦν.
Τί δὲ τὸ πέμπτον, Πέμπτον, ΟΥ. τὸ δ᾽ ἕκτον Υ μόνον λέγε.
Λοίσθιον Ω τῶν ἑπτὰ φωνῶν ἑπτὰ δ᾽ ἐν μέτροις μόνον.
Καὶ τοῦτο λέξας, εἶτα δὶς ταυτὶ λαλεῖ.

Quinque verſus ſunt trochaici, quibus unus ſenarius iambicus ſubiungitur.

Loci duo Athenaei integritati reſtituti.

CAP. II.

Libet & alios quoſdam emendare: ac primum eum, qui haud longe a principio huius ſermonis de griphis legitur, quo mulier quaedam apud Comicum Alexin ſomnum obſcure deſcribens inducitur.

Οὐ θνητὸς, οὐδ᾽ ἀθάνατος, ἀλλ᾽ ἔχων τινὰ
Σύγκρασιν ὥστε μήτ᾽ ἐν ἀνθρώπου μέρει
Μήτ᾽ ἐν θεοῦ ζῆν, ἀλλὰ φύεσθαί τ᾽ ἀεὶ
Καινῶς, φθίνειν τε τὴν παρουσίαν πάλιν
Ἀόρατος ὄψιν, γνώριμος δ᾽ ἅπασιν ὤν.

Hi duo poſtremi verſus in omnibus Athenaei editionibus deſiderantur; qui tamen ſunt in veteribus libris: & leguntur apud Euſtathium. Eſt & valde corruptum diſtichon, quo Apollo ipſe, ubi & qua matre genigitus ſit, exponit. Legendum autem hoc modo,

Ἐν φανερᾷ γενόμαν, πόντος δέ μου ἁλμυρὸν ὕδωρ
Ἀμφὶς ἔχει, μήτηρ δ᾽ ἐς ἀριθμοῖο πάϊς.

In eodem libro, in extremo, exagitat Athenaeus turpe quoddam & flagitioſum genus quaeſtionum, quae ſua

ſua tempeſtate in conviviis proponi ſolebant, indicatque alias elegantiores, & liberaliter educatis hominibus digniores, ex quibus & voluptas percipi, & ſimul quam diligenter quiſque in ſtudiis verſatus ſit, intelligi poſſit. Sed ſimilitudo duarum vocum, παιδιὰν & παιδείαν induxit librarios, effecitque ut in vulgatis libris locus hic ita decurtatus legatur: ὥστε τὴν παιδείαν οἰκειότητος. cum legendum ſit: ὥστε τὴν παιδιὰν μὴ ἀσκεπτον ἔσαν μηνύματι γίγνεσθαι τῆς ἑκάστου πρὸς παιδείαν οἰκειότητος. Huius generis multa admodum in Athenaei libris emendata iampridem habeo. Diligenter enim Venetiis primum, deinde Romae totum illum ſcriptorem cum libris veteribus contuli. Sed in eis proferendis ero parcior: quod & a diligentiſſimo typographo novam Athenaei Graecam editionem adornari audio: & ſcio eſſe in Belgio hominem eruditiſſimum, qui ſtudium in eo emendando poſuerit, eumque a ſe Latine incredibili felicitate redditum brevi editurus ſit. Illorum igitur induſtriae plaeraque omnia integra ſervare malo.

Elegans Horatii locus de Ira, ex vetere libro reſtitutus.

CAP. III.

QUi irati ſunt, eos apud ſe non eſſe, & exiſſe ex poteſtate dicimus, & a furioſis atque amentibus tempore tantum differre. Itaque cum ad ſe redierunt, paenitet plerumque illos eorum quae per iram fecerunt; eaque, ſi poſſent, infecta redderent. Hoc ita expreſſit Horatius in Epiſtola ad Lollium,

——Qui non moderabitur irae;
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens.
Dum paenas odio per vim feſtinat inulto.

Sed ille συνδιασμὸς doloris & mentis mihi ſemper viſus eſt ὑποσόλοικος: neque unquam ſatis intelligere potui,

quo-

quomodo quae facta eſſent per iram, ea mens ſuaſiſſe diceretur : cum, ut furioſi, ſic irati mente minime omnium utantur. Neque tamen quidquam mutare audebam, donec in vetuſtiſſimo libro Vaticano aperte, & ſine ullo liturae veſtigio ita ſcriptum reperi.

Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit amens.

Amens profecto ſit qui hanc ſcripturam vulgatae non anteponat.

Dolus alius bonus, malus alius apud Iuriſconſultos.

CAP. IV.

Quod Iuris ſtudioſi notant, alium *bonum dolum* eſſe, & alium *malum*, idem Graeci quoque Grammatici docent ad illum Homeri e ſecundo Illiados locum, ubi Agamemnon ſe a ſummo Iove dolo malo in fraudem inductum conqueritur :

Ζεύς με μέγα Κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ,
Σχέτλιος, ὅς πρὶν μέν μοι ὑπέσχετο, καὶ κατένευσεν
Ἴλιον ἐκπέρσαντ᾽ εὐτείχεον ἀπονέεσθαι
Νῦν δὲ κακὴν ἀπάτην βουλεύσατο.

Bonus autem dolus eſt, qui prodeſt ei ipſi qui decipitur : ut ille, quo medicos abſinthia pueris propinantes uti ait Lucretius, & a tali dolo ne Deum quidem abhorrere Aeſchylus dixit.

Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

Et ita accipiendum illud Herodoti, ἔνθα χρή τι ψεῦδος λέγεσθαι, λεγέσθω. Plato quoque ita diſtinguit mendacia, ut quaedam utilia eſſe fateatur, & iis quidem qui praeſunt, licere putat in tempore adverſus eos, quibus praeſunt, mendacio uti : cum tamen idem iis, qui alieno imperio ſubſunt, adverſus eos quibus parent, licere non debeat. Sed & in bello laudantur ; qui hoſtem circumveniunt, dum ne quid adverſus fidem interpoſitam fiat;

& illa

& illa ſunt quae vocantur *ſtrategemata*. Et quod Homerus *doloſum* Ulixem vocat, ad commendationem ipſius pertinet, quod multa ſolerter & ingenioſe adverſus Troianos machinaretur.

Ariſtotelis locus I. *Phyſicorum ex Galeno emendatus, & auctus.*

CAP. V.

NObilis eſt, & celebratus Ariſtotelis locus e libro primo de Principiis, ubi ait, ſibi ſi ſummo iure agere velit, nihil cauſſae eſſe, cur adverſus Parmenidem & Meliſſum diſputet: ſibi enim inſtitutam eſſe diſputationem de principiis; at ab eis principia ipſa tolli. Nam cum eorum uterque unum modo eſſe ens diceret, quamvis ipſo nomine principium intelligeret, hoc ipſo tamen vim ipſam & negationem principii funditus evertebat. Ut enim pater intelligi non poteſt ſine filio: ut nugetur, ſi quis cauſſam aliquam eſſe dicat, quae tamen nullus rei cauſſa ſit, ita ridiculus eſt, qui dicit principium quidem eſſe, ſed praeter ipſum principium, nihil. Certe enim ſi principium eſt, alicuius aut aliquorum principium ſit, neceſſe eſt: quo poſito, ſequitur, ut plura ſint. Qui ergo dicit unum eſſe principium, & propter illud, nihil eſſe, compungit, quaſique comeſt ipſe ſe, & id ipſum quod ponere vult, eadem oratione labefactat. Omni autem diſputationi propoſitum eſſe debet aliquid de quo diſputetur: idque oportet conſtare eſſe, quomodo enim de eo quiſquam diſputet quid ſit, aut quale ſit, quod ſit nec ne ſit, ambigatur? Sed & cum id ipſum quaeritur, ſit ne aliquid, an ne ſit; convenire & conſtare oportet inter eos, qui diſputant, cuius vel rei, vel ſpeciei temere effictae vox illa, qua id appellatur, ſymbolum ſit. Ut, ſi quaeramus, ſit omnino Satyrus an non ſit, explicari

aliter

aliter diſputatio non poterit: quam ſi ponatur, ſive hoc animal, ſive hanc inani opinione conceptam animalis imaginem eſſe, quam Satyrum vocent. Ita quod ſit nec ne ſit, ambigimus; id ipſum, cum de eo diſputatur, eſſe quodammodo ponimus. Formarum enim inanium & commenticiarum, καὶ πάντων τῶν οὐκ ὄντως ὄντων αὐτὸ τὸ εἶναι, ut ſomniorum, nihil aliud eſt, quam ita in mente informari, ac concipi. Utitur autem Ariſtoteles, ad id quod agitur illuſtrandum, comparatione quadam Geometrae cum Phyſico. Nam Geometres, ſi quis neget vera eſſe, ea quae principio tanquam certa ab eo & explorata ponuntur, ut communes ſententias, poſtulata, finitiones, a quibus omnes Geometricae demonſtrationes, tanquam a quibuſdam fontibus manant: haerebit, ſiquidem artis ſuae finibus continere ſe voluerit; neque enim poterit ea demonſtrare, ut Geometres, quae in Geometria omnium prima ſunt. Ut igitur Geometres adverſum illum, qui tollit principia, non diſputabit, ita nec Phyſicus. Quod igitur adverſum eum, qui artis alicuius principia tollere conatur, perfugium eſt? Si qua ſit ars ſuperior, cui haec quae ita vexatur, proprie ſubſit, & ex qua pendeat; ab ea auxilium petimus. Exempli cauſſa, cum medicinae praecepta ita ex phyſicis apta ſint, ut ubi definit phyſicus, incipiat medicus, ſintque principia medicinae ea ipſa, quae concluſa ſunt a Phyſico: ſi medicinae principia negantur; a Phyſicis pentenda erit eorum confirmatio. Sic ſi negentur principia optices, ad Geometriam; ſi Muſices, ad Arithmetricen recurremus. Sin eiuſmodi nulla ſuccurret; ea imploranda erit, quae omnium ſuprema eſt, quam Plato *Dialacticam*, Ariſtoteles *primam philoſophiam* vocat. Neque inutilis ad hanc rem futura eſt, ea quoque quam Ariſtoteles *Dialecticam* nominat; quamque octo Topicorum libris complexus eſt: nam & ipſa de aliarum artium principiis

diſputat,

diſputat, ſed molliore, ut dicitur brachio, quippe quae probalitatem tantum conſectetur; cum illa altera ad veritatem ipſam dirigatur. Et hanc quidem fere Ariſtotelis eſſe ſententiam conſtat. Sed verba ipſius non omnes eodem modo legunt. Etenim in omnibus, quos ego quidem viderim, Ariſtotelis libris ita ſcriptum videas. ὥσπερ γὰρ καὶ τῷ γεωμέτρῃ οὐκ ἔτι λόγος ἐστὶ πρὸς τὸν ἀνελόντα τὰς ἀρχὰς, ἀλλὰ ἤτοι ἑτέρας ἐπιστήμης, ἢ πασῶν κοινῆς, οὐδέτω περὶ ἀρχῶν. Neque aliter legit rudis ille Latinus interpres, qui ita vertit. Sicut enim Geometriae non amplius ratio eſt, ad deſtruentem principia, ſed aut alterius ſcientiae, aut omnibus communis, ſic neque alicui de principiis. At apud Galenum libro primo de Elementis hoc modo: ὥσπερ γὰρ τῷ γεωμέτρῃ οὐκέτι λόγος ἐστὶ πρὸς τὸν ἀναιροῦντα τὰς ἀρχὰς. ἀλλὰ ἤτοι ἑτέρας ἐπιστήμης, ἢ κοινῇ πασῶν, οὕτως οὐδὲ τῷ φυσικῷ. Eſt autem non leve diſcrimen inter haec duo πασῶν κοινῆς & κοινῇ πασῶν. Illo enim ſignificatur ars aliqua, quae ad alias omnes permanet ac pertineat. At Galenus ad illam quidem communem artem refert id quod anteceſſit ἑτέρας ἐπιστήμης, hoc autem κοινῇ πασῶν ita accipit: omnes homines, cuiuſcunque artis ſcientiam profiteantur, quaſi coniuratione facta, concurrere debere ad oppugnandum eum, qui principia evertit, ut qui ipſam vitam evertere videatur. Idque aperte conſtat ex verbis ipſius, quae ſubiiciam,: τοῖς γὰρ ἀναιροῦσι τὰ ἐναργῶς φαινόμενα ἢ κοινῇ πάντας ἀνθρώπους μέμφεσθαι προσῆκεν, ὡς ἀνατρέπουσι τὸν βίον, ἢ τέχνην τινὰ ὑπὲρ τῶν ἀρχῶν ἀγωνιζομένην προσήσασθαι παρὰ τὰς κατὰ μέρος ἁπάσας. De his varietatibus ita cenſeo, ἀναιροῦντα, melius legi quam ἀνελόντα, ſive πασῶν κοινῆς, ſive κοινῇ πασῶν quis legat magnos habiturum ſententiae ſuae adſtipulatores: omnino autem melius legi, οὐδὲ τῷ φυσικῷ, quam οὐδέτω περὶ ἀρχῶν.

De Ciceronis e Philippicae ſecundae loco diligenter quaeſitum.

CAP. VI.

APud Ciceronem libro ſecundo Philippicarum locus eſt tentatus a multis eruditis, & ingenioſis hominibus, ſed a nullo tamen uſque adhuc integritati ſuae reſtitutus. Legitur autem in vulgatis libris hoc modo: *Veniſti e Gallia ad Quaeſturam petendam. aude dicere, te prius ad patrem tuum veniſſe, quam ad me.* Atque ego ante hos viginti annos cum Lutetiae libros illos a me purgatos edidi, ſecutus ſum vulgatam ſcripturam: quamvis in optimo libro, quo uſus eram ſcriptum reperiiſſem, *Ad parentem tuum*: quod illud *parentem*, eo quidem loco, ingenue ut loquar, mihi ſubineptum videretur, neque tamen celavi lectores, quid in optimo libro ſcriptum exſtaret. Faernus qui paulo poſt ipſe quoque eodem libro uſus, eaſdem orationes hic Romae edidit, veterem ſcripturam hoc quidem loco cum fide repraeſentavit. Exſtit poſtea homo ingenioſiſſimus & eruditiſſimus, qui de eo loco ſatis copioſe ſcripſit, neceſſariiſque rationibus pervicit neque *patrem*, neque *parentem* legi poſſe; quod neque de patre Antonii, neque de vitrico, neque de patruo, neque de quoquam ex fratribus dictum hoc intelligere liceret. Statuit igitur, legendum eſſe *ad matrem tuam*: idque ab aliis magno conſenſu probatum eſt. Magis autem confirmatus eſſet in illa ſententia, ſi veterem librum vidiſſet, quem ego poſtea nactus ſum, in quo legitur quidem *ad patrem tuum* : ſed ita ut manifeſto ex litura appareat, ſcriptum prius fuiſſe *ad matrem tuum*, deinde eraſa litera M, ſubſtitutam in locum illius literam P, ab aliquo videlicet, qui tam apertum ſoloeciſmum ferre non poſſet. Ego autem non dubito, quin duae po-

tius

tius literae adiungendae fuerint, ſcribendumque ad amatorem tuum: ut intelligamus Curionem, cuius impurae libidini pro ſcorto tunc erat Antonius. Atque hoc ita mihi perſpicue verum videtur, ut ne confirmandum quidem pluribus verbis putem. Certe Carolus Sigonius, cum ſententiam ſuper eo loco meam decem abhinc annos per literas exquiſiiſſet, ita eam probavit, ut ad me poſtea ſcripſerit, nihil ſibi videri potuiſſe rectius aut verius cogitari.

Alia item ex eadem oratione menda ſublata.

CAP. VII.

SUnt in Philippicis adhuc quaedam, quae & meam & Faerni diligentiam fugerunt; quae ut quodque occurrerit, notabo. Tale eſt illud e libro ſecundo. *Licinium Denticulam de alea condemnatum colluſorem ſuum, reſtituit: quaſi vero luderet cum condemnaret*, Ubi ita legendum eſt: *Licinium Denticulam de alea condemnatum, colluſorem ſuum reſtituit: non quaſi ludere cum condemnato non liceret*, &c. At Lambinus quam multa de ſuo addidit; neque mirum, non enim librariorum errata tollebat, ſed Ciceronem ipſum, ſi quando non ſatis commode locutus videretur, corrigebat. *Volumnia* autem *mima* de qua illic tam multa dicuntur, filia erat *Volumnii mimi*, quem ſecum in caſtris Antonius habebat, ut cognoſcitur ex Plutarcho in Bruto; & niſi me fallunt omnia, is ipſe eſt Volumnius, ad quem Cicero iocoſe & familiariter ſcribit libro ſeptimo Epiſtolarum, quae *Familiares* dicuntur, in extremo. At quod in eadem oratione legitur, *poſtea cultus ſum a te: tu a me obſervatus in petitione Quaeſturae;* ſemper mihi, ut iam tum teſtatus ſum, ſuſpectum fuit. Vix enim eſt ut eum a ſe Cicero obſervatum dicat, a quo ipſo coleretur: neque videtur par eſſe ut adeleſcentulum Quaeſturae candida-

didatum Conſularis ſenex, ea gloria, iiſque rebus geſtis obſervaſſe dicatur. Cum igitur in optimo quidem libro legatur *ovatus*, in altero autem meo deterioris notae *beatus*, verebar ne legendum eſſet *ſublevatus*. Ita certe loquitur Caeſar libro primo, de bello civili. *Quod in petitione Conſulatus ab eo erat ſublevatus*. Sed hoc meum quoddam ſomnium eſt, de quo verator, aut conjector aliquis iudicabit. *Charybdin* quandam in eodem libro eſſe Antonium dicit: aut certe cum Charybdi eum comparat. *Quae Charybdis*, inquit, *tam vorax?* Et fieri quidem poteſt, ut neminem in eo imitatus ſit. Sed tamen qui putet eum hoc ab Ariſtophane ſumſiſſe, non multum, ut opinor, erraverit. Sic enim & ille in Cleonem:

Παῖε, παῖε τὸν πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον,
Καὶ τελώνην καὶ φάραγγα, καὶ χάρυβδιν ἁρπαγῆς.

Elegans Platonis librorum de Rep. initium. Lyſiae ſtilus. Fabius Quintilianus correctus.

CAP. VIII.

IN ſcriptoribus pectendae ac comendae orationis ſtudioſis, ea ipſa nonnunquam, quae ſponte fuſa omnibus viderentur, ſummo ſtudio elaborata & expolita ſunt. Quod ego mihi ſaepe in Lyſia obſervaſſe videor: ut cum verbis plaerumque quotidianis utatur, ſtructura tamen & collocatio eorum nullo modo mutari queat, quin aliquid de gratia & ſuavitate orationis deteratur. Tantum apud peritos artifices in ipſo ſingularum vocum ordine, & coniunctione momenti eſt. Audivi a maximis viris, quique id facillime noſſe poterant, Ludovicum Arioſtum, nobiliſſimum nobiliſſimae domus praeconem, in duobus primis grandioris illius poematis ſui verſibus plus quam credi poteſt laboraſſe, neque ſibi prius animum explere potuiſſe, quam cum illos in

omnem partem diu multumque verſaſſet. Idem accidit & nobiliſſimo Etruſcorum poetarum Franciſco Petrarchae: cuius ex autographo, quod habuit vir praeſtantiſſimus Petrus Bembus, facile cernitur, eum in limando ſecundo item poematum ſuorum verſu ſaepe ſudaſſe. Sed hoc in poetis fortaſſe minus mirum eſt, qui verba dimetiuntur, omneſque lepores ac feſtivitates dicendi aucupantur, voluptatique Lectorum ſe vel maxime ſervire profitentur. Iuſtius id aliquis in Platone miretur, cuius poſt mortem repertas fuiſſe tabulas dicunt, in quibus principium librorum de Republica, quo nihil videtur eſſe ſimplicius, iiſdem vocibus, ſed alio atque alio ordine collocatis, ſaepius ab eo variatum viſeretur. Auctor huius rei Dionyſius Halicarnaſſeus, cuius verba ſubiiciam: Ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη πᾶσι γὰρ δήπου τοῖς φιλολόγοις γνώριμα τὰ περὶ τῆς φιλοπονίας τ' ἀνδρὸς ἱστορούμενα, τά τε ἄλλα καὶ δὴ, καὶ τὰ περὶ τὴν δέλτον, ἣν τελευτήσαντος αὐτοῦ λέγουσιν εὑρεθῆναι ποικίλως μετακειμένην τὴν ἀρχὴν τῆς πολιτείας ἔχουσαν τήνδε Κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος. Narrat idem & M. Fabius libro octavo Inſtitutionum, his verbis. *In ceris Platonis inventa ſunt quatuor illa verba, quibus in illo pulcerrimo operum in Piraeum ſe deſcendiſſe ſignificat, plurimis modis ſcripta.* Scio Fabii verba aliter in vulgatis libris legi: ſed ego meum ſecutus ſum, qui, ut carioſus mucidusque non ſit, eſt tamen,

Iam ſenior: ſed cruda libro viridiſque ſenectus.

Plautus Mercatore, locis aliquot reſtitutus & auctus. More maiorum, contra Alciati ſententiam. Tuis ingratiis.

CAP. IX.

ITerum mihi Plautus vocandus ad partes, & magna qui-

quidem gratia iis, qui eum tam multis corruperunt. Nam, abſque illis eſſet, ſaepe haec opera noſtra haereret. Nunc ut boni patres familias ſuccidiam domi paratam & ſuſpenſam habent, ex qua cenam petant, ſi quando ex macello non licet: ſic & nos, cum aliud deeſt, a Plauto petimus, quo has epulas inſtruamus. Hic igitur miſſus e Mercatoris prologo apparabitur. In quo hoc primum ferre non poſſum, quod is ipſe adoleſcens, cuius primae partes in ea fabula ſunt, fabulam eſſe eam confitetur, & tum Graeci, tum Latini poetae nomen eloquitur, & attentionem a ſpectatoribus poſtulat: quod & ſi aliis quoque locis factum a Plauto eſt, ex arte tamen non eſſe conſtat: neque cuiquam unquam excuſationi fuit, quod alias etiam ſaepe peccaſſet. Eodem iure in Ciſtellaria tum demum προὐλόγιζε, cum iam inter ſe multa locutae mulieres eſſent. Miror poſteaquam ſemel omnia audere coeperat, non exſpectaſſe aliquando, dum aulaea tollerentur: ut epilogus eſſet, non prologus. Si quis eorum, qui hodie comoedias ſcribunt, talia faceret, (de iis loquor, qui in eo poematis genere cum laude verſantur) ſibilis ſubſellia omnia circumſonarent. Sed Plautus dum diceret aliquid quod riſum moveret; quid ex arte, quid minus eſſet, non nimium laborabat. Multo nitidior Terentius, multo accuratior. Neque immerito fabulae ipſius a Laelio ac Scipione ſcribi putabantur Tertius verſus in uno ex meis ita legitur:

Non ego item facio, ut alios in comoediis
Vidi facere amatores.

neque tamen nego idem ut in aliis, legi poſſe. Sed certe hunc ita legendum arbitror:

Graece haec Philaemonis vocatur Emporos.

ne hic unus verſus inter tot rectos claudicet, in meis autem corrupte legitur, *matii*, pro quo legendum *M. Attii*, & nomen illud per T, non per C literam

 ſcribi

ſcribi oportet. Iam duo illi verſus,

Et hoc parum eſſe more maiorum inſtiti:

Per me percontatus, ſumque index illico;

ita ut eos ſcripſi, in meis libris leguntur. Sed aut mirabiliter corrupti ſunt, aut quod mihi veriſimilius videtur, aliunde huc invecti. Nulla certe ſententia, quae quidem huic loco conveniat, ex eis extundi poteſt: At noſter, Alciatum ſecutus, ita legit:

Meque haec pernoſſe more maiorum inſtiti

Per me percontatus ſum, ſinque indice aliquo,

& ita interpretatur, *Non coepi haec pernoſſe more maiorum, id eſt, indicibus auditis, ſeu per indices: Per me, hoc eſt, ſolus, ea perquiſivi, & ſine ullo indice.* Hic Alciatus quidem *apud Plautum*, inquit, *in Mercatore more maiorum cognoſcere, eſt, indicibus prius auditis, de re capitali cognoſcere, nec enim prius nomen cuiuſquam inter reos recipiebatur, quam indicium factum eſſet.* Quae per Deum immortalem, res capitalis hic agitur? quod iudicium exercetur? Quid huc mos maiorum pertinet? quid ullis indicibus opus eſt? Incautus adoleſcens, ſe cum Rhodum veniſſet, mulierculae amore captum confitetur. Et ait, ſi Alciatum auctorem ſequare, ſe adverſus morem maiorum feciſſe, qui per ſe haec perconatus ſit, ſine indice aliquo. Videlicet is mos maiorum fuit, ut adoleſcentes, quos amor meretricis alicuius cepiſſet, non per ſe id percontarentur, ſed exſpectarent indicem aliquem, antequam ipſis de ea re cognoſcere liceret. Quae iſthaec deliria ſunt? quae febricitantium ſomnia? En cuius reſponſa pro oraculis habere debeamus. Venio ad alia. In veteribus libris eſt, recte, ut puto,

Ineptia, ſtultitiaque adeo & temeritas.

Neque metuendum eſt verſui. Nam duae conſonantes a quibus vox ſequens incipit, producunt vocalem, quae anteceſſit ut ἔπεα πτερόεντα, & in illo Ennii,

Caeſa accidiſſet ad terram abiegna trabes.

Sic

Sic enim plane veteres libri : & in illo Catulli

Et inde tot per impotentia freta.

Et ſaepe alibi. Grammaticos autem non habeo nauci. qui ineptè ineptiam dici vetant, ineptias iubent : Magis me Terentius movet :

Ita me di ament, ut video ego tuam ineptiam.

Factum credo, ut habeas quicum cantites.

In illo Plautino verſu,

Principio atque animus ephebis aetate exiit.

Voces illae *atque animus*, delendae ſunt : ut quae huc e principio verſus ſequentis irrepſerint. Nam Lambinus, qui pro eis ſubſtituit, *ut animus*, occultavit vitium, non ſuſtulit. Et ridiculum eſt dicere animum exiſſe ex ephebis : quaſi animi quoque pubeſcant, ut corpora. Legendum autem,

Principio ut ex ephebis aetate exii.

Et ubi vulgo, *Summo haec clamore, interdum mihi ſe colloqui*, reponendum, e ſanctuariis, ait Turnebus bibliothecarum :

Summo haec clamore, muſſans interdum loqui,

Et paulo poſt, *Omnes temerent mutuitanti credere*. Sed & illud in veteribns hoc modo,

Omnes labores inveniſſet perferens.

Ut rectiſſime Scaliger ita legendum coniecerit. Nunc quod ſubiiciam tale eſt, ut non videar iniquus fore, ſi dicam, aliquid mihi pro eo a Plauti amatoribus debitum iri. Nam & verſum unum in integrum reſtituam, & alterum, qui iam pridem ab omnibus editis libris exſulat, Plauto ipſi reddam ac reſtituam. In libris Ioachimi ita legimus,

Convitium tot me annos iam ſi paſceret.

Quod niſi putaret, ne luberet vivere.

Lambinus emendat,

Convitium tot me annos iamſit paſcere

& ita exponit : *Se tot iam annos ſic paſcere me, per appoſitio-*

ſitionem convicium ſuum, hoc eſt, turpitudinem ſuam, & dedecus ſuum.

Deinde mutat, & confingit nobis novam vocem *commucium*; quam ait eſſe non omnibus auditam aut cognitam. Quod ego non tantum fateor: ſed illud etiam addo, eam ne ipſi quidem auditam aut cognitam fuiſſe, antequam eam cuderet. Ait autem ea ſignificari vibicem. In quo pugnare nolim. Nihil enim aequius, quam ut patres quae volunt filiis nomina imponunt, ita eum, qui vocem aliquam gignit, ipſum edicere; quid ea ſignificari velit. Sed cum *comulcii* nomen eadem forma percuſſum ſit, qua verbum *oxcolubrandi*, utrumque auctori ſuo diligentius excolubrandum relinquamus, cenſeo. Interea melius credemus veteribus membranis quae ſic habent:

Convicium tot ſe annoſiam mihi phaſcere.

niſi quod corrigemus ridiculum errorem librarii, qui ſcripſit *Phaſcere*, cum ſcribendum eſſet *Facere*. At alii dilita aſpirationis nota, fecerunt *Paſcere*. Statim autem poſt illum verſum, hic ſequitur.

Suiſque ingratiis me vitam agere perperam
Quod niſi puderet, ne luberet vivere.

Praeclare omnino eſt enim, *ſuis ingratiis*, ſe invito ac renitente ſe hac ipſa fabula:

nimis multum ſcis. Tuis ingratiis,

& in Caſina amborum ingratiis. Iam in illo verſu,

Ibi multo primum ſe familiarium,

& lex carminis, & vetus liber docet, pro, *primum* legendum, *plurimum*, & in illo,

Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis.

multo melius, quod in vetere eſt, *metes*, & illud,

Adeo dum, quae tum haberet, peperiſſet bona.

Ubi male vulgo, *quaeſtum*. Sed iam caput hoc nimis exercuit.

In

In Nonio Marcello emendati ſcriptores, Plautus, Varro, Cicero, Turpilius, Lucilius & Afranius.

CAP. X.

MUlta pridem notavi in Nonio: ſed pleraque ita mihi levia videntur, ut pigeat edere. Quia tamen multos eruditos homines his quoque leviculis delectari video, unum aut alterum apponam. In verbo *olivitatem*, citatur Varro *de republica* libro primo: cum legendum ſit *de re ruſtica*. Ibi autem, ut ſaepe, ineptus eſt in referendis Varronis verbis Nonius, qui quaedam quae ad mala Punica pertinent, ita coniungit cum iis quae ad oleas, ut ea ipſa quae citat, ab eo intellecta eſſe non putem. Ac putarem librariorum culpa id contigiſſe, niſi id ipſi Nonio non inuſitatum eſſe ſcirem. In verbo *curſus*, Plautinos verſus ita lego:

Pol ad cubituram, mater, magis tum exercita
A te, quam ad curſuram, eo ſum tardiuſcula.

In verbo *lanitium*, Laberianos hoc modo:

Nihil refert, e lanitia mollem Attica,
An ex hircorum pecore veſtitum geras.

In voce *mercatus*, verba Varronis, hoc modo. *Ubi tum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus.* Verſus Turpilii hoc modo:

Conſilium hoc cepi: literas miſi ad ſenem
Noſtrum proceſſe nobis ex ſententia
Mercaturam.

in verbo *capi*, non video quo colore defendere negligentiam ſuam poſſint, qui ſe Nonii emendatores profeſſi, paſſi ſunt, verba Ciceronis legi: *Non poſſum adduci & ſuſcipere pecunia captum.* Cum vel coeco perſpicuum ſit, legendum *Non poſſum adduci ut ſuſpicor te pecunia captum.*

In verbo *elidere*, lego, Lucilius Satyr. lib. II.

impuratum hunc

In fauces inuaſſe, animamque eliſiſſe illi.

Sed & illud nimis craſſae ac ſupinae negligentiae eſt, quod in verbo *offendere*, Plautinum verſum ita depravatum reliquerunt:

Eo more expergefactum adveniens tenebroſum offendi dominum.

cum in omnibus exemplaribus Plautinis recte legatur,

Eo more expertem te factam adveniens offendi domum.

In voce *ſpurcum*, verſus Afranii ita legendos ſuſpicor,

O dignum facinus adoleſcentes, qui optimas,
Bene convenientes concordeſque cum viris,
Repente viduas faciat ſpurcitia & probris.

Et mox in verbis Varronis *Lictorem*, non *Lectorem*. Piget plura addere. Ita mihi quo plura ſunt, eo minoris videntur.

Principem legibus ſolutum quomodo intelligendum ſit ex Platone diſputatum, qui & corrigitur.

CAP. XI.

IMproba olim & pernitioſa plurimorum animos occuparat opinio, id demum ius eſſe, quod utile foret potentiori: eaque diſerte ac copioſe a Thraſymacho apud Platonem defenſa, quamquam a Socrate poſtea refutata divinitus, ita firmiter tamen haeſit in potentiorum animis, ut propagata quaſique per manus tradita, & ſummo ſtudio retenta, ne nunc quidem eis facile detrahi poſſe videatur. Ac ſi quidem recte ut par eſt, intelligeretur, veriſſima & honeſtiſſima eſſet. Eadem enim prorſus eſt imperantum, & eorum quibus imperatur utilitas: neque poteſt quidquam a communi utilitate ſeiunctum, principi, qui modo nomen illud tueri

tueri velit, utile videri. Cum igitur quae iuſta ſunt, ex publica potiſſimum utilitate ſpectentur: vere Flaccus utilitatem *quaſi matrem quandam iuſti & aequi eſſe dixerit*, ſi hoc primum ponatur, nihil principi utile eſſe, niſi quod publice utile ſit; recte ex eo, non aliud eſſe ius, quam quod principi utile ſit, conſequetur. Sed plaerique potentium, quibus ab aliis occupationibus tantum otii non eſt, ut vacet iſta tam tenuiter acuteque rimari, in ſcholis iſta inter pueros, & inter homines a rerum agendarum ſtudio remotiſſimos iactari ſinunt: ipſi craſſius & ſimplicius philoſophantur: neque quod iuſtum eſt, id ſibi utile eſſe; ſed quod ſibi utile putant, idem iuſtum etiam eſſe concludunt. Utilitatem autem ſuam opum & potentiae magnitudine & nullis infrenata legibus explendarum cupiditatum licentia metiuntur. Neque ullam cantilenam aut ullum acroama libentius audiunt, quam leges ipſas dicere, principem legibus ſolutum eſſe, & valere iuſſis interpretibus quibuſdam nimio acumine moleſtis, qui dictum illud non tam late patere, ſed de certo quodam duntaxat legum genere accipi volunt, ipſi, ut leges condere, ita leges interpretari ſuum eſſe dicentes, omnibus ſe & humanis & divinis legibus ſolvunt. Atque ut Homerus aliis vocabulis *uti homines ait, aliis deos: ita iſti humani Ioves*, alio iure alios uti iubent, alio utuntur ipſi. Nec eadem ſunt earundem rerum vocabula. Quae vulgo *ſcortationes, adulteria, rapinae, caedes nominari ſolent:* eadem a quibuſdam *admiſſa, ludos, amores, delicias, & a magno* ac contumeliarum inſolenti animo profectas. *Ultiones* vocari videas. Silent inter iſta miſerae leges: &, ſi malo cavere velint, ipſae quoque tantum non aut muſſare aut adulari iubentur. Nam ut ad Olympi cacumen venti, ſic ad excelſa & in ſublimi poſita leges non perveniunt. Neque tamen negaverim, ſi princeps ſit, qualis eſſe debet, nullis eum legibus teneri. Oportet

tet enim principem omni virtute longe ac multum ſupra uſitatam conſuetudinem excellere; ut quantum inter paſtorem & pecudes intereſt; tantundem, ſi fieri poteſt, inter paſtorem populi & populum interſit. Qui ſi contigerit: Ariſtoteles quoque ipſe non diffitetur, utilius eſſe tali principi parere, quam legibus non omni humano conſilio adhibito poſitis gubernari. Leges enim una voce perpetuo loquuntur: at bonus princeps ſeſe ad varietatem caſuum, ut uſus poſcit, accommodat. Lege itaque nihil indiget: cum ipſe viva ſpiranſque lex ſit: *& iuſto legem poſitam non eſſe*, etiam libri illi a quibus omnis mendacii ſuſpicio remotiſſima eſt, docent. At improbo & tyrannico nihil minus expedit, quam legibus ſolutum eſſe Ut enim furioſis utile eſt alligari, & in manicis ac compedibus haberi, non ut reſipiſcant, ſed ut minus ſibi, minus aliis noceant; ita tyranno ipſi utile eſt legum vinculis adſtrictum teneri ac coerceri, non quo bonus fiat, neque enim poteſt: ſed ut illis quaſi cancellis ac repagulis concluſus, rabiem ſuam minore damno & aliorum & ſuo exerceat. Haec diſputantem Platonem Dionyſius iniquo animo tulit. Nec mirum. Ut enim pudicae mulieres quamlibet multa adverſus impudicitiam dici aequo animo ferunt: impudicae quidquid de toto genere dixeris, ad ſuam proprie contumeliam pertinere arbitrantur: ita boni principes aequis auribus, quae in malos dicuntur, accipiunt: quos ſcelerum ſuorum conſcientia ſtimulat, quamquam univerſe loquaris, neminem nominatim perſtringas, ſua quiſque hulcera illo ſale defricari putant. Sed quod de Platone dixi, iam enim ſatis ἱερλυάρησα, id cum apud Laertium ita legatur, ut etiam in optimis & a principe typographorum emendatis libris depravatum ſit, ita ſubiiciam, ut vulgo legitur: deinde ut mihi partim coniectura, partim veterum membranarum auctoritate freto, legen-

dum

dum videtur. Librorum igitur editorum ſcriptura heac eſt, ὁ δὲ διαλεγόμενος περὶ τυραννίδος, καὶ φάσκων ὡς οὐκ ἔστι τοῦτο κρεῖττον, ὃ συμφέρον αὐτῷ μόνον, εἰ μὴ καὶ ἀρετῇ διαφέροι, προσέρχεται αὐτῷ. In his nihil mutavit ὁ Στέφανος, niſi quod pro συμφέρον, ſcripſit συμφέρει. At in veteribus hoc modo, ὡς οὐκ ἐστὶ τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον, αὐτὸ μόνον εἶναι, εἰ μὴ καὶ ἀρετῇ διαφέροι. Ego ex duabus vocibus αὐτὸ μόνον, traiectis literis, unam facio, αὐτόνομον. In ceteris veterem librum ſequor.

Thetica, & Paradoxa an eadem ſint. Cicero contra Turnebi ſententiam explicatus.

CAP. XII.

SAepe audivi quaeri, quae dicerentur a Cicerone θετικὰ in praefatione paradoxorum. Et Turnebus quidem interpretatur ea, quae de toto aliquo genere differantur, nullis circumſcriptis perſonis, locis, temporibus. Notum eſt enim theſeon nomine quaeſtiones infinitas, hypotheſeon, definitas in ſcholis rhetorum intelligi. Mihi tamen hoc quidem loco ſemper probabilius viſum eſt, thetica & paradoxa eadem eſſe: ut hoc Cicero dicat, ſe ea ipſa quae vix in ſcholis audiri ſolent, ita abhorrent ab opinione communi, tentaſſe numquid dicendo poſſet efficere, ut in forenſes ac ſenatorias orationes includerentur, & illic etiam ineruditis hominibus probarentur. Theſis enim vocatur magni alicuius viri a communi hominum ſententia diſcrepans opinio: Ariſtoteles primo topicorum Θέσις δ᾽ ἐστὶν ὑπόληψις παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς κατὰ φιλοσοφίαν, οἷον ὅτι οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης. ἢ ὅτι πάντα κινεῖται καθ᾽ Ἡράκλειτον, ἢ ὅτι ἓν τὸ ὂν καθάπερ Μέλισσος φησιν. Idem 1. Phyſicorum, ὅμοιον δὴ τὸ σκοπεῖν εἰ οὕτως ἕν, καὶ πρὸς ἄλλην θέσιν ὁποιανοῦν διαλέγεσθαι τῶν λόγου ἕνεκα λεγομένων. Ita tamen meam ſententiam propono, ut eam Turnebi ſententiae non anteponam.

T. Lu-

T. Lucretii locus de noctibus ſerenis, alter item Plinii. Lucubrare quando optimum. Kalendis Ianuarii quid fieri ſolitum. Marcelli Corvini, & Gul. Sirleti Cardinalium laus.

CAP. XIII.

LUcretius libro primo cum oſtendiſſet ſummam difficultatem eſſe in philoſophia Latino ſermone explicanda, ut ſtudium ſuum Memmio magis commendaret, adiecit:

Sed tua me virtus tamen, & ſperata voluptas
Suavis amicitiae, quemvis efferre laborem
Suadet, & inducit noctes vigilare ſerenas.

Quibus in verſibus non iniuria quaeri poteſt, cur *ſerenas* potiſſimum *noctes vigilare* ſe dicat Neque enim perpetuum illud epitheton eſt: neque maius negotium videtur, vigilare noctes ſerenas, quam obſcuras, & caliginoſas. Sed certe, hyeme ut quaſdam noctes ſerenas eſſe fateamur,

——poſitas cum glaciat nives
Puro lumine Iuppiter.

Plaeraeque tamen nimboſae ac ventoſae, & turbidae ſunt. At aeſtate prope omnes ſerenae, & breves, & multa luce ſuffuſae. Cum igitur hyeme, propter longitudinem noctium, homines ſtudiis dediti & veſperi lucubrare, & mane, multo ante auroram radiorum ardentum indicem, librum cum lumine poſcere ſoleant: aeſtate tamen non multi reperiuntur, qui non illas breves ac contractas noctes integras dormiant. Idem veteres videlicet factitabant: neque antelucanam lucubrationem fere incipiebant niſi ſub finem Autumni. Iuvenalis,

————at nunc

Poſt

Poſt finem autumni, media de nocte ſupinum
Clamoſus iuvenem pater excitat. Accipe ceras,
Scribe puer.

Erat quidem in conſuetudine poſitum, ut de menſe Auguſto, Vulcanalibus lucubrare inciperent; ſed id tantum ἀφοσιώσεως χάριν plaerique faciebant; eodem plane modo, quo Kalendis Ianuarii ſuas quiſque artes modice attingebant, auſpicandi cauſſa.

Ovidius,

Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.

Ita Plinius iunior illum parciſſimum temporis diſpenſatorem, avidiſſimum librorum helluonem, avunculum ſuum, qui mihi videtur prope tot horas legiſſe aut ſcripſiſſe, quod vixit: eum igitur laudans: *lucubrare*, inquit, *a Vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa ſed ſtudendi*. Negat eum ita feciſſe, ut ceteri ſolebant, qui tunc lucis tantum cauſſa, incipiebant lucubrare; ac deinde id differebant ad finem autumni cum

Iam Phoebus breviore via contraxerat ortum
Lucis, & obſcuri creſcebant tempora ſomni.

At illum vero ac ſerio a Vulcanalibus incipere ſolitum. Lucretius igitur ſe dum munus illud ſuum Memmio concinnat, ait vigilare, & lucubrare non hyeme tantum, quod omnes faciunt, ſed etiam quod pauciſſimi, aeſtate, cum ſerenae plerumque eunt noctes. Eodem prope modo commendat Cicero Bruto libellum paradoxorum: *Accipies igitur*, inquit, *hoc parvum opuſculum elucubratum his iam contractioribus noctibus*. Hoc ego, quod mihi ſane acute atque ingenioſe animadverſum videtur, non ut meum profero: ſed ut acceptum ab illo vivo ac ſpirante muſaeo Gulielmo Sirleto Cardinali, οὗ καὶ ἀπὸ γλώσσης non melle tantum, ſed ambroſia dulcior manat oratio. Atque is hoc ſe olim audiviſſe dicit

ab eo quem ipſe praecipue colebat, cuique merito cariſſimus erat, Marcello Cervino Pontifice Maximo, cuius ſanctiſſimi & eruditiſſimi viri longiore pontificatu; Deus vitiis noſtris offenſus, indignos eſſe nos iudicavit.

Virgilium quod neque Homeri, neque Ciceronis meminerit ingratum videri.

CAP. XIV.

Καὶ τόδε φωκυλίδου: id eſt, eiuſdem illius Sirleti, à quo diſcere poteſt quiſque & quantum cupit, & quantum capit. Ita ſacrum illud os uberem perpetuo rerum ſcitu digniſſimarum copiam fundit. Praeſtantiſſimus Latinorum poetarum Virgilius videri non immerito poteſt duorum ſummorum virorum gloriae invidiſſe, Ciceronis, & Homeri. Nam cum tres poetas ſibi praecipue propoſuiſſet ad imitandum, Theocritum in Bucolicis, Heſiodum in Gregoricis, Homerum in Aeneide, duorum quidem priorum mentionem utcumque fecit. Nam & *Sicelidas muſas* invocavit, & illo verſu aperte ſignificavit Theocritum:

Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu
Noſtra nec erubuit ſylvas habitare Thalia

Heſiodum autem illo loco:

Hos tibi dant calamos en accipe, Muſae,
Aſcraeo quos ante ſeni, quibus ille ſolebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.

& rurſus illo,

Aſcraeumque cano Romana per oppida carmen.

At Homeri, cui tam multa debebat, quem prope totum compilarat, nulla uſquam mentio. Quin etiam cum odoratum illud Lauri nemus deſcriberet, in quo felices agebant pii vates & *Phoebo digna locuti* Muſaeum ante omnes collocat, Homerum ne nominat quidem.

Neque

Neque in Ciceronem aequior:

Excudent, inquit, *alii ſpirantia mollius aera,*
Orabunt cauſſas melius.

Cum tamen Cicero hanc gloriam Graecis praeripuiſſe crederetur. Apertius autem libro octavo, cum Catilinam appellaſſet,

——& te Catilina minaci
Pendentem ſcopulo furiarumque ora trementem:

cuius invidiae fuit, ſtatim ad Catonem tranſire: de Cicerone cuius virtute peſtis illa patriae oppreſſa erat, verbum nullum facere? Cuius ornandi nulla certe iuſtior eſſe potuit occaſio. His argumentis, fateor vix videre me, quid pro Virgilio reſponderi queat.

Xenophontis e tertio anabaſeos locus correctus & explicatus.

CAP. XV.

LUculenta eſt Xenophontis oratio, qua libro tertio anabaſeos milites cohortatur, ne concidant animis, etiam ſi multis magniſque difficultatibus confliƈtentur: eas enim omnes poſſe animi praeſentia, & virtute ſuperari. Summo autem artificio facit, ut eas ſingulas proponat ac refutet, quae univerſae debilitare atque infringere illorum animos poterant: ſingulae faciliores ad ſuperandum videntur. Atque a diis quidem exorditur eoſque ait, ſuis quidem, qui iuriſiurandi fidem ſervarint, aequos ac propitios: barbaris autem, qui eam pro nihilo putarint, ſaevos & infenſos fore. Deinde autem proponit eis maiorum exempla, qui parva manu magnas ſaepe barbarorum copias fuderant. Addit ne ipſos quidem parum dignos eſſe maioribus, cum ſuperioribus diebus, congreſſi cum ingenti eorundem barbarorum multitudine, nullo eos negotio profligarint. Quod cum feciſſent, pro Cyri imperio

rio ac potentia dimicantes, multo alacrius idem facere oportere, cum vita & ſalus ipſorum agatur: cumque praeterea experimento cognoverint ignavium barbo-rum, cuius antea periculum non fecerant. Neque quod a quibuſdam deſerti eſſent, quibus ſociis & adiutoribus Cyro vivente utebantur, idcirco eis pertimeſcendum: quod illi etiam in victoria, fugae auctores ac principes fuiſſent: cuiuſmodi homines in hoſtium caſtris, quam in ſuis videre praeſtet. Nam quod ipſi equitatu careant, quo hoſtes abundent: equos nihil aliud hoſtibus prae-ſtituros, quam faciliorem ac celeriorem fugam. Neque equos pugnare ſed homines; eoſque ipſos terrae ſolo, quam equi dorſo firmius & tutius niti. Iam ſi dimi-candum quidem, promto & alacri, inquit, animo eſtis, ſed illud vos angit, quod neque Tiſſaphernem amplius itineris ducem habebimus, neque rex nobis vendi am-plius iubebit ea, quae ad victum neceſſaria ſunt, cogi-tate quanto meliores itineris duces futuri ſint captivi quam Tiſſaphernes; & utrum optabilius ſit, magna vi pecuniae, qua plaerique noſtrum tenuiter inſtructi ſunt, paucos cibos mercari, an arbitrari ſuo pinguem, & re-bus omnibus abundantem hoſtilem agrum diripere ac depraedari. Quod ſi haec quidem meliora eſſe ſentitis, ſed flumina ne vobis obſtent veremini, ſcitote ea, quo quis proprius ad eorum fontes & capita acceſſerit, eo fa-cilius poſſe tranſiri. Haec omnia breviter propoſui, ut ex ipſa orationis ſerie magis intelligatur id quod ſequi-ritur depravatum eſſe. Legitur autem etiam in optimis libris hoc modo: Εἰ δὲ μήθ' οἱ ποταμοὶ διήσουσιν, ἡγεμών τε μηδεὶς φανεῖται, οὐδ' ὣς ἡμῖν γε ἀθυμητέον. Quae ita vertit Romu-lus: *Sed eſto, obſtant nobis fluminae: neque duces nanciſca-mur, non tamen idcirco animum deſpondere debemus*: Ego vero quid verba illa ſignificent, μήθ' οἱ ποταμοὶ διήσουσι, non video: non ſignificare id quae Romulus putavit, plane video. Ac ne longum faciam, ita apud Xenophontem legen-

legendum cenſeo : εἰ δὲ μήθ' οἱ ποταμοὶ διείρξουσιν, ἡγεμὼν δὲ μηδεὶς φανεῖται οὐδ' ὡς ἡμῖν γε ἀθυμητέον, ut ſit ſententia. Quod ſi videtis fore, ut ne flumina quidem itineri noſtro abſtatura ſint: ſed illud veremini, ne dux itineris nullus exſiſtat: ne ſic quidem animis concidere debemus. Cur autem ſic quoque bene ſperare debeant, ſtatim ſubiicit. Sed ita legendum, ut dixi, conſtare opinor ex iis quae anteceſſerunt. Sunt enim illa plane his gemina. εἰ δὲ ταῦτα μὲν γιγνώσκετε ὅτι οὕτω κρεῖττον, τοὺς δὲ ποταμοὺς ἄπορον νομίζεται εἶναι & paulo ſupra, εἰ δὲ δὴ τὰς μὲν μάχας θαῤῥεῖται, ὅτι δ' οὐκ ἔτι ἡμῖν Τισσαφέρνης ἡγήσεται, οὐδὲ βασιλεὺς ἀγορὰν παρέξει τοῦτο ἄχθεσθε. Quae qui diligenter inter ſe contulerit, ſpero fore, ut mihi aſſentiatur.

Gregorii Nazianzeni loci duo, partim e Luciano, partim ex Ariſtophane expreſſi,

CAP. XVI.

SCitum eſt notare & animadvertere, quomodo priſci illi eccleſiae Patres, quorum & pietas ac ſanctimonia, & eruditio atque eloquentia admirabilis fuit, e profanis ſcriptoribus accepta multa in meliores uſus converterint: ut nos quoque ad illorum exemplum ſtudia noſtra dirigere ac confirmare conemur. Qua propter proponam duos locos, in quibus Gregorius Nazianzenus, de cuius laudibus mihi tacendum puto; tum quia notiſſimae ſunt: tum quia nullum tam ſublime verborum genus reperire poſſum, quod non longe infra ipſius dignitatem iaceat; is igitur in oratione & eo qui laudat, & eo qui laudatur digniſſima qua Magni Baſilii laudes depraedicat, duos impuros quidem, ſed diſertos ſcriptores imitatus videtur. Principium enim divinae illius orationis hoc eſt, ἔμελλεν ἄρα πολλὰς ἡμῖν ὑποθέσεις τῶν λόγων ἀεὶ προτιθεὶς ὁ μέγας Βασίλειος, & quae ſequuntur. Eodem autem modo exorſus in Demonacte laudando

Lucianus, ἔμελλεν ἄρα μηδὲ ὁ καθ' ἡμᾶς βίος τοπαντάπασιν ἄμοιρος ἔσεσθαι ἀνδρῶν λόγου καὶ μνήμης ἀξίων. Ut fortaſſe non longe a vero aberraturus ſit, ſi quis ſanctiſſimum eundemque eloquentiſſimum virum a ſumme impio, ſed culto tamen ac polito ſcriptore aliquid ſumſiſſe credat. Alter quidem locus quem ex eadem oratione ſubiiciam, ex Ariſtophane manifeſto expreſſus eſt. Nam cum inveheretur Gregorius in pravam quandam conſuetudinem quae iam tum in eccleſiam irrepſerat, utinamque ad aetatem noſtram non perveniſſet, ut homines in eccleſiaſticis muneribus numquam exercitati, quique nullum inferioribus ordinibus ſui periculum feciſſent, primo ſtatim pedatu, per gratiam & malas artes, ad ſummum in eccleſia epiſcoporum munus promoverentur: probari ſibi ait nauticam legem, quae gubernatores futuros, prius diu remigare, ac deinde proretas eſſe iubet, quam eis in pupi ſedere & clavum tenere permittat. Ἐπαινῶ, inquit, τὸν ναυτικὸν νόμον, ὃς τὴν κώπην πρότερον ἐγχειρήσας τῷ νῦν κυβερνήτῃ, κἀκεῖθεν ἐπὶ τὴν πρῷραν ἀγαγὼν καὶ πιστώσας τὰ ἔμπροσθεν, οὕτως ἐπὶ τῶν οἰάκων καθίζει, μετὰ τὴν πολλὴν τυφθεῖσαν θάλασσαν, καὶ τὴν τῶν ἀνέμων διάσκεψιν. Ariſtophanis autem ſunt haec ex Equitibus:

> Ἐρέτην γενέσθαι πρῶτα χρῆναι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν.
> Κἄπειτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι, καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι,
> Κἄτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ.

Notat autem & Theon in ſcholiis ad eum Ariſtophanis locum, ex eo illa, Gregorium, quem tamen nominatim non appellat, hauſiſſe. Videlicet ut apes etiam ex amaris herbis ac floribus educunt aliquid, quo ad mel conficiendum utantur: ſic & talia ingenia etiam ex improbiſſimis ſcriptoribus aliquid quod proſit, excerpunt.

Virgilii IV. Aeneidos locus non recte a Servio explicatus.

CAP. XVII.

Mirificus homo interdum eſt Servius in ſenſis Virgilii explicandis: & quamvis inter Grammaticos, merito ſemper habitus eſt primae claſſis: eſt tamen, ubi de tuenda illa opinione non nimis ſollicitus videtur. Vel hos ex quarto Aeneidos verſus, quibus Dido verens, ne ſoror ſua ex illo immoderato retinendi Aeneae ſtudio, ſuſpicaretur fore id, quod evenit, ut ipſa eius abitum ferre non poſſet, ita eam affatur:

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre ſoror potero:

Eos igitur verſus quam abſurde interpretatur? Hanc enim ſententiam illorum eſſe dicit: *Si ſciſſem abiturum Aeneam, non tantum diligerem. Si non dilexiſſem, minus dolerem. Si potui, autem, pro, ſi potuiſſem*, & ſic eſt dictum, ut

Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.
Ac ſi diceret, nihil mihi novum contingeret.

Haec Servius: quibus vix a ſententia Virgilii excogitari poſſe quicquam alienius puto. Ego hoc Didonem ſentire exiſtimo. Non eſt, quod metuas, ſoror, ne ego hunc etſi acerbiſſimum dolorem, ſi ſe obduret Aeneas, perferre non poſſim. Cum enim eum dolorem ſperare, id eſt ſpectare potuerim, neque me ipſa illius iam iamque imminentis exſpectatio ad quidquam in me durius conſulendum adegerit: quam acerbitatem forti animo exſpectare potui, eandem magno ac forti animo, ſi neceſſe fuerit, perferam. Sed tamen ne ullam eius retinendi rationem intentatam relinquam; tribue hoc mihi, ut ad eum adeas, eique, ſi potes, perſuadeas, ut diſceſſum ſuum uſque eo ſaltem differat, dum tem-

peſtas commodior ſit ad navigandum. Neque vero leve argumentum eſt quo utitur Dido, ut oſtendat ſe dolori perferendo fore, quod eius exſpectationem tulerit. Metus enim imminentium acerbitatum vehementius interdum homines afficit, quam ea ipſa quae timentur, ubi poſtea contigerunt. Pueros videmus in verberum metu nuſquam quieſcere, nuſquam conſiſtere, velle patriam & parentes relinquere, qui tamen poſtea verberati conquieſcunt. Vidi ego patrem, qui,cum aegrotantis filii prope deploratam ſalutem eſſe, a medicis audiiſſet, alligandus fuit, ne ſibi manus adferret. Idem hodie multos iam annos filio ſuperſtes & vivit,& hilare vivit. Ita plerumque, quae ne eveniant, horreſcimus, ea cum evenerunt, acquieſcimus. Qua de re elegantiſſima diſputatio eſt apud Xenophontem libro tertio de inſtitutione Cyri. Qui igitur imminentis mali exſpectationem fortiter tulit, is id quoque ipſum quod metuitur, fortiter laturus videtur. Et hoc argumento utitur Dido.

Hecyrae Terentii locus exponitur, Donati hiatus expletur.

CAP. XVIII.

TErentianus Laches, cum praeſentiam uxoris, & ſuam, filio, & nurui odioſam eſſe credens, rus cum ea migrare ſtatuiſſet, *odioſa*, inquit, *haec eſt aetas adoleſcentulis*.

> *E medio aequum eſt excedere, poſtremo iam nos fabula*
> *Sumus, Pamphile, ſenex atque anus.*

Ubi vere, & recte Donatus ait, eum alluſiſſe ad principium fabularum, quae puerulis narrare ſolent: quarum pleraeque ita incipiant. Animadverti autem tale quiddam exſtare & apud Ariſtophanem μῦς καὶ γαλῆ. Ubi etiam Theon notat pleriſque fabulis earum quae domi narrari ſolerent,hoc eſſe principium: Γέρων καὶ γραῦς

& ta-

& tale eſſe illud Platonis in Phaedro. *Fuit olim quidam formoſus puer*. Neque ab his abludit illud ex Andria,

Atticus quidam olim navi fracta.

Itaque Simo, qui omnia illa ficta eſſe autumaret, *Fabulam*, inquit, *incoeptat*. Sed & niſi me valde fallit animus, apud Donatum hoc loco ea ipſa Graeca verba legerentur, niſi librariorum inſcitia obſtitiſſet. Nunc enim ita legitur: *Haec duo nominavit ——— caput indicat & inceptionem huiuſmodi fabularum*. At in quibuſdam veteribus hoc modo: *Haec duo nomina ——— GAPUS indicant inceptionem huiuſmodi fabularum.* Ego in illa lacuna puto fuiſſe ΓΕΡΩΝ ΚΑΙ ΓΡΑΥΣ. Cum P, Latinum eandem formam habeat quam Graecorum *rho*, ſi quis tuarum tantum literarum ordinem mutet, ex illo GAPUS faciet, ΓΡΑΥΣ. Ita omnia perſpicua erunt. At illi fecerunt ex GAPUS, primum CAPUS, deinde CAPUT. Nos vero hic concludamus hoc caput.

Si telum manu fugit, e XII. Tabulis, ab Homero deſumtum, ut & Philoſophiae definitio. Hadriani Turnebi laus.

CAP. XIX.

SI *telum manu fugit*. His verbis in lege XII. emiſſi teli ſignificata erat imprudentia: ut in tertio de Oratore ſcriptum eſt. Quae tralatio, cum a Craſſo tantopere commendetur: egoque eam a patre eloquentiae Homero fluxiſſe animadverterim: facturus operae pretium videor, ſi indicarim. Ille igitur libro Iliados quinto Diomedis cum Phegeo Daretis filio pugnam deſcribens, cum priorem ictum Phegei irritum fuiſſe dixiſſet, ſubiicit, non idem Diomedi eveniſſe, neque ei irritum telum manu fugiſſe, ſed defixum eſſe in pectore Phegei.

Τοῦ δ' οὐχ ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρὸς.
Ἀλλ' ἔβαλε στῆθος μεταμάζιον.

Sic & Iliados octavo dicit habenas fugiſſe e manu Neſtoris:

 Νέστορα

Νίϛορα δ᾽ ἐκ χειρῶν φύγον ἐν ἑκατονταλόεντα.

Quod ita reddidit vetus poeta Livius:

Mea puera, quid verbi ore profugit tuo?

Attexam huic obſervationi aliam valde diſſimilem: quid ni enim mihi quoque Τυρνεβίζειν aliquando liceat? utinam quidem vere ac ſerio poſſem. Sed ut qui divinas Ariſtotelis ac Platonis virtutes imitari non poterant, huius gibbum, illus quoddam oris in loquendo vitium imitabantur, ut aliqua ſaltem in re tantorum virorum ſimiles eſſent: ita ego, quando ad illam infinitam multiplicis doctrinae copiam quae in Turnebo fuit, aſpirare non auſim, licentiam quandam illius in diſſimilibus rebus coniungendis hoc loco imitabor. Veteres igitur Critici, quia omnia quae a Philoſophis dicerentur ab Homero manaſſe contenderent: ipſam Philoſophiae finitionem, quae a nonnullis eorum tradita eſt. Homericam eſſe dicebant: Diomedem enim ἀλληγορικῶς Philoſophum intelligi, cui Minerva omnem caliginem, quae mortales hebetat viſus, ex oculis aufert, ut & deos & homines noſcat.

Ἀχλὺν δ᾽ αὖ τοι ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
Ὄφρ᾽ εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Ex quo igitur loco ſumſiſſe illos, quod dicerent, *Philoſophiam & divinarum & humanarum rerum ſcientiam eſſe.*

Scriptores veteres, non recentes publice explicandos & ſequendos. Quinctiliani Praefatio libri ſexti emendatur.

CAP. XX.

ME puero magna cum cura exponebantur in ſcholis Inſtitutiones oratoriae M. Fabii Quinctiliani, accurati admodum & exquiſiti Rhetoris, neque quiſquam ſatis bonus dicendi magiſter habebatur, qui non in illis vel praecipue auditores ſuos exercere ſolitus eſſet. Mutata poſtea ratio eſt, cumque annoſis illis, & ipſa

vetuſtate venerandis arboribus neglectis, ſuccreviſſent inutiles rami; iuventuſque laboris fugitans, inſulſos quoſdam libellos, & omnium prope liberalium artium, & omnium philoſophiae diſpendioſa partium compendia, pro pinguibus illis veterum latiſundiis adamare coepiſſet, ex illo vidimus omnia:

In peius ruere & retro ſublapſa referri.

Neque ullum lapſis prope rebus certius remedium eſt, quam ut vetus illa conſuetudo revocetur, &, expulſis iſtis novitiis indoctae arrogantiae magiſtris, ac priſcis illis, quos *endo coelo*, ut ita dicam, merita locarunt, vera & ſolida eruditio repetatur. Quod etſi, ut aetatis meae tempus eſt, vivo me eventurum, ſperare non audeo, poſteris tamen, ſi quid mei ad poſteros perveniet, conteſtatam opinionem meam relinquam: neque committam ut ego quoque unus ex eo numero, qui vetuſtatem contemnunt, videri queam. Nunc eius quem nominavi Rhetoris praefationem in librum ſextum, a quibuſdam inveteratis librariorum erroribus vindicare conabor. Deplorat autem in ea homo diſertiſſimus ſane dolenter ac copioſe uxoris & duorum filiorum mortem: ex qua tantum hauſerit doloris, ut ſe, nedum inſtituta ſtudia perſequi, etiam eis ſuperſtitem eſſe poſſe miretur. Sed de uxore haec ipſius verba ſunt: *Quae nondum expleto aetatis undevigeſimo anno duos enixa filios, quamvis acerbiſſimis rapta fatis, felix deceſſit. Ego vel hoc uno malo ſic eram afflictus, ut me iam nulla fortuna poſſet efficere foelicem.* Paulo poſt autem de filiis: *Liberis tamen ſuperſtitibus oblectabar: & quod nefas erat, ſed optabat ipſa, me ſalvo, maximos cruciatus praecipiti via effugit.* Quae nullo modo inter ſe cohaerere, vel coecus aliquis viderit. Sed tota huius periodi poſterior pars loco ſuo mota eſt; ad uxorem enim pertinet: legendum hoc modo; *Foelix deceſſit, & quod nefas erat, ſed optabat ipſa, me ſalvo, maximos cruciatus praecipiti via effugit. Ego vel hoc uno malo*, & cetera. Deinde, *Libris tamen*

men ſuperſtitibus oblectabar. Mihi filius minor quintum egreſſus annum, ut in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen. Sed hic quoque mendum ſubeſt: neque dubium quin totum illud, *ut in malis agerem*, delendum ſit. In meo vetere libro ita legitur: *Mihi filius minor quintum egreſſus annum in malis nec augere prior alterum e duobus eruit lumen*. Ex quo liquido perſpicitur error librarii, qui quatuor voces, *in malis nec augere*, huc tranſtulerit, e periodo quae ſtatim ſequitur, *Non ſum ambitioſus in malis, nec augere lacrimarum cauſſas volo*. Paulo poſt, ubi vulgo eſt, *oſtenderit*, liber meus habet *oſtenderet*, haud dubie melius. Et, ut quaedam leviora omittam: haec certe contemnenda non ſunt. In vulgatis libris ita legimus: *Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, menſium octo valetudinem tulit? ut me in ſupremis conſolatus eſt? quam etiam deficiens, quamque non tunc ipſum illum alienatae mentis errorem circa ſolas literas habuit?* At in meo praeclare: *Quam etiam deficiens, iamque non noſter ipſum illum alienatae mentis errorem circa ſolas literas habuit?* Nihil pote elegantius. Illud enim *non noſter* ſignificat eum iam in poteſtate mortis fuiſſe. Sequitur haud ita multo poſt: *Te omnium ſpe Atticae eloquentiae candidatum ſuperſtes parens tantum ad poenas amiſi*. Quibus in verbis illud *Atticae* plane redundat ac friget. Liber meus pro eo habet *Acutis*: unde non dubito: quin legendum ſit, *Ac votis*. Superſunt adhuc quaedam in quibus lima opus eſt. Ut illud, *Tum ſi qua minus fuerint effecta iis quae levius afflicti coeperamus, imperitiae aut fortunae remittantur*. Illa *imperitia* huc ab imperito aliquo invecta eſt. Legendum ſimpliciter, *Fortunae remittantur*. Paulo poſt *Boni autem conſulere noſtrum laborem vel propter hoc certum eſt*. Liber vetus, *Coecum eſt*. Ego lego *Aecum eſt*. Ita enim ſcribebant pro *Aequum*; ut *acam*, pro *aqua*. At ipſum finem ita legitur: *Nos miſeri, ſicut facultates patrimonii noſtri, ita hoc opus aliis paramus, aliis relinquemus*. Pro *Paramus*, lege, ex auctoritate libri veteris, *Praeparabamus*.

MAR-

MARCI ANTONII MURETI VARIARUM LECTIONUM

LIBER DECIMUSNONUS.

De Baccho bimatre Martialis verſus reprehenſus.

CAP. I.

MOrdacius fortaſſe, quam iuſtius irriſit Martialis poetam quendam, qui Iovem non patrem modo, ſed & matrem Bacchi vocaverat: quod eadem ratione Semele quoque, ut ipſi quidem videtur, pater Bacchi vocari queat:

Qui potuit, inquit, *matrem Bacchi dixiſſe Tonantem*[1],
Ille poteſt Semelem dicere, Priſce patrem.

Neque enim eadem ratio eſt. Nam patris quidem proprium eſt, generare in alio, ut ex Ariſtotele didicimus: quod Semele neque fecerat, neque facere potuerat; matris autem, concluſum foetum viſceribus ſuis fovere, & ſuo tempore parere; quae omnia, ut quidem ſe habet fabula, praeſtiterat Iuppiter. Itaque eleganter ingenioſiſſimus poeta Ovidius, inter cetera epitheta quibus Bacchum ornat, eum etiam *bimatrem* vocat: quod duas matres habuerit, Semelen, & Iovem; unde & Graeci eum *Δίθυρον* nominant. Exſtat & verſiculus veteris cuiuſdam poetae Graeci, qui ob id & maſculum Iovis uterum, & ipſum Iovem Bacchi tum patrem, tum matrem fuiſſe ait,

ἄρσενι

ἄρσενι γαστρὶ λόχευσε πατὴρ ϗ πότνια μήτηρ.

Neque alia ratione Heraclides Ponticus eundem Iovem Palladis & patrem, & matrem vocat. Sed ſaepe Martialis, dum ſalſe aliquid & aculeate diceret, quam id iuſte ac merito faceret, non curavit.

In Quinctiliano poetarum verſus aliquot nitori ſuo redditi.

CAP. II.

Apud M. Fabium libro octavo citatur verſus veteris poetae, quo quidem de Achillis morte ita quaerens inducitur,

Ferro anne fato virtus Argivum occidit?

Sed in antiquis quibuſdam libris pro *virtus* legitur *metus*, in meo *moecus*. Ego una litera mutata, legendum cenſeo, *moerus*: ut expreſſerit Tragicus ille, quiſquis eſt, illud Homericum ——

moeros enim dicebant pro *muris*: ut in illo Virgilii,

Dividimus moeros, & moenia pandimus urbis.

Sic *moenire*, pro munire: *coerare* pro curare, in multis adhuc veteribus monumentis legitur. Emendabo de eodem oleo & opera locos quoſdam eiuſdem Rhetoris e capite tertio libri noni, in primiſque verſum veteris Tragici, qui hoc modo circumfertur,

Quam magis aerumna viget, tam magis ad maleficiandum urget,

cum legendum ſit e vetere libro,

Quam magis aerumna urget, tam magis ad maleficiendum viget.

Eſt enim Trochaicus. Paulo autem inferius locus eſt mirabiliter deformatus, hoc modo, *Ex Graeco vero tranſlata vel Salluſtii plurima: quale eſt. vulgus amat fieri: vel Horatii, Nam id maxime probat hoc Ciceronis. Et mutatio caſus: ut, nec longae invidit avenae* Haec ſi quis, ut

vulgo

vulgo edita ſunt, intelligere potuerit, idem bonus Sphyngi interpres fuerit. In vetere libro ita legi: *Vel Horatii, N. I. S. P. Ciceronis nec longae invidit avenae*, neque ulla dubitatio eſt, quin ita legi debeat,

——nec illi
Sepoſiti ciceris, longaeque invidit avenae.

Paulo poſt, ubi citatur verſus Horatii,

Hunc & intonſis Curium capillis.

pro *intonſis* veteres libri habent, *incomtis*. In eodem illo capite, ubi vulgo ita ſcriptum eſt, *Hanc rerum coniunctam diverſitatem Caelius* μεταβολὴν vocat: non *Caelius* in veteribus, ſed *Caecilius* legitur. Recte eſt enim *Caecilius Rhetor*, cuius & hic ipſe, & Plutarchus ſaepe meminit, & Dionyſius Longinus principio elegantis illius Commentarioli περὶ ὕψους.

Athenaeus libro octavo ſaepius caſtigatus. Chreſtomathia & Ecloga quid.

CAP. III.

ET tam multa ſunt in Athenaeo, quae elegantis ingenii homines ad ipſum legendum alliciant, & tam multa rurſum queis, ne voluptate illa pura ac liquida frui poſſint, impedimentum obiiciant; ut mihi gratiam ab eis initurus aliquam videar, ſi ex immenſa quadam copia eorum, quae iampridem in eum notant nonnulla interdum his libris inſpergam: interea dum ab aliis melior & integrior illius editio adornatur. Hodie igitur, cum mihi ex octavo libro quiddam petendum eſſet, neque id tam facile, quam putaram, reperire poſſem, ſatius putavi totum librum percurrere, & in tranſcurſu colligere ſi qua eſſent, quae illius ſtudioſis iucunda fore arbitrarer. Primum igitur in hiſtoria, quae ex Poſidonio affertur, de Tryphonis militibus ſubito incurſu maris abſorptis, ubi Sarpedonis millites,

re

re audita, accurriſſe dicuntur: cum vulgo ita legatur, Καὶ οἱ περὶ τὸν Σαρπηδόνα ἀκούσαντες τὴν συμφορὰν ἐπελθόντες, τοῖς μὲν τῶν πολεμίων σώμασιν ἐφήσθησαν, ἰχθύων δὲ ἀφθονίαν ἀπηνέγκαντο, καὶ ἔθυσαν Ποσειδῶνι τροπαίῳ: in veteribus pro ἐφήσθησαν legitur ἐφείσθησαν: quod verbum nihili eſt; & quod quidam ex eo facere voluerunt ἐφείσαντο, ideoque dixerunt illos hoſtium corporibus peperciſſe: non dubito, quin animadverſuri ſint lapſos eſſe ſe, ſi locum paulo diligentius inſpiciant. Omnino autem vulgata ſcriptura hoc quidem loco veriſſima eſt, ut intelligamus eos ex hoſtium interfectorum ſpectaculo voluptatem coepiſſe: ſitque ἐφήσθησαν a verbo ἐφήδομαι. Nam ἐφείσαντο ſi quis legat, neque veteres libros habebit auctores, & ne ſic quidem emendata fuerit oratio. Paulo poſt autem in narratione Hegeſandri de admirabili quadam copia piſcium, quae bis quotannis, ex Lacu Bolyce, ſtatis temporibus in flumen Olynthiacum influere dicitur, voces aliquot in excuſis libris deſiderantur. Quare totum locum, ut in veteribus exſtat, apponam. Κατὰ δὲ τὸν ἀνθεστηριῶνα, καὶ ἐλαφηβολιῶνα, λέγουσιν οἱ ἐπιχώριοι διότι πέμπει ἡ Βολύη τὴν ἀπόπυριν Ὀλύνθῳ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον, ἀπέραντον πλῆθος ἰχθύων ἐκ τῆς λίμνης εἰς τὸν Ὀλυνθιακὸν ἀναβαίνειν ποταμόν ἔστι δὲ βραχὺς, ὥστε μόλις κρύπτειν τὸ σφυρόν. ἀλλ' οὐδὲν ἧττον τοσοῦτον ἔρχεται πλῆθος ἰχθύων, ὥστε τοὺς περιοίκους, & cetera. Quam multa omiſerint librarii, & quid eis errorem obiecerit, etiam tacente me, omnes vident. Sed & in iis quae paulo infra citantur, e libro quinto Chryſippi *de voluptate*, omiſſae ſunt per incuriam voces duae. Legendum enim καὶ δυνάμεις ζωστικὰς, καὶ συντακτικάς. In Sardanapali epitaphio, & ſi veteres quoque libri habent κέλωνται, malim tamen λέλειπται. Improbi autem verſus, quibus Alexis homines ad intemperantiam cohortatur, Trochaici duo ſunt ita legendi, & ita diſtinguendi,

Πῖνε, παῖζε. θνητὸς ὁ βίος: ὀλίγος ὁ ἐπὶ γῇ χρόνος
Ὁ θάνατος δ' ἀθάνατός ἐστιν, ἢν ἅπαξ τις ἀποθάνῃ.

Statim

Statim autem, Sotionis fide, citantur verſus quidam eiuſdem argumenti ex eiuſdem poetae Aſoto didaſcalo: quam fabulam is qui loquens inducitur, negat ſe unquam vidiſſe, quamvis mediae comediae dramata plus octingenta legerit eorumque eclogas fecerit. Ubi *eclogas* vocat *excerpta* quaedam ex eis fabulis, memoriae cauſſa, quae inſigniora viderentur. Tales *eclogae* hodieque ex amiſſis Polybii & aliorum libris reperiuntur. Inde apud Ciceronem *eclegarii*. Eaſdem & χρηστομαθείας vocabant; quales hodie exſtant ex Strabone. Et inde Cicero Turannium vocat hominem χρηστομαθῆ. Hoc non notaſſem, niſi alios in eo lapſos eſſe vidiſſem. In eis autem ipſis verſibus cum ita legatur,

Τύρβαζε μανίῳ. γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον:

legendum puto,

Φόρβαζε Μανῆ. γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον.

Manes ſervile nomen olim fuit. In eiſdem, ubi vulgo eſt ψύξει σε δαίμων; melius videtur quod in veteribus legitur ψύξει σ' ὁ δαίμων. Iam in illa parodia Chryſippi cum vulgo ita legatur, Καὶ γὰρ ἐγὼ κακός εἰμι pro κακὸς, in vetere libro eſt κενός: Ego autem legendum puto κόνις. Multa leviora omitto properandi ſtudio, & laboris, ut verum fatear, vel odio vel taedio. Neque tamen illud omittam, quod in lepidiſſimis verſibus; quibus paraſitus, ut opinor, aliquis de divitibus quibuſdam cupediariis conqueritur, qui excandefaciebant annonam, & ita purgabant macellum; ut nullum lautius opſonium aliis reliquum fieret, legendum eſt, ἅπαντας ἀναπέπεικεν non, ut vulgo πάντας: ita enim metri ratio poſtulat. Id ſi cui levius videbitur, quod ego quoque fateor; at hoc certe non omnino negligendum, poſtremi eorum verſuum ſententiam vulgo non ſatis intelligi. Nam illud, Γάμοι δ' ἐκεῖνοι καὶ ποτοὶ νεανικοὶ ἦσαν: hoc ſignificat nuptialia convivia, & adoleſcentum compotationes deſiiſſe celebrari: ex quo illi divites omnia ad

ſe

ſe trahere coeperant. Eſtque illud ἦσαν ſimile illi Catulliano: *Sed haec prius fuere*; & illi Plautino, *Fuit Phroneſium*; & illi Virgiliano, *Fuit Ilium*. Et ut τὰ ἐν μέσῳ praeteream, in illo dicto Stratonici, ἐκούετε ναοί· iucunda alluſio eſt ad illam uſitatam vocem, ἀκούετε λαοί: cuius lepos in Latino ſermone ſentiri non poteſt. Illud quoque praeteriens monebo, longe plurimos Machonis de Stratonici dictis verſus male vulgo pro ſoluta oratione accipi. Subiiciam autem & quae citantur e libro primo Chariclis περὶ τοῦ ἀστικοῦ ἀγῶνος, ut in veteribus libris leguntur: quoniam ea aliter ab aliis tentata video. Γυμνικοὺς μὲν ἀγῶνας, ἔφη, διατιθέτωσαν Ἠλεῖοι, Κορίνθιοι δὲ θυμελικοὺς, Ἀθηναῖοι δὲ σκηνικούς. εἰ δέ τις τούτων πλημμελοίη, μαστιγούσθωσαν Λακεδαιμόνιοι, ἐπισκώπτων τὰς παρ' αὐτοῖς ἀγομένας μαστιγώσεις. In illa longa hiſtoria Diphli de piſcibus, ubi ad Bacchum piſcem ventum eſt, ita eſt in libris vetuſtis: Βάκχος εὔχυλος, πολύχυλος, εὔτροφος. Τράγος οὐκ εὔχυλος, ἄπεπτος, βρομώδης. At a vulgatis voces aliquot abſunt. Sed & moroſi illius ſenis qui omnia ſibi confirmatis ad imminuendum nominibus appellari volebat, quod ſibi eo modo minorem ſumtum facere videretur, eius igitur verba ipſa quoque diminuta & decurtata vulgo leguntur. Legenda autem ſunt hoc modo,

Ἐπεξαπατᾷ με τοὺς μὲν ἰχθῦς μοι καλεῖ
Ἰχθύδι'. ὄψον δ' ἐὰν λέγῃς ἕτερον, καλεῖ
Ὀψάριον. ἥδιον γὰρ ἀπολοῦμαι πολύ.

In verſibus autem, quos cantitabant, qui coronae ſtipem colligebant, & alia multa depravata ſunt, & hic verſus:

Θεοὶ, γένοιτο μετάπεμπτος ἡ κόρη.

cum legendum ſit,

Θεοὶ, γένοιτο πάντ' ἄμεμπτος ἡ κούρη.

ubi de verbo βαλλίζειν queritur Ulpianus, qui verbum illud irridebat, ait emtum videri ἐκ γῆς σιβούρας. Quod ſi interpretatus eſt, *Ex terra ſubulca*; equidem quid ſi-

bi

bi voluerit, neſcio. Illud ſcio, legendum eſſe, ἐκ τῆς συβούρας. Cuiuſmodi autem mulieres in Subura olim habitaverint, & quae illic tum vitae, tum ſermonis elegantia fuerit; nemini ignotum eſt. Paulo poſt autem una vocula corrupta ne Trochaicus Epicharmii intelligatur, impedimento eſt. Ita enim habent libr editi:

Τὰ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον, εἰσαγὼν ἀποχρέω.

cum legendum ſit,

Τὰ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον, εἷς ἐγὼν ἀποχρέω.

Unum ſi praeterea addidero, finem faciam. Deſinere enim, quam deficere malo. In parodia ſane eleganti, quae ad ipſum finem libri legitur, ita editum eſt:

κ' ἆτάτις εἶπε
Τῶν ξυμπινόντων, ἤδη σὺ τί οὐχ ὑπολύσει
Αὐτὸν, ὁ δ' ἄχθεται αὐτὸς ὁ θύων.

quod mutilum eſſe qui non ſentiat, nihil ſentiat. Legendum autem hoc modo,

κ' ἆτὰ τις εἶπε
Τῶν ξυμπινόντων, ἤδη σύ τί οὐχ ὑποπίνεις;
Οὐχ ὑπολύσεις σαυτὸν, ὁ δ' ἄχθέται αὐτὸς ὁ θύων.

ὑπολύειν ἑαυτὸν, eſt excalceare ſe. Xenophon Anabaſeos libro 4. καὶ εἰ τὴν νύκτα ὑπολύοιτο. longe aberravit a ſententia, qui ita vertit: *Hinc iam cur a metu non liberas?* Neque tamen eum aut accuſo, aut inſector: cum alia tam multa egregie praeſtiterit. Sed arduum ac difficile eſt, ſine veterum librorum ope Athenaeum interpretari.

Recte ne Cicero Graecos reprehenderit, quod Laborem, & dolorem una voce πόνον appellare dixerit.

CAP. IV.

M. Tullius quamquam φιλέλλην & erat, & haberi volebat, Graecorum tamen nationi nonnunquam

quam ſubiniquus videtur: non tantum, ubi cauſſae ſerviens, eorum fidem in teſtimoniis elevat, levitatem inſectatur, inſtituta deridet: ſed etiam cum Romanam linguam verborum copia non Graecae parem modo, ſed etiam ſuperiorem facit; quod tam longe abeſt a vero; ut mihi ipſi chartae, in quibus id ſcriptum eſt, erubeſcere videantur. Quid libro ſecundo Tuſculanarum, cum Graecos negat ſua lingua *laborem a dolore* diſtinguere, an non aperte calumniatur? Neque *φιλόπονος* eſt doloris amans, ſed laboris. At *πόνον* interdum etiam *dolorem* vocant, & *laborare* dicunt eas corporis partes, quae dolent. Non igitur idem & Latini faciunt? Unde igitur ſunt illa:

Laborat e dolore miſera. &

Quae laborantes utero puellas.

& qui laborat podagra, certe non ita laborat, ut Marius cum aeſtu magno ducebat agmen. Sed cuius potius in hanc rem quam ipſius Ciceronis teſtimonio utamur? Eius igitur verba ſunt e ſecundo de finibus: *Quos, dii immortales, ille, cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat? nec tamen miſer eſſe, quia ſummum id malum non erat: tantummodo laborioſus videbatur*. Nonne eum, qui maximo dolore cruciatur, *laborioſum* vocat? Videat ergo, ſi hoc nomine in Graecos volet eſſe durior, ne cauſſae ſuae ſecurim talis ac tantus patronus infligat. Facere in eo quoque mihi videtur iniuſte, quod accubationem epularem melius a Latinis *convivium*, quam a Graecis *σύνδειπνον*, aut *συμπόσιον* nominari iudicat. Contra enim appellatio Latina habere quandam intemperantiae ſignificationem videtur: quaſi tum demum vivant homines, cum cibum capiunt; neque ſit inter eos, praeterquam in epulis, ulla vitae communio. At Graeci *una vivere* dicent, eos etiam qui negotia ſua inter ſe communicant, qui crebro una ſunt, qui una militant, una philoſophan-

phantur: convictum denique multis aliis in rebus, quam in vino & epulis intelligunt: non ut Latini, qui convivere, ut hoc verbo utar, eos demum dicunt, qui una tanquam ad idem praeſepe, paſcuntur, quaſi nihil ſit aliud συζῆν, quam συγχορτάζεσθαι. Elegantius illi, qui aliud eſſe viderunt, una bibere, aliud una vivere. Itaque communionem epularum ab eo, ut Varro ait, coagulo, quo convivia continentur, nominarunt: vitae coniunctionem ad alia graviora, & magis ſeria reſervarunt. Haec ſi cui confidentius dixiſſe adverſus Ciceronis ſententiam videbor; cogitet, quam multa ab eo adverſus Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, alioſque veteres dicta ſunt. Nunquam haec vel diſſentiendi, vel ingenii exercendi libertas in literis vituperata eſt.

Xenophontis locus quarto Anabaſeos emendatus.

CAP. V.

Apud Xenophontem libro quarto Anabaſeos, Graeci quibus praeerat ipſe Xenophon, cum in Armenia & multis aliis difficultatibus conflictati eſſent, & paene obriguiſſent ac conglaciaſſent frigore, nivíſque vi tantum non obruti ac ſepulti forent; ignem tandem conſtruxiſſe dicuntur: cumque ad fovenda corpora oleum deeſſet, multis ſe ac variis chriſmatis, quod ibi repererant, generibus perunxiſſe. *Chriſma* autem illud fuiſſe ait Xenophon σύειον καὶ σησάμινον, καὶ ἀμυγδάλινον ἐκ τῶν πικρῶν, καὶ τερεβίνθινον. At cetera quidem genera non ignota ſunt: e ſeſamo, ex amygdalis amaris, ex terebintho, unum quod primo loco ponitur, plane abſurdum videtur, σύειον, quod Romulus vertit *ſuillum liquamen*, eumque ſecutus unus ex eruditiſſimis huius aetatis, hoc uno, ut opinor, loco fretus, chriſmatis

 nomine

nomine etiam animalium adipem ſignificari tradidit. Quid autem quaeſo commune habet adeps ſuillus cum ſeſamino, amygdalino, aut terebinthino chriſmate? Nam ocreas quidem ſuas, (ſi quas ex corio ocreas habebant) & calceamenta adipe ſuillo inungere ad ignem ut ea mollirent, poterant: artus vero ſuos, cum ſuppeteret aliorum copia, tam tetro, & tam ſpurco unguine illinere, cuius turpitudinis fuiſſet? Equidem affirmare auſim, locum depravatum eſſe, & pro σύειον, legendum aut σύσινον, ita enim vocabant liquorem ex lilio expreſſum, quem & anthinon Galenus vocat: aut ſi cui libeat propius vulgatae ſcripturae veſtigiis inſiſtere una litterula mutata, θύειον, a thyia arbore, quam, ob eximiam quandam odoris ſuavitatem, ſumme a veteribus commendari notius eſt, quam ut confirmari debeat.

Quinctiliani libro ſexto de Riſu, loci plurimi & emendati & explicati.

CAP. VI.

MAculoſus eſt procul dubio Fabii locus e capite tertio libri ſexti, ubi de dictis Ciceronis ita ſcribit *Utinam Quintus, & libertus eius Tiro, aut alius quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulſiſſent*. Neque dubium eſt, quin legendum ſit, ut in veteribus, *Utinamque libertus eius Tiro*. Neque enim libros illos quiſquam unquam ad Q. Ciceronem retulit. Paulo infra eum locum haec in veteribus libris ita leguntur. *Affert autem ſummam rei difficultatem, primum, quod ridiculum dictum plaerumque falſum eſt, ſemper humile, ſaepe ex induſtria depravatum. Falſum*, non ut vulgo, *Salſum*; neque quidquam verius, quam illic *Falſum* legi oportere, ut & illud hoc modo: *Neque hoc ab ullo ſatis explicari puto, licet multi tentaverint, unde*

de riſus : qui non ſolum facto aliquo dictove , ſed interdum quod etiam corporis tactu arceſſitur . Hoc enim ipſum eſt, quod negat a quoquam ſatis explicatum, *Unde riſus* , id eſt, quae ſit riſus origo. Sequitur paulo poſt : *Erumpit enim etiam invitis ſaepe , nec fultus ope , nec vultus modo ac vocis exprimit confeſſionem , ſed totum corpus vi ſua concudit .* Ubi tres illae voces : *Nec fultus ope*, redundant. Barbara quaedam enuntiatio effecerat, ut *nec fultus*, pro *nec vultus* ſcriberetur . Quae corupta ſcriptura fulta eſt poſtea ope alicuius , qui de ſuo addidit illud ope . Sic ſaepe *feritas* inuaſit in locum *veritatis ; fenus* in locum *Veneris;* aliaque ad eundem modum. Quod autem ſubiungit , ridiculo ſaepe maximarum rerum momenta vertit ; concordat cum Horatio , cuius illud eſt :

——— ridiculum acri

Fortius ac melius magnas plaerumque ſecat res .

In eodem capite ita legendum eſt . Et Catullus cum dicit ,

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis .

non hoc dicit, nihil in corpore eius eſſe ridiculum . Vulgo detracta negatio Fabium ipſum ridiculum facit. Et , ut nonnulla praetermittam , in quibus ipſe mihi nondum ſatisfacio , hoc certe ita legi debet . *Ludere nunquam velimus : longeque abſit propoſitum illud , potius amicum , quam dictum perdendi .* Male enim vulgo , *perdidi* . Omittam ſatis multa : ſpicilegio enim loci eſſe aliquid volo : duo tantum ex eodem capite notabo , quae mihi videntur minime negligenda . In editis libris legimus , *Emphaſi Livius dixit , ferro cotem Attium Navium incidiſſe .* Et notum quidem eſt , hiſtoriam illam de cote a Navio inciſa extare apud Livium libro primo . Sed quaero quam tandem hic Fabius Emphaſim videat : aut quid omnino hiſtoria haec ad id quod hic agitur pertineat . Neque puto id quenquam videre poſſe; niſi qui ita perſpicax ſit , ut id etiam quod nuſ-

quam eſt videat. In veteribus membranis hoc modo. *Emphaſis A. Villius dixit, ferrum in cotem incidiſſe*. Hoc nec verius nec melius quicquam. Subiungam unum item locum: deinde iter hoc dividam. Libri circumforanei ita habent. *Seu fictis novis verſibus. Simile eſt, quod παροιμία dicitur*. At meus recte & vere. *Seu ficti notis verſibus ſimiles, quod παρῳδία dicitur*. Hoc ſi quis forte non ſatis intelligit; conſulat Athenaeum.

Male ominatis verbis uti. Horatius, & Terentius illuſtrati. Verſus Ennii numeris reſtituti.

CAP. VII.

DIxi alias de conſuetudine veterum addendi nonnunquam literam D ad voces quarum ultima litera vocalis eſſet, praeſertim ſi ſequeretur ſtatim alia vox, quae a vocali inciperet: legendumque ideo apud Horatium, *maled ominatis Parcite verbis*. Cum autem & alii vidiſſe ſe teſtati ſint, & ipſe viderim vetuſtos quoſdam libros, in quibus eſt *malem ominatis*, viſum eſt, ut monerem, non tamen propterea legendum, *male nominatis*. Certe enim *nominare verba* nemo dixit, qui recte emendateque loqueretur; ſed potius *malem ominatis*. Modo enim litera D, modo litera N ad vitandum hiatum utebantur. Sic cum rectum ſit *atqui & alioqui*, ſequente tamen vocali *atquin*, & *alioquin*, apud veteres ſaepe reperias. Et inde eſt illud Plauti:

> *O Callicles, o Callicles, o Callicles.*
> *Qualin animo meo commendavi bona?*

Et fuiſſe quandam earum literarum mutuam functionem oſtendit Donatus in illud ex Phormione,

> *Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio.*

Legitur, inquit, & *Tennitur*. *habet enim N litera cum D communionem*. Et certe hodieque vulgus Tiburtium, Interamnatium, & aliorum quorundam pro ND, duplex

plex N plerunque pronuntiat. Hoc igitur non indignum viſum eſt obſervatione. Sed quoniam paulo infra eum locum citat Donatus, verſus quoſdam e ſexto Satyrarum Ennii, quos prope integros in fabulam ſuam tranſtulerit Terentius: iique vulgo perturbati ac mendoſi leguntur, deſcribam eos ita, ut legendos puto. Sunt igitur hi:

Quippe ſine cura, laetus, lautus cum advenis,
Exſertis malis, expedito brachio,
Celſus, alacer, lupino exſpectans impetu,
Quam mox alterius obligurrias bona:
Quid cenſes domino eſſe animi? pro divum fidem.
Dum ille cibum triſtis ſervat, tu ridens voras.

Phormio Terentiana e Demoſthene illuſtrata.

CAP. VIII.

SI quis eadem de re iterum iudicio experiri velit; notum eſt, eum exceptione rei iudicatae repelli: & inde ortum eſt illud,

Actum, aiunt, ne agas.

Recteque id Terentianus Phormio Demiphoni obiicit his verbis,

At tu, qui ſapiens es, magiſtratus adi-
Iudicium de eadem cauſſa iterum ut reddant tibi.
Quando quidem ſolus regnas: & ſoli licet.
Hic de eadem cauſſa bis iudicium adipiſcier.

Eodem enim iure Athenienſes uti ſolitos, ut plaeraque in iure civili Romano ab eis ſumta ſunt, vel hic Demoſthenis locus indicat ex oratione adverſus Leptinem, Οἱ νόμοι δὲ οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας, οὔτ' εὐθύνας, οὔτε διαδικασίαν, οὔτ' ἄλλο τοιοῦτον οὐδὲν εἶναι, & Andocides in oratione adverſus Alcibiadem: ἄλλως τε καὶ τῶν νόμων ἀπαγορευόντων δὶς περὶ τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὸν αὐτὸν μὴ ἐξεῖναι δικάζεσθαι. Sed & quod ſubiicit Demipho non neceſſario ducendam

 orbam

orbam ei, qui genere proximus ſit? ſed licere ei per legem, ſi id malit, dotis datione defungi, eiuſdem oratoris teſtimonio confirmatur: apud quem ea ipſa lex exſtat in oratione adverſus Macartatum. *Τὴν ἐπίκληρον τὸν ἐγγύτατα ἐκδιδόναι ἢ αὐτὸν ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγύτατα γένους, ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν, ἢ ἐκδοῦναι.* Neque vero illud temere dictum eſt,

abduce hanc, minas quinque accipe.

Ea enim pecunia conſtituta erat legibus, quam darent egentibus puellis, quo facilius elocarentur, qui eis proximi erant, ſi nollent eas ducere, ut Harpocration ex Dinarcho docet. Puto autem haec nonnihil ad Terentium illuſtrandum pertinere.

Plauti e Captivis verſus e Graeco deſumti.

CAP. IX.

SAltare non hilaritatis modo eſt, ſed immodicae & profuſae cuiuſdam hilaritatis. *Salire* autem ac *palpitare* videtur *cor*, in maximo ac vehementiſſimo metu. Itaque venuſte Tyndarus apud Plautum in Captivis, cum illum ſuum honeſtiſſimum dolum, quo herum ex ſervitute eduxerat, patefactum videret, iamque ſibi magnum malum imminere auguraretur: cor ſuum obiurgat, quod in tanto periculo ſaltitet. Verba autem illius haec ſunt, ut quidem in emendatis libris leguntur:

Quin quieſcis dierectum cor meum? i ac ſuſpende te.
Tu ſuſſultas ego miſer vix adſto prae formidine.

Veriſimile autem mihi ſit, effictum eſſe illum Plauti locum e vetere Comico Anaxandride, cuius hi verſus citantur apud Athenaeum in illa pulcerrima parte libri 15. quam a me Lutetiae acceptam Gulielmus Canterus publicavit. Sed verſus Anaxandridae, de quibus dicere coeperam, hi ſunt:

ὦ πο-

ὦ πονηρὰ καρδία,
Ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος.
Ὀρχῇ γὰρ εὐθὺς, τὴν ἰδῇς δεδοικότα.

O cor improbiſſimum,
Ut corpore ex toto unicum gaudes malis.
Salis enim ſimul ac timentem videris.

Paulo autem ante eos verſus inepte ſcriptum: κατὰ γὰρ τὰς ἐν τοῖς ψήφοις γενομένας ἀγωνίας. πάλλεσθαι τὴν καρδίαν ἐπιδηλότατα συμβαίνει: quae vitioſa ſcriptura impoſuit etiam homini eruditiſſimo, qui nuper Athenaeum interpretatus eſt. Legendum autem, ἐν τοῖς φόβοις. Ac libet, antequam manum de tabula tollam emendare locum Xenophontis e Sympoſio, qui eodem in libro ab Athenaeo citatur, ſed neque in optimis Xenophontis exemplaribus, neque apud Athenaeum emendate legitur: legendus autem eſt hoc modo. Αἵγε μὴν γυναῖκες, ἄλλως τε καὶ ὅταν νύμφαι τύχωσιν οὖσαι, ὥσπερ ἡ Νικηράτου τε τούτου, καὶ ἡ Κριτοβούλου, μύρου μέντοι καὶ προσδέονται. ναύταις γὰρ ταυτὸν ὄζουσιν.

Ciceronis epiſtola I. ad Atticum locus, contra Simeonis Boſii ſententententiam & emendatus, & explicatus.

CAP. X.

QUi eo ſibi placent, quod antiquiores & meliores libros nacti ſint, in eoque ſe iactant; ridicule mihi facere videntur. Neque enim magis ingenii aut eruditionis laus eſt, in bonum librum incidere; quam prudentiae, cum agrum fodias, reperire theſaurum. Et quamquam veteres libri multum opis afferunt ad optimos ſcriptores purgandos, non tamen in eo poſita ſunt omnia. Nam cum eorum nullus prope ita emendate ſcriptus ſit, ut non multis erroribus ſcateat; ſaepe evenit, ut quod verum ac rectum eſt, non ex uno deſcribendum ſit, ſed multis inter ſe collatis, qua-

ſique mutuas operas tradentibus colligendum; in quo multos ſaepe falli vidimus. Id puto nonnunquam contigiſſe Simeoni Boſio, quanquam homini erudito, ingenioſo, diligenti, cuius opera & ſtudio nuper epiſtolae Ciceronis ad Atticum multo, quam prius emendatiores prodierunt. In ipſo enim operis veſtibulo, id eſt, epiſtola prima libri primi, cum ad locum ab aliis fruſtra ſaepe tentatum iamque prope depoſitum ac deſperatum veniſſet; plurimum ille quidem ad illius emendationem, & veteribus libris, & ingenio fretus contulit: neque tamen eum perſanavit, & a vera illius ſententia, niſi me vehementer fallit animus, aberravit. Id num temere an ſecus iudicem; res ipſa iudicium faciet. Dixerat Cicero, de iis qui tunc conſulatum peterent, Caeſarem quidem certum putari; ſed quis illius collega futurus eſſet, ambigi: Thermum enim cum Silano contendere: neque ſatis conſtare, utrius futura eſſet victoria. Addit deinde, rationibus maxime conducere, ut Thermus fiat cum Caeſare: eum enim curatorem eſſe viae Flaminiae: quae abſoluta magnam ei gratiam in vulgus conciliatura ſit: ex quo conſequitur, duras partes eius fore, qui cum ipſo contendere voluerit. Quare ſibi minime optandum eſſe, ut Thermus in annum ſuum recidat. Sed praeſtat Ciceronis verba recitare, ita ut a Boſio ingenioſiſſime emendata ſunt: nam ut in libris antea editis leguntur, nimium quantum abſunt a veritate. Totus igitur locus hic eſt: *Noſtris rationibus maxime conducere videtur, Thermum fieri cum Caeſare. Nemo eſt enim ex iis, qui nunc petunt, qui, ſi in noſtrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur: propter ea quod curator eſt viae Flaminiae, quae tum erit abſoluta ſane facile. Tum libens Thermon Ciceroni conſul accuderim*. Haec ita homo erudititiſſimus interpretatur: *Neminem putabat Cicero ſuo anno Thermo praelatum iri, in conſulatus petitione: verebaturque ne is ſibi conſulatum praeriperet*.

riperet. Qua de cauſſa cum pro certo crederet eum conſulem factum iri, optabat illum ſibi ſocium adiungi, ut uterque conſul fieret eodem anno. Thermum, inquit, ſi conſul factus ero, libens mihi collegam adiungam: hoc eſt, non inique tulero, imo gaudebo Thermum conſulem mecum fieri. Haec ille, quae mihi (quod bona ipſius venia dictum ſit) longiſſime abeſſe a Ciceronis ſententia videntur. Primum enim dixerat Cicero ſuis rationibus maxime conducere, Thermum cum Caeſare fieri. Ergo nolebat eum recidere in annum ſuum. At collega Ciceronis eſſe non poterat, niſi cum eo una peteret. Deinde, quid minus optabile erat petenti Conſulatum, quam habere firmiſſimum competitorem? Nam ut quiſque minime firmos competitores habet, ita facillima illi via ad conſequendum honorem patet. Quid autem intererat Ciceronis, Thermum potius quam alium quempiam ſibi ſocium adiungi? Nam dum ipſe anno ſuo fieret, quis ſecum fieret, non laborabat. Poſtremo verbum illud *Accuderim*, contentionem potius quandam in petendo honore, quam coniunctionem in gerendo ſignificat. Hoc dicere videtur. Non libenter cum Thermo concurrerim, quaſique arietaverim: ne ille forte ſit firmior. Si enim cicer, & lupinum in eodem mortario cudantur ac tundantur, periculum fieri videtur, utrum ſit firmius. Eodemque modo, ſi duo iiſdem comitiis petant, explorari videtur, uter ſit firmior. Nunc dicam & quomodo in Cicerone legendum putem, & cur putem. Primum igitur ordo duarum vocum *Sane Facile*, non idem eſt in omnibus libris. In plaeriſque enim eſt, *Facile ſane*. Deinde vocem *Conſul*, fatetur ipſemet integram in codice Torneſiano non legi, ſed abeſſe ab eo duas ultimas literas. Ego autem hoc amplius dico a plaeriſque vetuſtis libris tres ultimas literas abeſſe: & *Con* tantum legi. Unde fit, ut, prima litera mutata legendum arbitrer *Non*. Quare totum lo-

cum

cum hoc modo, & lego, & interpretor. *Noſtris rationibus maxime conducere videtur, Thermum fieri cum Caeſare, tunc* enim mihi verendum non erit, ne cum eo petere neceſſe habeam: quod mihi difficile ac moleſtum foret. *Nemo eſt enim ex iis, qui nunc petunt, qui ſi in noſtrum annum reciderit,* (recident autem ii videlicet, qui hoc anno repulſam ferent) *Firmior canditatus fore videatur.* Ita ut verendum ſit, ne deiiciat eos, qui ſecum in petitione concurrent. *Propterea quod curator eſt viae Flaminiae quae tum erat abſoluta facile. Via* autem *Flaminia* in Urbem ex Gallia venitur: & Gallia plurimum in comitiis poteſt. Quare homines ex Gallia venientes ad comitia, qui prius cum luto & ſalebris in via Flaminia luctari ſolebant, iis difficultatibus expediti, libenter eum qui illam munierit, ſuffragiis ſuis adiuvabunt. Ideoque *Sane tum libens Thermon Ciceri non accuderim;* id eſt, non libens cum eo contenderim ac concurrerim in Conſulatus petitione. Hanc enim interpretationem probavit vir ſumma dignitate praeditus Paulus Foxius, Archiepiſcopus Toloſanus, qui nunc Regius in urbe Legatus eſt, cuius iudicium, & auctoritas, quae apud ſummos Principes in maximi momenti negotiis merito plurimum valet, non minus apud homines eruditos, propter multiplicem ipſius & exquiſitam in omni genere laudandarum artium doctrinae copiam, valere debet.

Sacrum pro populi ſalute in domo Conſulis, fiebat quotannis, idque Athenienſium exemplo.

CAP. XI.

OCcultum quoddam ſacrum antiquitus in Conſulis domo quotannis ab ipſius Conſulis uxore, pro ſalute populi, unde & *Damium* vocabatur, fieri ſolitum, in quod maribus ingredi non liceret, omnes ſciunt: cuius

ius etiam violati tam ſaepe Cicero Clodium accuſat. Sed eius ſacri originem Graecam eſſe, fortaſſis non aeque multi ſciunt. Monebo igitur, Athenis quoque in conſuetudine poſitum fuiſſe, ut quotannis in domo eius, qui eo anno rex eſſet, eiuſdem generis ſacrum quoddam fieret ab uxore regis. In hac autem urbe Conſules ipſi quoque quaſi annui quidam reges erant. Hoc quod dixi de Athenienſibus, ſi quis, unde ſit, quaerat, reperiet apud Demoſthenem in oratione adverſus Neaeram.

Cicero accuſationum in Verrem libro I. emendatus, & contra eruditi ſententiam interpretis explicatus.

CAP. XII.

APud Ciceronem libro primo accuſationis in Verrem, id eſt, eo, qui male vulgo numeratur tertius, haud longe a principio ita legitur: *Acceſſi enim ad invidiam iudiciorum levandam, vituperationemque tollendam: ut cum haec res pro voluntate populi R. eſſet iudicata, aliqua ex parte, mea diligentia conſtituta auctoritas iudiciorum videretur, poſtremo, ut eſſet hoc iudicatum, ut finis aliquando iudiciariae controverſiae conſtitueretur.* Eum locum vir eruditus, cuius exſtant Commentarii in primam partem orationum Ciceronis, aperte corruptum eſſe dicit: & poſtquam in omnem partem diu multumque verſavit, poſtremo ita emendandum eſſe iudicavit: *Acceſſi enim ad invidiam iudiciorum levandam, vituperationemque tollendam: & cum haec res pro voluntate populi R. eſſet iudicata, ut finis aliquando iudiciariae controverſiae conſtitueretur e poſtremo ut cum eſſet hoc iudicatum, aliqua ex parte, mea diligentia, conſtituta auctoritas iudiciorum videretur.* Quam ipſius ne graviore verbo utar, minime neceſſariam mutationem, quidam ſecutus eſt, qui, ut quidque deterrimum erat, ita id facillime amplectabatur.

batur. Nihil autem opus fuit illa tanta ordinis inverſione. Nam ſi ubi eſt, *Ut eſſet hoc iudicatum*, pro *ut* legas *utut*, locus integer futurus eſſet. Hoc enim dicit Cicero, ſi de Verre ex voluntate populi R. iudicatum fuerit, iudiciorum auctoritatem aliqua ex parte conſtitutum iri: quae tum fluctuabat, propterea quod multa iudicia aperte pecunia corrumpebantur, & poſtremo, (utut de Verre iudicatum ſit) fore, ut finis iudiciariae controverſiae conſtituatur: ſive enim damnetur, penes ordinem ſenatorium manſura iudicia; ſive abſolvatur, neminem honeſte recuſaturum, quo minus ad Equites transferantur. Quae autem adferuntnr ad illius mutationis neceſſitatem oſtendendam piget refutare; ita levia & nugatoria ſunt.

Ciceronis in Verrinis locum e Graeco ſcriptore deſumtum videri.

CAP. XIII.

PUlcerrime dixit Cicero in priore actione in Verrem, arbitrari ſe, niſi iudicia repetundarum ſeverius exercerentur fore, uti nationes exterae legatos ad populum R. mitterent, ut lex de pecuniis repetundis iudiciumque tolleretur: *Si enim*, inquit, *iudicia nulla ſint; tantum unumquemque ablaturum putant, quantum ſibi ac liberis ſuis ſatis eſſe arbitretur. Nunc quod eiuſmodi iudicia ſint, tantum unumquemque auferre, quantum ſibi patronis, advocatis, praetoribus, iudicibus ſuis futurum ſit.* Id autem etſi Ciceroni ipſi per ſe facile in mentem venire potuit: non arbitror tamen longe erraturum ſi quis putet hauſtum eſſe e Demoſthene, ſi modo cuius eſt enderxis adverſus Theocrinum, quod ego quidem non puto. Sed eam orationem quicunque ſcripſit, ait eos qui accuſandi provinciam ſuſcipiunt, deinde autem pecunia corrupti, inſtitutam accuſationem deſerunt, vehe-

vehementer nocere reipublicae. Improbos enim homines qui alioqui tantum raperent, quantum ſibi ſatis futurum eſſet, tanto plus rapere, cum intelligant: eius quod rapuerunt, partem aliquam accuſatoribus dandam. Verba diſerti & copioſi oratoris, ſive ille Demoſthenes, ſive Dinarchus eſt haec ſunt: εἰδότες γὰρ οἱ βουλόμενοι κακόν τι πράττειν, ὅτι τούτοις δεῖ ἀπὸ τῶν λημμάτων τὸ μέρος δοτέον, ἐξ ἀνάγκης μείζω προαιροῦνται παρὰ τῶν ἄλλων ἁρπάζειν, ἵνα μὴ μόνον αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ τούτοις ἔχωσιν ἀναλίσκειν.

T. Livii loci aliquot e M. Tullio expreſſi.

CAP. XIV.

IMitatur interdum Ciceronem Livius & quidem ita manifeſto ut quilibet etiam mediocriter in Cicerone verſatus, id perſpicere facile poſſit. Sed tamen id plerunque tectius & occultius facit. Illius autem prioris generis exemplum luculentum eſt libro quadrageſimo, ubi Perſeus apud patrem queritur de inſidiis quibus vita ipſius a fratre Demetrio petebatur. Ciceronis haec ſunt tertio libro Catilinariarum: *Ego ſum conſul P. C. cui non forum, in quo omnis aequitas continetur, non campus conſularibus auſpiciis conſecratus, non curia, ſummum auxilium omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus ad quietem datus non denique haec ſedes honoris, ſella curulis unquam vacua mortis periculo atque inſidiis fuit*. Perſei autem haec. *Cui non ſolemne luſtrale exercitus tui, non decurſus militum, non domus, non epulae, non nox ad quietem data naturae beneficio mortalibus, tuta eſt*. Quoniam autem eiuſmodi locorum collationes, mihi olim adoleſcentulo, non voluptati modo, ſed & utilitati fuerunt: puto fieri poſſe, ut & aliis non diſpliceant. Qua ſpe fretus, alterum item ſubiiciam. Cicero in Divinatione, cum Siculos a Verre quodammodo atheos factos eſſe diceret (ita enim certe vocari

pote-

poterant, qui prope iam nullos amplius deos haberent) hoc ipſos ita querentes facit, *Seſe iam ne deos quidem in ſuis urbibus, ad quos confugerent, habere: quod eorum ſimulacra ſanctiſſima C. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet*. Hoc ita imitantur legati Ambracienſium de M. Fulvio conquerentes apud Livium libr. 38. *Templa tota urbe ſpoliata ornamentis: ſimulacra deum, deos imo ipſos convulſos ex ſedibus ſuis ablatos eſſe: parietes poſteſque nudatos: quos adorent, ad quos precentur & ſupplicent Ambracienſes, non ſupereſſe.*

Eiuſdem Livii locus caſtigatus.

CAP. XV.

UT ſana & integra videntur ſaepenumero in optimis quibuſque ſcriptoribus, quae vitioſa ſunt, & ὕπουλα: ita non raro fit, ut quae non intelliguntur, cum omni vitio careant, vitioſa tamen & corrupta videantur. Periculoſum autem negotium ſanis medicinam facere: multaque hoc modo a parum cautis corrumpuntur, ſpecie corrigendi. Quale eſt quod nunc proferam ex libro Livii 26. Ubi P. Scipio, capta Carthagine, cum virtutem militum collaudaſſet, addidit, *Quanquam omnibus omnia deberet, praecipuum tamen muralis coronae decus eius eſſe, qui primus muros aſcendiſſet, profiteretur, qui ſe dignum eo duceret dono*. Quae verba vir eruditus, cum putaret vitii aliquid continere, ita ſcripſit in ſcholiis ad Livium ſuis. *Mendum ſubeſſe puto in voce, Aſcendiſſet, ad legendum, Aſcendiſſe ſe profiteretur. Nam ſubdit, Duo profeſſi ſunt*. Atqui, o bone, non eius voluerat eſſe eum honorem Scipio, qui primum aſcendiſſe ſe diceret: hoc enim nemo erat in exercitu, quin poſſet, ſi ſatis erat ipſum dicere: ſed eius qui primus aſcendiſſet. Iubebat igitur profiteri eum, qui ſe dignum eo duceret dono: ut vere id, an falſo profiteretur, mi-

litum

ſitum teſtimonio planum fieret. Itaque veterem & receptam ſcripturam retinere ſatius fuit. Verum ubi plura nitent, non eſt quod quenquam paucae *offendant maculae, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura*.

Condemnandi, & Iudicandi verbum, Graecorum more in accuſationibus etiam a Latinis adhiberi. Advertere, quid ſit. Livius iterum purgatus.

CAP. XVI.

CONdemnandi verbum non de iudice modo, ſed & de accuſatore, qui reum peregit, dici nemo eſt, opinor, quin ſciat: idque & poſt ab aliis, & imprimis ab eruditiſſimo Budaeo notatum eſt. Sed *iudicare* quoque dici; non eum modo qui pronunciat, & ſententiam fert, verum eum quoque qui accuſat, & diem alicui dicit, id non ita vulgo notum eſſe arbitror. Indicabo igitur locum Livii ex eodem libro 26. ubi *iudicare* dicitur accuſator. Verba Livii ſunt: Tum Sempronius perduellionis ſe iudicare Cn. Fulvio dixit: diemque comitiis ab C. Calpurnio praetore urbano petit. Utuntur autem & Graeci, eodem ſenſu, verbo κρίνειν. Lycurgus in oratione adverſus Leocratem, εἰ μὲν εἰσήγγελλα Λεωκράτη δικαίως, καὶ κρίνω προδόντα αὐτὸν, καὶ τοὺς νεὼς καὶ τὰ ἕδη, καὶ τὰ τεμένη. Sed & paulo poſt; κρίσιν, accuſationem vocat. Addam quaſi poriſmatis loco, pauca quaedam ex eodem libro Livii, quae melius ut in vetere libro meo, quam in vulgatis leguntur: *Multitudo tantum cum aeris crepitu, qualis in defectu Lunae ſilente nocte cieri ſolet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos.* Legendum *Adverteret*, & eo modo ſaepe *advertendi*, verbo utitur Tacitus. Mox: *Si Aetoli pacem cum Philippo facerent, foederi adſcriberent, ita ratam fore eorum pacem.*

pacem. Melius in mea: *Ita ratam fore pacem*. Haec ut levia eſſe fateor, praeſtat tamen emendate quam depravate legi.

Livius rurſum emendatus locis aliquot e vetere libro.

CAP. XVII.

Livii verba haec ſunt ex ipſo principio libri 21. *In parte operis mei licet mihi praefari quae in principio ſummae totius profeſſi plerique ſunt rerum ſcriptores, bellum maxime memorabile omnium quae unquam geſta ſint, me ſcripturum*. Ubi an alios quoque ſcriptores intelligat, neſcio: Thucydidem certe intelligit, qui principio operis ſui, ait ſe ſperare bellum id quod ſcribere ingreditur, μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων. Et quod noſter cauſſas affert, cur tale fuerit, ille quoque alter exponit, cur tale fore opinetur. Quod autem ait adeo variam belli fortunam, ancipitemque Martem fuiſſe, *propius periculo fuerint*, *qui vicere*: id Silius prope ad verbum in poema ſuum tranſtulit.

—— propius fuere periclo
Queis ſuperare datum ——

Sed in meo vetere Livio legitur: *Ut propius periculum fuerint*; idque fortaſſis rectum eſt. Livius quidem ſaepe hac conſtructione utitur; ut libro 4. *Propius eſt fidem*. Et libro 25. *propiuſque inopiam erant obſidentes, quam obſeſſi*. Et libro 28. *Ut propius faſtidium eius ſim, quam deſiderium*. Et libro 35. *Maior gloria Scipionis; & quo maior, eo propior invidiam*. Et libro 44. *propiorque gladiatorium armorum uſum*. Notum eſt & alios primae claſſis ſcriptores ſaepenumero ita loqui. Talia enim ſunt illa Ciceronis: *Proxime Pompeium ſedebam*. & *Proxime deos acceſſit Clodius*. Et illud Salluſtii: *In dextro latere, quod proximum hoſtes erat*. Ubi tamen vulgo, adverſus vete-

rum

tum librorum fidem, legitur, *Proximum hoſtibus*. Sed apud Salluſtium quidem huius generis exemplorum copia eſt. Quae autem paulo poſt in Livio ita legitur: *Ut appareret omnibus, maius eum, quam quod gereret, agitari in animo bellum*: vox *omnibus* in eodem vetere libro non apparet. Quod *pueritiam Hannibalis* dicit: neceſſe eſt, Hannibalem, moriente patre, non minorem octodecim annis fuiſſe: ut merito credi poſſit calumniam eſſe, quod de ipſius impudicitia traditur. *Barchinae* autem factioni libenter ſpiritum detraxerim, *Barcinamque* vocaverim, a *Barca*, quod *Amilcari* cognomen fuit. Sed & ubi vulgo *Auſpiciis Regulorum* legitur, ſine controverſia melius eſt in veteribus, *Aucupiis*: ut intelligamus eum regulorum amicitias aucupari ſolitum eſſe. Elegantiſſima autem Hannibalis deſcriptio, olet aliquid ex deſcriptione Catilinae Salluſtiana. Hanc quidem Livianam Silius carmine pereleganter expreſſit. Hoc tamen, quod de Hannibale dixit Livius, eum *principem proelium inire, ultimum confecto proelio excedere ſolitum*. Silius ad Tagum accommodavit, cui hoc tribuit, quod fuerit,

Primus inire manu, poſtremus ponere bellum.

De Horatio Coclite Senecae narratio, ab aliis praetermiſſa.

CAP. XVIII.

OBſervatione dignum arbitror, quod cum P. Horatius Cocles in ponte Sublicio ſolus impetum hoſtium excepiſſet, reſciſſoque ponte incolumis tranaſſet ad ſuos, gratus erga tantam virtutem populus Romanus fuit, & praeter ſtatuam ahaeneam in Comitio poſitam, tantum ei agri, quantum uno die circumaraſſet, dedit: cum in modicis opibus neceſſe eſſet, modica eſſe magnarum virtutum praemia. Sed illud quo-

que memoratu dignum eſt, eum illud ipſum quantulumcunque praemium accipere noluiſſe: non quod aſpernaretur, ut parum: ſed quod inutilem reſp. civem eſſe duceret, qui ob operam publice navatam opulentior eſſe aliis civibus vellet: ac non potius in ipſa recte facti conſcientia, & in caritate ac benevolentia civium ſuorum ſatis ſibi magnum praemium poneret. Hoc tamen neque a Livio, neque a Dionyſio, neque a Plutarcho ponitur: quin potius ii omnes ita loquuntur, ut ab eo acceptum fuiſſe praemium ſignificent. Seneca tamen, alios videlicet auctores ſecutus, aliter narrat; cuius verba ſubiiciam e capite ſeptimo, libri ſeptimi de Beneficiis: *Illam alteram poſſeſſionem agnoſcet: hanc nolet habere, etſi poterit, emittetque illam vocem, quam Romanus imperator emiſit, cum illi ob virtutem & bene geſtam remp. tantum agri decerneretur, quantum arando uno die circuire poſſet. Non eſt, inquit, vobis eo opus cive, cui plus opus ſit, quam uni civi.* Haec Seneca: qui quanquam Coclitem non nominat, & eum de quo loquitur, quod in Coclite mirum videri poteſt, Romanum imperatorem vocat, *Coclitem* tamen intelligere videtur. Sed & in veterum Galliae regum Annalibus egregia facta perexiguis olim praemiis decorata legimus: non quod minoris fieret virtus; ſed quod avidiores tunc homines gloriae, minus avidi pecuniae forent: gloriamque ſuam contaminari ac pollui crederent, ſi quod aliud praemium acciperent, niſi tam leve: ut appareret eos non id quaeſiiſſe. Sic antiquis temporibus victores ſacrorum certaminum, non auro ac gemmis nitentem, ſed pineam aut oleaginam coronam ferebant; quae virtutis non praemium, ſed indicium eſſet. Noſtra aetas virtutem gratis colere deſiit: verſaque vice, exigua hodie lenonibus praemia videntur, quae olim exercituum ductoribus nimis magna viſa eſſent.

Adire

Adire manum alicui. Plautus locis aliquot explicatus.

CAP. XIX.

UT alia permulta proverbia male interpretatus erat is, qui tot eorum millia congeſſerat, ita hoc quoque, quo ſaepe utitur Plautus cum *aditam manum* dicit ei, qui, cum iam ſibi quippiam accepturus videretur, poſtea fruſtra habitus ac deluſus eſt. Idque eo mirabilius eſt, quod diligenter ſub uno aſpectu poſuit, eos, ut opinor, omnes locos, in quibus eo proverbio uſus erat Plautus: quae vel una res potuit eum ad veram illius intelligentiam manu ducere. Sed hoc condonari fortaſſe facile poteſt homini cetera polyhiſtori; & magis interdum laboranti ut multa ſcriberet, quam ut accurate ſcriberet. Is igitur eo inter cetera lapſus eſt, quod putavit legendum eſſe, *addere manum*, non *adire manum*. Cum vel unus locus, quem ipſe quoque citat, ex Poenulo, facile eum admonere potuerit erroris ſui.

Quo pacto pulcre avarae Veneri adii manum.

Fallitur etiam in eo, quod putat Proverbium ductum ab iis, qui in aliis irridendis, manu ad aurem admota, imitantur auriculas Aſini. Cum enim conſtet, dici debere, *adire manum* non *addere*: nemo non videt, eam, quam ille ratus eſt, Proverbii originem eſſe non poſſe. Sed longe deterius novus Plautinus interpres, qui ne vidit quidem, quid Proverbio indicaretur. Cum enim veniſſet ad illum verſum ex Aulularia,

Ita illis impuris omnibus adii manum.

his verbis interpraetatus eſt. *Ita cum illis ſceleratis congreſſus ſum, & ita ab illis diſceſſi ſcilicet, vel ita illos impure tractati. Quid ſit Adire manum alicui, ex aliis exemplis cognoſcere licebit. Sic igitur idem Plautus in Caſina.*

Quid nunc? ſatis lepide aditaſt vobis manus merito?

id eſt, Quid nunc? Satis ne lepide tractati a nobis eſtis?
Idem in Poenulo.

Eo pacto avarae Veneri pulcre adii manum.

id eſt, Eo pacto avaram Venerem pulcre tentavi.

Οὕτω τῇ φιλαργύρῳ ἀφροδίτῃ καλῶς ὡμίλησα.

Οὕτω τῇ φιλαργύρῳ ἀφροδίτῃ καλῶς ἐχρησάμην.

Idem in Perſa:

Ut me in tricas conieciſti? quomodo de Perſa manus mihi addita eſt?

Quidam exiſtimant, adire manum, eſſe ſupplicare apud Plautum. Sed hac interpretatio non bene procedit in omnibus locis. Hactenus ille. In quo praeter cetera hoc miror, quod illam interpretationem, quam ſecundo loco ponit, dicat non bene procedere in omnibus locis. Videtur enim ſignificare, eam alicubi ſaltem ferri poſſe, ſed non ſemper. Ego autem dico, quocunque eam loco adhibueris, ſemper inſulſam & ineptam fore. Sed neque quidquam excogitari poteſt, cur *adire manum alicui* ſit χρῆσθαί τινι, aut ὁμιλῆσαί τινι. Quaerendum igitur aliquid melius. Et mihi quidem ita videtur: *adire manum alicui*, dici eum, qui quod illi, tanquam in manum traditurus oſtentet: cumque ille manum ad id capiendum porrexerit, ſuam ipſe manum retro trahat, eumque inanem atque hiantem deſtituat. Nunc videamus, ecquid illa interpretatio in omnes Plauti locos conveniat. In Aulularia hoc dicit Euclio: Veneram in macellum, & multa licitatus eram: ita ut piſcatores & lanii lucri ſe aliquid ex me corraſuros eſſe ſperarent. At ego nihil emi: & ſic eis adii manum. In Caſina Cleoſtrata ita inſultat & villico, & ſeni. Quid nunc? an non lepide ludibrio habiti eſtis, idque merito veſtro, cum inhiaretis Caſinam, eamque iam a vobis teneri putaretis? At ille noſter eo quoque in loco, *Adire*, inquit, *manum alicui, proprie eſt, ad eum accedere, cum eo congredi & colloqui, cum eo agere.* Tacere praeſtabat

ſtabat, quam haec tam aliena dicere. In Poenulo autem leno. Venus inquit, ut avara eſt, plures aſſidue a me hoſtias exſpectabat: ideoque litare me nolebat. at ego ne proſecari quidem exta volui: eamque hiantem reliqui; & ſic adii manum. In Perſa itidem leno. Quomodo cum ex illo aſſimulato Perſa magnum lucrum ſperarem, tu dolis tuis me in magnum infortunium coniecisti? Haec, niſi valde fallor, multo accommodatiora ſunt ad Plauti locos, quam quae illi commenti ſunt. Sed de hoc alii iudicabunt.

Cicero in Maniliana emendatus & illuſtratus.

Vitioſus ut mea fert opinio, locus hic eſt e principio orationis pro lege Manilia. *Nunc cum & auctoritatis in me tantum ſit, quantum vos honoribus mandandum eſſe voluiſtis*, & quae ſequuntur. Cur adducar, ut ita exiſtimem, haec cauſſa eſt. *Mandare honores*, recte & uſitate dicitur: *mandare auctoritatem honoribus*, neque quiſquam dixit, neque qui dicat, pro ſano loquatur. Et tamen neceſſe eſt, hoc admittamus, ſi vulgatam ſcripturam retineamus. Non dubito igitur, quin legendum ſit, *Quantum vos honoribus mandandis eſſe voluiſtis*. Auctoritatis enim tantum in ſe eſſe dicit, quantum populus eſſe voluit, cum ei honores illos mandavit, quibus auctoritas illa parta ac comparata erat. Nam illud quoque, *voluiſtis eſſe mandandum*, illepide & ineleganter diceretur. Erit igitur ſimile illi, quod eſt ſub principium orationis pro Balbo: *Auctoritatis tantae, quantam vos in me eſſe voluiſtis*. Paulo poſt autem, ubi de Pompeii laudibus dicere ingreditur. *Huius*, inquit, *orationis difficilius eſt exitum quam principium invenire*. Quae ſententia ſemper mihi viſa eſt efficta ex Lyſia: qui principio eius orationis, quam habuit adverſus Eratoſthenem, qui unus e triginta tyrannis fuerat, ita

 ſcribit,

ſcribit, οὐκ ἄρξαϑαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι, ὦ ἄνδρες δικαςαὶ, τῆς κατηγορίας, ἀλλὰ παύσαϑαι λέγοντι.

Xenophontis locum in Cyri Paedia imitatus Salluſtius.

CAP. XXI.

UTiliſſimum praeceptum eſt adoleſcentibus, qui exercere ſe cum aequalibus ſuis volunt ad facultatem aliquam firmius comparandam, ne eos potiſſimum deligant, quibus ſe ſuperiores eſſe cognoſcunt. Sed quo quiſque maxime excellit, eo illum potiſſime provocent. Lucta, ſaltu, curſu, cum eis contendant, qui horum quodque facere putentur. Illud enim, oſtentare ſe cupientium eſt: hoc eorum, qui progredi quotidie longius, & ſemetipſis meliores fieri ſtudeant. Itaque Cyrus, ut eſt apud Xenophontem, cum inter Medos iam paulo grandior educaretur, non iis quae apud Perſas didicerat, ſed iis quae melius in Media diſcerentur, Medorum pueros provocabat. Neque recuſabat, quo minus ad tempus ab eis vinceretur, eiſque ridiculo eſſet, dum eo paulatim perveniret, ut iis ipſis illos artibus quibus pollebant, aut adaequaret, aut etiam anteiret. Qua de re verba Xenophontis haec ſunt: Καὶ γὰρ ὅσα διαγωνίζονται πολλάκις ἥλικες πρὸς ἀλλήλοις, οὐχ ἃ κρείσσων ᾔδει ὢν ταῦτα προὐκαλεῖτο τοὺς ξυνόντας, ἀλλ' ἅπερ εὖ ᾔδει ἑαυτὸν ἥττονα ὄντα, ταῦτα ἐξῆρχε, φάσκων κάλλιον αὐτῶν ποιήσειν. Hunc autem Xenophontis locum imitatus, ut videtur, erat Salluſtius in ornando celebrandoque Pompeio quod e Vegetio cognovimus, cuius haec ſunt e libro primo de re militari *De exercitio Pompeii Magni Salluſtius hoc memorat. Cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis voce certabat.* Hoc Salluſtianum praetermiſſum eſt ab iis qui fragmenta Salluſtii collegerunt, ut & hoc ex libro ſecundo hiſtoriarum, quod apud Agellium exſtat.

exſtat. *Sardinia in Africo mari, facie veſtigii humani, in orientem, quam in occidentem, latior prominet*.

Saluſtii in Catilinario locum e Sophocle expreſſum videri.

CAP. XXII.

QUod ait C. Caeſar apud Salluſtium in oratione, qua diſſuadet, non ne coniurationis deprehenſi interficiantur, *in luctu atque miſeriis, mortem aerumnarum requiem, non cruciatum, eſſe*: idem prope dicit apud Sophoclem Antigona his verſibus:

Ὅς τις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγώ, κακοῖς
Ζῇ, πῶς ὅδ᾽ οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;

Ut fortaſſis illinc hauſiſſe vel Caeſar, vel Salluſtius videri queat. Eos ego Sophoclis verſus ita Latine reddidi:

Nam quiſquis, ut ego, in plurimis vivit malis,
Quidni ille mortem eſſe in lucro putet ſibi?



MARCI ANTONII MURETI IURISCONSULTI ET CIVIS ROMANI

OBSERVATIONUM IURIS

LIBER SINGULARIS.

Defuncto reo, ſolutaque poena, quae ad heredes pertinet, qui de re pecuniaria iudex cognoſcere debeat. Emendata in eam rem L. Defuncto eo. D. de pub. iud.

CAP. I.

NOtum eſt quaedam eſſe crimina, ob quae, praeter eam poenam, quae niſi ab ipſo reo exigi non poteſt, cuiuſmodi eſt relagatio, deportatio, damnatio in metallum, & ſimiles: eripitur etiam convicto & condemnato pecunia ſcelere parta: quam, eo mortuo, etiam heredes exigi ſolent, exemplicauſſa in crimine repetundarum non tantum infamia, exilium, poena capitalis interdum reo irrogatur, ſed & pecunia aufertur, quae expilatis provincialibus reddatur. Illam igitur poenam certum eſt perimi, defuncto reo, l. 3. D. de publ. iudic. quam enim poenam exigas ab eo qui iam mortuus eſt? praeter pauca quaedam crimina, in quibus & accuſatio mortuo iam reo inſtitui poteſt, & a mortuo quantum natura patitur, exigitur ponea

poena, ut cum cineres, & oſſa eruuntur, ac proiiciuntur in mare, cum cadaver ipſum ſuſpenditur, cum memoria damnatur, ſtatuae deiiciuntur, nomen e faſtis eraditur, ſed pecunia, accuſato in reatu mortuo, exigi etiam ab heredibus ſolet. Quaeritur ergo defuncto reo, exſtinctaque ea poena, ad heredem devenire nullo modo poteſt, apud quem iudicem de re pecuniaria agi debeat. Et vulgo putant, non apud eum qui cognoſcere inſtituerat de crimine, ſed apud eum cuius de cauſſis pecuniariis notio eſt, idque probari cenſent, l. defuncto eo. D. de publ. iudic. quam etiam Graeci eo modo interpretantur, ſed mihi plane contra videtur. Conſtat enim, ab iiſdem antiquitus aeſtimatam litem, qui de repetundarum crimine cognoverant & vero quis, quanti ſit aeſtimanda lis, cognoſcere melius poſſit, quam is ipſe qui totum crimen cognovit? Imo vero eam ipſam legem *Defuncto eo*, puto id dicere, ſi emendate legatur. Nam quomodo nunc legitur, nullam videtur idoneam ſententiam continere. Cenſeo igitur legendum hoc modo: *Defuncto eo, qui reus fuit criminis & poena exſtincta, quicumque in cauſſa criminis exſtincti debuit cognoſcere, eius de pecuniaria re cognitio eſt.* Pro *in quacumque*, lego, *quicumque in*, Pro *debet is*, lego *debuit*. Ubi legitur *Curius*, lego *eius*. Quae mutationes neque contortae ac violentae ſunt, & ad veram ſententiam eliciendam neceſſariae videntur.

Servum nec relegari nec deportari. Emendata in eam rem lex.

CAP. II.

Quemadmodum *exilii* nomen in libris noſtris ſaepenumero mitius accipitur, & relegationem tantum ſignificat: ut quoties exilium temporarium dicunt; non enim ſi proprie loqui velimus, poteſt quiſ-

quiſquam ad tempus exſulare, neque omnino ad tempus capite minui: ſic & nomen relegationis aliquando durius ac gravius accipiendum eſt: ita ut deportationem ſignificet. Et ita intelligi debet in l. *Hos accuſare. §. omnibus autem*. D. de accuſ. & inſcript. quod & Accurſius notavit. Alioqui ne ea quidem relegatio quae in perpetuum eſt, inter capitales poenas numeratur l. *Capitalium*. D. de poenis. Quare inepto ad id quod argebatur exemplo iuriſconſultus uſus eſſet. Deportatio igitur capitalis quidem poena eſt, ſed in ſervos non convenit. Nam quomodo eum capite minues, qui caput non habet? aut quomodo bona, civitatem, libertatem adimas ei, qui neque quicquam habet in bonis, neque civis, neque liber eſt? nihilo ſecius ne *relegatio* quidem proprie dicta ſervile eſſe ſupplicium poteſt. Duriora enim & acerbiora ſupplicia in ſervos conſtitui ſolent: non molliora, cuiuſmodi relegatio eſt. Et cum relegatus retineat civitatem poteſtatem patriam, bona, teſtamenti factionem; quis non videt haec in ſervum convenire non poſſe? Quod etiam, ſi fingamus ſervum relegari poſſe, id eſt, alio amandari, & urbe provinciave prohiberi beneficium iſtud fuerit, non poena, amovere ab oculis domini, eique fugiendi neceſſitatem imponere: quod ſervi ſaepius quam domini voluiſſent ſuapte ſponte faciebant; & poenae loco eum genere quodam libertatis donare. Itaque ſi cui ſervili admiſſo propoſita fuiſſet relegatio, nihil arbitror cupidius facturos fuiſſe omnes ſervos, quam ut in eam poenam quamprimum inciderent. Neque opus fuiſſet accuſatore, ipſi ſe ultro detuliſſent, atque indicaſſent, vehementerque recuſaſſent, ſi quis ipſos defendere, & tam optandam condemnationem impedire voluiſſet. Adverſari tamen videtur huic ſententiae l. 2. D. Qui & a quib. man. lib. non fiant, ubi ita legimus: *Servo competere libertas non poteſt, ſi relegatus moratus ſit in urbe*. Quid enim apertius,
quam

quam ibi relegati ſervi mentionem fieri? Obſtat & Lex 2. C. de ſepul. violato. Cuius haec verba ſunt: *Si ſervus in demoliendis ſepulcris fuerit deprehenſus: ſi id ſine domini ſcientia faciat, metallo abdicatur. Sin vero domini auctoritate vel iuſſione urgetur, relegatione plectatur.* Ad nodum hunc ſolvendum Accurſius ea comminiſcitur, quorum vel meminiſſe pigeat. Ego ad l. 2. Qui & a quibus, ita reſpondeo. Relegatis dies plaerumque aliquot ad componendas res ſuas dabantur, praeſcribebaturque iis certus dies intra quem excedere deberent; quod ſi per contumaciam diutius manſiſſent, neque ſententiae paruiſſent, relegatio in deportationem mutabatur. l. 4. D. de poenis. Deportatorum autem bona fiſco, ut notum eſt, applicabantur. Hoc igitur dicit Iuriſconſultus, ſi quis relegatus, in urbe per contumaciam moratus ſit, ac deinde ſervo ſuo libertatem dederit, eam dationem non valere neque competere libertatem ſervo qui iam una cum ceteris bonis fiſcalis effectus eſt. Deportatus enim manumittere non poteſt L. 2. de interd. & releg. & deport. Sed & ad illam conſtitutionem de ſepulcro violato aeque facilis reſponſio eſt. Non enim legendum eſt *ſi ſervus*, ut vulgo, ſed, *ſi quis*; ut in codice Theodoſiano. Quod ſi quis dicat hac mutatione nihil effici: cum domini mentio quae ſtatim ſequitur, aperte oſtendat de ſervo agi: reſpondeo, non eius qui ſepulcrum demolitus eſt, dominum, ſed dominum ſepulcri accipi debere. Neque me movet, quod Graeci hoc aliter interpretantur: quos ipſos ſaepe labi, & magno iudicio adhibito legendos ſcio. Haec ego non tanti eſſe duxiſſem ut in hos libros referrem, niſi etiem Briſſonium in libro ſingulari de adulteriis ad hunc ſcopulum impegiſſe vidiſſem.

Emen-

Emendatur reſcriptum M. Antonii, & L. Veri. In L. 1. D. de quaeſtionib. Accurſii error.

CAP. III.

IN L. 1. D. De quaeſtionibus, vulgo ita legitur: *Divi fratres Laeliano Longino reſcripſerunt de ſervo heredum; non eſſe habendam quaeſtionem in res hereditarias, quamvis ſuſpectum fuiſſet, quod imaginaria venditione dominium in eo quaeſiviſſe heres videretur.* Ubi Accurſius comminiſcitur, ſervum illum ex alia cauſſa, quam hereditaria, heredum comunem fuiſſe & venditionem exponit emtionem: quorum quidem mihi nihil probari poteſt. Neque dubito quin locus corruptus ſit; a quo, non dico, fortaſſis enim antiquior error eſt, quam ut librariis tribui debeat. Sed moveor primum, quod cum ſervum heredum dixerit, mox unius tantum heredis mentionem faciat. Deinde, quod in hunc aut in illum torqueri ſervos quid ſit, ſcio: at ſervum torqueri in res hereditarias quid ſit, plane non video. Nam ſi hoc quaeretur, utrum, iacente adhuc hereditate, & mota aliqua controverſia ſuper rebus hereditariis, ſervus hereditarius ea de cauſſa in quemlibet eorum, qui inſtituti ſunt heredes torqueri poſſet: ſine ulla dubitatione reſponderem poſſe torqueri. Hoc quod placet. C. eodem tit. Neque enim videretur torqueri in caput domini; Cum heres ante aditam hereditatem heres non ſit. l. 2. D. eod. tit. l. liber homo. D. ad l. Aquil. Adde quod genus hoc loquendi, *ſuſpectum fuiſſet quod videretur*, homini Latinae linguae intelligenti, non ſuſpectum eſſe non poteſt. Venditionem denique pro emtione qui accipiat, etiam album pro nigro, accepturus videtur. Neque ſum neſcius, ubi venditio eſt, neceſſario eſſe emtionem, & contra, eſſeque unum & eundem contractum emtionis & venditionis, ſed certe aliud

liud eſt emere, & aliud vendere. Ne plura: multa hic eſſe, quae emendatione indigeant, arbitror: & totum hunc locum ita legendum cenſeo. *Divi fratres Laeliano Longino reſcripſerunt de ſervo hereditario non eſſe habendam quaeſtionem in emtorem hereditatis, quamvis ſuſpectum: quod imaginaria venditione dominium in eo quaeſiſſe videretur*. Spero hanc mutationem eruditis & intelligentibus probatum iri, de ceteris non laboro.

Demonſtratur incogitantia eorum qui libros pandectarum concinnarunt.

CAP. IV.

MUlta inſignia veſtigia impreſſa ſunt in libris pandectarum, eius incogitantiae, qua uſi ſunt ii quibus eos Iuſtinianus concinnandos mandaverat: & reperiuntur tamen, qui eos pertinaciter defendant, quaſique non ipſi modo coeci ſint, ſed & aliis quoque eruere oculos velint, contendunt, nihil in eis libris repugnans, nihil fruſtra repetitum poſſe reperiri. Sed utriuſque generis tam multa notata ſunt ab hominibus eruditiſſimis, ut non modo ſtulti, verum etiam impudentis iam ſit, ulterius in illa iampridem labefactata & profligata opinione velle perſiſtere. Ac quoniam eo plaerumque decurrunt, cum idem ſine cauſſa ſaepius indicatum oſtenditur, ut dicant, unam eandemque ſententiam interdum ad diverſos articulos pertinere, deoque neceſſario ſaepius repetendam fuiſſe: libet unum eis obiicere, in quo certe hoc perfugio uti non queant. Nam ſi ſub eodem titulo, eiuſdem Iuriſconſulti, eadem verba ex eodem libro ſumta, bis poſita eſſe oſtendas, valde duram frontem habeat oportet, ſi quis id quoque certo, & vero iudicio, non ſupina quadam negligentia factum eſſe contendat. Sub titulo igitur de re iudicata, legis ſextae principium hoc eſt:

Ulpia-

Ulpianus libro ſexageſimo ſexto ad edictum. Miles qui ſub armata militia ſtipendia meruit, condemnatus, eatenus qua facere poteſt, cogitur ſolvere. Lex autem 18. ſub eodem titulo haec eſt, *Ulpianus libro LVXI. ad edictum. Miles qui ſub armata militia ſtipendia meruit condemnatus eatenus, quatenus facere poteſt, cogitur ſolvere*. Concurrant hic omnes columnarii magiſtrii, & capita inter ſe conferant; numquam, quamquam acuti ſunt, ullam idoneam cauſſam; cur haec tam exiguo interiecto ſpatio repetenda fuerint comminiſcentur. Eodem modo peccatum eſt in l. ſi conſtant §. ſi vir. & in l. quod ſi vir D. ſol. matrim. ſimile quiddam meminiſſe videor notatum & ab Antonio Auguſtino, etſi id nunc reperire non poſſum. Nec non illud quoque magni ſtuporis indicium quod, quae verba, ſua tit. ad leg. Iul. de vi publica, ad finem l. qui dolo malo, citaverant ex Ulpiano lib. LXVI. ad edictum eadem repetunt ſub illo titulo, qui proxime ſequitur, & tribuunt Scaevolae libro quatro regularum. Video tamen hoc poſterius excuſari aliquo modo poſſe.

Unde ductum videatur dictum illud Ulpiani. Heri ſervus, hodie liber.

CAP. V.

FErendi non ſunt, qui cum ab egeſtate ad pinguiorem fortunam repente pervenerunt, ita delicias faciunt, ac ſi a puero in magnis opibus educati forent. Cuiuſmodi multos non ſemel vidimus, qui cum paucis ante diebus, panem cibarium, & caepas, cum ſale, & alia in deliciis haberent, neque niſi feſtis diebus vinum idque, aut aceſcens, aut mucidum, aut fugiens, biberent: confeſtim nullo ſuo merito divites facti, omnia faſtidiebant, ad omnia nauſeabant: ut ego quidem videre mihi videor aſinos, qui diu lappis ac tribulis & ver-

verberibus paſti, repente immutati, coliculos praedu- ros, lactucas non ſatis teneras eſſe quererentur. Neque ullos videas; qui ſaepius in ore nobilitatem habeant; qui plebem cuius ipſi nuper fuerant, inſolentius deſpiciant, qui magis indignentur, ſecum quemquam ex aequo loqui. Quia enim ut & vere, & urbane ſcripſit Ariſtoteles, nondum didicerunt divites eſſe, omnem divitiarum, & illius ſubitae nobilitatis fructum, in contumelia & ſuperbiloquentia poſitum putant. Talium inſolentiam cum coercendam ac comprimendam diceret Ulpianus in l. Praetor. edixit. D. de iniuriis: *Neque enim ferre*, inquit, *debet Praetor heri ſervum, hodie liberum; conquerentem, quod dominus ei convicium dixerit, vel quod leviter pulſaverit*. Ubi illud, *heri ſervum, hodie liberum*, urbaniſſime dictum eſt, & ſimile illi, quod Cicero in Philippicis citat, e vetere quopiam mimographo,

Modo egens, repente dives.

Utrumque autem effictum videtur ex illo lepidiſſimi Poetae Ariſtophanis:

Ὢ χθὲς μὲν οὐδὲν, τήμερον δ' ὑπέρμεγας.

Eodem reſpexit & declamator. lib. 3.

Cum prodiero repente dives, dicent omnes;
Quis eſt iſte quem magna fortuna non decet.

Sed & haec prope omnia, & aliquot eiuſdem generis alia notavit doctiſſimus Cuiacius in novellam VI. ut perparum afuerit, quin ego ubi primum id animadverti, totum hoc caput deleverim. Quia tamen iam pridem ſcripſeram, perire nolui.

Gordiani reſcriptum, vulgo male acceptum, explicatur.

CAP. VI.

PEſſime accipitur ab Accurſio, & ab alia ſordidorum Interpretum colluvie reſcriptum Gordiani, quod legi-

legitur libro quinto Codicis ſub tit. De pactis conventis, tam ſuper dote, quam ſuper donatione ante nuptias, & paraphernio, in haec verba: *Pactum dotale quo matrem conveniſſe cum patre tuo proponis, ut ſi in matrimonio deceſſiſſet, tibi & fratribus tuis dos reſtitueretur, ſi ſtipulatio ex perſona veſtra, cum in poteſtate patris conſtituti non eſſetis, minus legitima interceſſit: defuncta ea in matrimonio, actionem vobis quaerere non potuit, ſed ſi obligatione verborum, rite intercedente, dotis petitionem habere potuiſti, maxime ſi adhuc vinculis poteſtatis patria non attingeris, petitionem exſequi non prohiberis.* Fingunt enim dotem conſtante iam matrimonio datam; & eos filios, de quibus reddenda dote mater pacta dicitur, cum dos daretur iam emancipatos fuiſſe. Quae utraque commentitia ſunt & nugatoria. Si enim iam emancipati erant, cur illo in extremo ab Imperatore additur, *Maxime ſi adhuc vinculis poteſtatis patria non attingeris.* Niſi forte ſomniant, hunc, qui pridem emancipatus fuerat, poſtea caſu aliquo receſſiſſe in poteſtatem patris. Quod cum vix fieri poſſe conſtet: & abſurdum ſit talia comminiſci: praeſtat utram facti ſpeciem proponere, quae omnem ſcrupulum eximat. Eſt autem haec, Mulier cum ei in nuptura eſſet, ex quo iam antea naturales liberos ſuſceperat, in danda dote, pacta eſt, ſi in matrimonio deceſſiſſet, eam filiis communibus reſtitutum iri. Poſtea nupſit; atque eo modo liberi, qui prius in poteſtate patris non erant, in ea eſſe coeperunt. Moritur mater. Quaeritur an filii actionem ad dotem repetendam adverſus patrem habeant? Et reſpondet Imperator, ſi minus interceſſerit legitima ſtipulatio ex perſona ipſorum, id eſt, niſi ipſimet ſtipulati ſint a patre, dotem ſibi eo caſu reſtitutum iri: quod facere legitime poterant, cum in eius poteſtate non eſſent: ex materno pacto eos habituros non eſſe actionem. Sed ſi ſtipulatio ex parte ipſorum interpoſita

eſt,

eſt, maxime, id eſt, ita demum eos habere actionem adverſus patrem, ſi iam ex illius poteſtate exierint. Nam ſi adhuc in poteſtate ſint, nemini dubium eſt, inter eos & patrem iudicium conſtare non poſſe. In eo igitur reſcripto *ſi minus*, idem valet, quod, *niſi* & *maxime*, idem quod, *utique*: ut ſæpe alias. Neque reticendum eſt, ubi legitur *attingeris*, media litera detracta, legendum videri, *attineris*. Sic enim & apud Tacitum *vinculo ſervitutis attineri*, & apud eundem *attineri cuſtodia publica*.

Illudere, ludificari, ludibrio habere.

CAP. VII.

ILludere, ludificari, ludibrio habere, ſaepe apud antiquos turpitudinis & obſcoenitatis ſignificationem habent, ut apud Graecos ὑβρίζειν, ἐμπαίζειν, καταπαίζειν, Suetonius in Tiberio: *foeminarum quoque, & quidem illuſtrium capitibus quantopere ſolitus ſit illudere.* Tacitus, *tradunt plaerique eorum temporum ſcriptores, crebris ante exitium diebus illuſiſſe pueritiae Britannici Neronem.* Sic in lib. Iudicum cap. 19. *Quod cernens homo, adduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam* καὶ ἔγνωσαν αὐτὴν, καὶ ἐνέπαιξαν αὐτῇ ὅλην τὴν νύκτα. Quod Latinus interpres modeſte reddidit, tota nocte eos illa abuſos fuiſſe, dicens. Terentius Eunucho: *Quin etiam inſuper ſcelus poſtquam ludificatus eſt uirginem.* Idem Hecyra,

Sed quam decrerim me non poſſe diutius
Habere, eam ludibrio haberi Parmeno.

Quem in locum Donatus. Honeſto, inquit, verbo, & pleno pudoris uſus eſt, & nove, pro vitiari. Ita hoc poſtremo utuntur & Iuriſconſulti, ut Paulus in l. ſi quis ſervum. De iniuriis. *Si quis, inquit, ſervum meum, vel filium meum ludibrio habeat, licet conſentientem, tamen ego iniuriam videor accipere.* Sed his verbis tum demum

 ute-

utebantur, cum talia; non amoris cauſſa, ſed contumeliae faciebant. Nam quae per amorem fiebant, mitius accipiebantur. Atque eo pertinet illa Terentiani adoleſcentis excuſatio. Terent. Eunucho, act. 5.

unum hoc ſcito non me contumeliae
Feciſſe cauſſa, ſed amoris,

Emendatae Inſtitutiones Iuſtiniani.

CAP. VIII.

IN Inſtitutionibus Iuſtiniani, ſub titulo de heredibus inſtituendis, ita legitur: *Eſt tamen caſus, in quo nec cum libertate utiliter ſervus a domina heres inſtituitur, ut conſtitutione divorum Severi & Antonini cavetur, cuius haec verba ſunt. Servum adulterio maculatum non iure teſtamento manumiſſum ante ſententiam, ab ea muliere videri, quae rea fuerat eiuſdem criminis poſtulata, rationis eſt: Quare ſequitur ut in eumdem a domina collata heredis inſtitutio, nullius momenti habeatur.* Eadem conſtitutio legitur in l. 48. D de hered. inſtit. qua ex collatione diſcimus vocem *HEREDIS* redundare, quod & per ſe patere poterat; & in extremo legendum, *nihil momenti habeat,* quod cum librarius ſcripſiſſet, per ſigla hoc modo. N. M. H. ita expoſuerunt, *nullius momenti habeatur*. Sed Accurſius oſtendit ſe uſum inſtitutionum libro, in quo omnia ad verbum ita ſcripta eſſent, ut in Pandectis, niſi quod illic *accuſatum*, legitur non ut hic *maculatum.* Cetera ergo eodem modo utrubique legenda ſunt, ſed hoc poſtremum dubitationis aliquid habet non tantum in verbis, verum etiam in ſententia. Nam Accurſius *maculatum* quidem legit: ſed *accuſatum*, interpretatur, neque diſſimulat, eſſe alios libros in quibus legatur, *accuſatum*, cuiuſmodi ego quoque unum habeo: &, ne dicam dolo, rectam ac veram eſſe eam ſcripturam puto.

to. Eruditiſſimus tamen huius aevi Iuriſconſultus illam alteram tuetur fretus auctoritate Graecorum, qui ita interpretantur, ἔνοχον ὄντα τῇ μοιχείᾳ: & quo alioqui pugnaret haec conſtitutio cum l. reos. C. ad legem Iuliam de adult. Sed mihi quidem mirum videtur, quomodo dici poſſit, manifeſto teneri adulterii ſervum pendente adhuc iudicio. An forte iam de flagitio ita conſtiterat, ut dubium non eſſet, quin mox damnandus foret, neque quicquam reſtabat aliud, niſi ut ferretur ſententia? Imo vero evenire poterat, ut abſolveretur: quo ipſo caſu non tamen convaleſceret inſtitutio, quae a principio inutilis fuiſſet. Nota eſt enim Catoniana regula. Quomodo autem abſolvi poterat, ſi iam flagitii compertus erat? niſi forte quomodo abſolutus enim dicitur Clodius, cum Bonae Deae ſacra violaſſet. Et tamen tum quoque res iudicata, pro veritate haberetur. At ſi legamus, Accuſatum, dicat aliquis, certe pugnabit haec conſtitutio cum l. reos. C. ad l. Iul. de adult. Quomodo igitur efficiemus ne lex 48. D. de hered. inſt. cum eadem illa l. reus, manifeſto pugnare dicatur? Sed verius eſt, nullam inter eas eſſe pugnam. Quamvis enim ſimul marem & foeminam eiuſdem adulterii ab eodem reos fieri lex Iulia non ſinit: a diverſis tamen eos eodem tempore poſtulari non vetat l. denuntiatio. §. quaeritur. D. eodem tit. quare non dubito, quin quomodo in pandectis legitur conſtitutio Severi & Antonini, eodem plane modo, in inſtitutionibus legenda ſit.

Emendata lex, Praetor ait. D. de edendo.

CAP. IX.

DEeſſe aliquid videtur in l. Praetor ait. D. de edendo. Vulgo enim ita legitur. *Praetor ait, argentaria*

taria menſae exercitores rationem quae ad ſe pertinet edant adiecto die & conſule . Huius edicti ratio aequiſſima eſt, nam cum ſingulorum rationes argentarii conficiant , aequum fuit, id quod mei cauſſa confecit , meum quodammodo inſtrumentum mihi edi . Certe enim ratio , quae ſubiicitur , non cohaeret cum iis edicti verbis quae anteceſſerunt . Sed vix quemquam dubitaturum arbitror , quin in edicto ita legi debeat : *Rationem cuique quae ad ſe pertinet .* Ita enim pulcre cohaerebunt omnia . Quod confirmare pluribus verbis , hominis eſſet otio & abundantis & abutentis .

Oſtenditur vera lectio l. Iuris gentium. D. de pactis Contra Accurſium.

CAP. X.

IN l. Iuriſgentium ſ. dolo molo. D. de pactis ita vulgo legitur . *Sive autem ab initio, dolo malo pactum factum eſt , ſive poſt pactum aliquid dolo malo factum eſt , nocebit exceptio propter haec verba edicti , neque fiat .* Quaerit autem Accurſius, ubi ſint verba illa edicti,& reſpondet ea non extare . Ego autem exiſtimo ſigla , quibus ſingulae voces ſignificabantur , coaluiſſe in unam vocem : & antiquitus ſcriptum fuiſſe . N. Q. F. C. E. Fiat , id eſt , *Neque quo fraus cui eorum fiat* , quae verba edicti paulo ſupra recitata erant . Paulo autem infra eum locum , ubi legitur : *Et generaliter quoties pactum a iure communi remotum eſt , ſervari hoc non oportet , nec legari :* aberrare a re propoſita Accurſium exiſtimo, propter vitioſam ſcripturam , legendum enim non *legari* : quis enim unquam audivit pacem legari ? ſed additis duabus literis *Allegari* .

De-

Depravatus locus in Inſtitutionibus de nuptiis reſtituitur.

CAP. XI.

IN elegantiſſimo libello inſtitutionum, ſub titulo de nuptiis, ubi docemur, quomodo liberi, qui naturales tantum fuerant, legitimi effici poſſint, locus eſt iampridem corruptus, quem a nemine tot erudiſſimorum hominum, qui tanto ſtudio ad eos libros illuſtrandos incubuerunt, purgatum eſt demiror. Vulgo autem legitur hoc modo. *Nec non is, qui a muliere libera procreatus, cuius matrimonium minime legibus interdictum fuerat, ſed ad quam pater conſuetudinem habuerat, poſtea ex noſtra conſtitutione, dotalibus inſtrumentis compoſitis in poteſtate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio poſtea fuerint procreati, ſimiliter noſtra conſtitutio praebuit* Quid enim, quaeſo, eſt, quod Iuſtinianus, non ei modo, qui ante contractum matrimonium procreatus fuerat, ſed iis quoque, qui poſt matrimonium ſuſcepti eſſent, ſua ſe conſtitutione tribuiſſe, ut legitimi fierent, gloriatur? An non hi ſine ulla conſtitutione legitimi ſunt? Quae res ita commovit hominem ſane eruditum, ſed interdum ingenio ſuo praefidentem, ut in commentario ſuo ita ad eum locum ſcripſerit. *Hoc ridiculum fuit adſcribere, cum ſua ſponte ſatis intelligatur. Veteres libri, quod ſi alii qui ex eodem: ut caſum ſignificet, de quo in l. nuper, C. eodem titul. nimirum, ut quamvis liberi ex matrimonio contracto nulli ſuſcepti ſint, quod ex verbis ſuperioris legis requiri ſane videbatur, nihilominus tamen filiorum familias ius adpiſcantur*. Haec ille, de cuius ſententia & emendatione non agam pluribus: certe quidem, cum ſatis multos veteres inſtitutionum libros viderim, nullum reperi, in quo ita legeretur, ut

quiſquam ad tempus exſulare, neque omnino ad tempus capite minui: ſic & nomen relegationis aliquando durius ac gravius accipiendum eſt: ita ut deportationem ſignificet. Et ita intelligi debet in l. *Hos accuſare. §. omnibus autem.* D. de accuſ. & inſcript. quod & Accurſius notavit. Alioqui ne ea quidem relegatio quae in perpetuum eſt, inter capitales poenas numeratur l. *Capitalium.* D. de poenis. Quare inepto ad id quod agebatur exemplo iuriſconſultus uſus eſſet. Deportatio igitur capitalis quidem poena eſt, ſed in ſervos non convenit. Nam quomodo eum capite minues, qui caput non habet? aut quomodo bona, civitatem, libertatem adimas ei, qui neque quicquam habet in bonis, neque civis, neque liber eſt? nihilo ſecius ne *relegatio* quidem proprie dicta ſervile eſſe ſupplicium poteſt. Duriora enim & acerbiora ſupplicia in ſervos conſtitui ſolent: non molliora, cuiuſmodi relegatio eſt. Et cum relegatus retineat civitatem poteſtatem patriam, bona, teſtamenti factionem; quis non videt haec in ſervum convenire non poſſe? Quod etiam, ſi fingamus ſervum relegari poſſe, id eſt, alio amandari, & urbe provinciave prohiberi beneficium iſtud fuerit, non poena, amovere ab oculis domini, eique fugiendi neceſſitatem imponere: quod ſervi ſaepius quam domini voluiſſent ſuapte ſponte faciebant; & poenae loco eum genere quodam libertatis donare. Itaque ſi cui ſervili admiſſo propoſita fuiſſet relegatio, nihil arbitror cupidius facturos fuiſſe omnes ſervos, quam ut in eam poenam quamprimum inciderent. Neque opus fuiſſet accuſatore, ipſi ſe ultro detuliſſent, atque indicaſſent, vehementerque recuſaſſent, ſi quis ipſos defendere, & tam optandam condemnationem impedire voluiſſet. Adverſari tamen videtur huic ſententiae l. 2. D. Qui & a quib. man. lib. non fiant, ubi ita legimus: *Servo competere libertas non poteſt, ſi relegatus moratus ſit in urbe.* Quid enim apertius,
quam

quam ibi relegati ſervi mentionem fieri? Obſtat & Lex 2. C. de ſepul. violato. Cuius haec verba ſunt: *Si ſervus in demoliendis ſepulcris fuerit deprehenſus: ſi id ſine domini ſcientia faciat, metallo abdicatur. Sin vero domini auctoritate vel iuſſione urgetur, relegatione plectatur.* Ad nodum hunc ſolvendum Accurſius ea comminiſcitur, quorum vel meminiſſe pigeat. Ego ad l. 2. Qui & a quibus, ita reſpondeo. Relegatis dies plaerumque aliquot ad componendas res ſuas dabantur, praeſcribebaturque iis certus dies intra quem excedere deberent; quod ſi per contumaciam diutius manſiſſent, neque ſententiae paruiſſent, relegatio in deportationem mutabatur. l. 4. D. de poenis. Deportatorum autem bona fiſco, ut notum eſt, applicabantur. Hoc igitur dicit Iuriſconſultus, ſi quis relegatus, in urbe per contumaciam moratus ſit, ac deinde ſervo ſuo libertatem dederit, eam dationem non valere neque competere libertatem ſervo qui iam una cum ceteris bonis fiſcalis effectus eſt. Deportatus enim manumittere non poteſt L. 2. de interd. & releg. & deport. Sed & ad illam conſtitutionem de ſepulcro violato aeque facilis reſponſio eſt. Non enim legendum eſt *ſi ſervus*, ut vulgo, ſed, *ſi quis*; ut in codice Theodoſiano. Quod ſi quis dicat hac mutatione nihil effici: cum domini mentio quae ſtatim ſequitur, aperte oſtendat de ſervo agi: reſpondeo, non eius qui ſepulcrum demolitus eſt, dominum, ſed dominum ſepulcri accipi debere. Neque me movet, quod Graeci hoc aliter interpretantur: quos ipſos ſaepe labi, & magno iudicio adhibito legendos ſcio. Haec ego non tanti eſſe duxiſſem ut in hos libros referrem, niſi etiem Briſſonium in libro ſingulari de adulteriis ad hunc ſcopulum impegiſſe vidiſſem.

Emen-

Emendatur reſcriptum M. Antonii, & L. Veri. In L. 1. D. de quaeſtionib. Accurſii error.

CAP. III.

IN L. 1. D. De quaeſtionibus, vulgo ita legitur: *Divi fratres Laeliano Longino reſcripſerunt de ſervo heredum; non eſſe habendam quaeſtionem in res hereditarias: quamvis ſuſpectum fuiſſet, quod imaginaria venditione dominium in eo quaeſiviſſe heres videretur*. Ubi Accurſius comminiſcitur, ſervum illum ex alia cauſſa, quam hereditaria, heredum comunem fuiſſe & venditionem exponit emtionem: quorum quidem mihi nihil probari poteſt. Neque dubito quin locus corruptus ſit; a quo, non dico, fortaſſis enim antiquior error eſt, quam ut librariis tribui debeat. Sed moveor primum, quod cum ſervum heredum dixerit, mox unius tantum heredis mentionem faciat. Deinde, quod in hunc aut in illum torqueri ſervos quid ſit, ſcio: at ſervum torqueri in res hereditarias quid ſit, plane non video. Nam ſi hoc quaeretur, utrum, iacente adhuc hereditate, & mota aliqua controverſia ſuper rebus hereditariis, ſervus hereditarius ea de cauſſa in quemlibet eorum, qui inſtituti ſunt heredes torqueri poſſet: ſine ulla dubitatione reſponderem poſſe torqueri. Hoc quod placet. C. eodem tit. Neque enim videretur torqueri in caput domini; Cum heres ante aditam hereditatem heres non ſit. l. 2. D. eod. tit. l. liber homo. D. ad l. Aquil. Adde quod genus hoc loquendi, *ſuſpectum fuiſſet quod videretur*, homini Latinae linguae intelligenti, non ſuſpectum eſſe non poteſt. Venditionem denique pro emtione qui accipiat, etiam album pro nigro, accepturus videtur. Neque ſum neſcius, ubi venditio eſt, neceſſario eſſe emtionem, & contra, eſſeque unum & eundem contractum emtionis & venditionis, ſed certe aliud

liud eſt emere, & aliud vendere. Ne plura: multa hic eſſe, quae emendatione indigeant, arbitror: & totum hunc locum ita legendum cenſeo. *Divi fratres Laeliano Longino reſcripſerunt de ſervo hereditario non eſſe habendam quaeſtionem in emtorem hereditatis, quamvis ſuſpectum: quod imaginaria venditione dominium in eo quaeſiſſe videretur*. Spero hanc mutationem eruditis & intelligentibus probatum iri, de ceteris non laboro.

Demonſtratur incogitantia eorum qui libros pandectarum concinnarunt.

CAP. IV.

MUlta inſignia veſtigia impreſſa ſunt in libris pandectarum, eius incogitantiae, qua uſi ſunt ii quibus eos Iuſtinianus concinnandos mandaverat: & reperiuntur tamen, qui eos pertinaciter defendant, quaſique non ipſi modo coeci ſint, ſed & aliis quoque eruere oculos velint, contendunt, nihil in eis libris repugnans, nihil fruſtra repetitum poſſe reperiri. Sed utriuſque generis tam multa notata ſunt ab hominibus eruditiſſimis, ut non modo ſtulti, verum etiam impudentis iam ſit, ulterius in illa iampridem labefactata & profligata opinione velle perſiſtere. Ac quoniam eo plaerumque decurrunt, cum idem ſine cauſſa ſaepius indicatum oſtenditur, ut dicant, unam eandemque ſententiam interdum ad diverſos articulos pertinere, deoque neceſſario ſaepius repetendam fuiſſe: libet unum eis obiicere, in quo certe hoc perfugio uti non queant. Nam ſi ſub eodem titulo, eiuſdem Iuriſconſulti, eadem verba ex eodem libro ſumta, bis poſita eſſe oſtendas, valde duram frontem habeat oportet, ſi quis id quoque certo, & vero iudicio, non ſupina quadam negligentia factum eſſe contendat. Sub titulo igitur de re iudicata, legis ſextae principium hoc eſt:

Ulpia-

Ulpianus libro ſexageſimo ſexto ad edictum. Miles qui ſub armata militia ſtipendia meruit, condemnatus, eatenus qua facere poteſt, cogitur ſolvere. Lex autem 18. ſub eodem titulo haec eſt, *Ulpianus libro LVXI. ad edictum. Miles qui ſub armata militia ſtipendia meruit condemnatus eatenus, quatenus facere poteſt, cogitur ſolvere*. Concurrant hic omnes columnarii magiſtrii, & capita inter ſe conferant; numquam, quamquam acuti ſunt, ullam idoneam cauſſam; cur haec tam exiguo interiecto ſpatio repetenda fuerint comminiſcentur. Eodem modo peccatum eſt in l. ſi conſtant §. ſi vir. & in l. quod ſi vir D. ſol. matrim. ſimile quiddam meminiſſe videor notatum & ab Antonio Auguſtino, etſi id nunc reperire non poſſum. Nec non illud quoque magni ſtuporis indicium quod, quae verba, ſua tit. ad leg. Iul. de vi publica, ad finem l. qui dolo malo, citaverant ex Ulpiano lib. LXVI. ad edictum eadem repetunt ſub illo titulo, qui proxime ſequitur, & tribuunt Scaevolae libro quatro regularum. Video tamen hoc poſterius excuſari aliquo modo poſſe.

Unde ductum videatur dictum illud Ulpiani. Heri ſervus, hodie liber.

CAP. V.

Ferendi non ſunt, qui cum ab egeſtate ad pinguiorem fortunam repente pervenerunt, ita delicias faciunt, ac ſi a puero in magnis opibus educati forent. Cuiuſmodi multos non ſemel vidimus, qui cum paucis ante diebus, panem cibarium, & caepas, cum ſale, & alia in deliciis haberent, neque niſi feſtis diebus vinum idque, aut aceſcens, aut mucidum, aut fugiens, biberent: confeſtim nullo ſuo merito divites facti, omnia faſtidiebant, ad omnia nauſeabant: ut ego quidem videre mihi videor aſinos, qui diu lappis ac tribulis &

ver-

verberibus paſti, repente immutati, coliculos praeduros, lactucas non ſatis teneras eſſe quererentur; Neque ullos videas, qui ſaepius in ore nobilitatem habeant; qui plebem cuius ipſi nuper fuerant, inſolentius deſpiciant, qui magis indignentur, ſecum quemquam ex aequo loqui. Quia enim ut & vere, & urbane ſcripſit Ariſtoteles, nondum didicerunt divites eſſe, omnem divitiarum, & illius ſubitae nobilitatis fructum, in contumelia & ſuperbiloquentia poſitum putant. Talium inſolentiam cum coercendam ac comprimendam diceret Ulpianus in l. Praetor, edixit, D. de iniuriis: *Neque enim ferre*, inquit, *debet Praetor heri ſervum, hodie liberum; conquerentem, quod dominus ei convicium dixerit, vel quod leviter pulſaverit*. Ubi illud, *heri ſervum, hodie liberum*, urbaniſſime dictum eſt, & ſimile illi, quod Cicero in Philippicis citat, e vetere quopiam mimographo,

Modo egens, repente dives.

Utrumque autem effictum videtur ex illo lepidiſſimi Poetae Ariſtophanis:

Ὢχθὶς μὲν οὐδὲν, τήμερον δ' ὑπέρμεγας.

Eodem reſpexit & declamator. lib. 3.

Cum prodiero repente dives, dicent omnes;
Quis eſt iſte quem magna fortuna non decet.

Sed & haec prope omnia, & aliquot eiuſdem generis alia notavit doctiſſimus Cuiacius in novellam VI. ut perparum afuerit, quin ego ubi primum id animadverti, totum hoc caput deleverim. Quia tamen iam pridem ſcripſeram, perire nolui.

Gordiani reſcriptum, vulgo male acceptum, explicatur.

CAP. VI.

PEſſime accipitur ab Accurſio, & ab alia ſordidorum Interpretum colluvie reſcriptum Gordiani, quod legi-

legitur libro quinto Codicis ſub tit. De pactis conventis, tam ſuper dote, quam ſuper donatione ante nuptias, & paraphernio, in haec verba: *Pactum dotale quo matrem conveniſſe cum patre tuo proponis, ut ſi in matrimonio deceſſiſſet, tibi & fratribus tuis dos reſtitueretur, ſi ſtipulatio ex perſona veſtra, cum in poteſtate patris conſtituti non eſſetis, minus legitima interceſſit: defuncta ea in matrimonio, actionem vobis quaerere non potuit, ſed ſi obligatione verborum, rite intercedente, dotis petitionem habere potuiſti, maxime ſi adhuc vinculis poteſtatis patria non attingeris, petitionem exſequi non prohiberis.* Fingunt enim dotem conſtante iam matrimonio datam; & eos filios, de quibus reddenda dote mater pacta dicitur, cum dos daretur iam emancipatos fuiſſe. Quae utraque commentitia ſunt & nugatoria. Si enim iam emancipati erant, cur illo in extremo ab Imperatore additur, *Maxime ſi adhuc vinculis poteſtatis patria non attingeris.* Niſi forte ſomniant, hunc, qui pridem emancipatus fuerat, poſtea caſu aliquo receſſiſſe in poteſtatem patris. Quod cum vix fieri poſſe conſtet: & abſurdum ſit talia comminiſci: praeſtat utram facti ſpeciem proponere, quae omnem ſcrupulum eximat. Eſt autem haec, Mulier cum ei in nuptura eſſet, ex quo iam antea naturales liberos ſuſceperat, in danda dote, pacta eſt, ſi in matrimonio deceſſiſſet, eam filiis communibus reſtitutum iri. Poſtea nupſit; atque eo modo liberi, qui prius in poteſtate patris non erant, in ea eſſe coeperunt. Moritur mater. Quaeritur an filii actionem ad dotem repetendam adverſus patrem habeant? Et reſpondet Imperator, ſi minus interceſſerit legitima ſtipulatio ex perſona ipſorum, id eſt, niſi ipſimet ſtipulati ſint a patre, dotem ſibi eo caſu reſtitutum iri: quod facere legitime poterant, cum in eius poteſtate non eſſent: ex materno pacto eos habituros non eſſe actionem. Sed ſi ſtipulatio ex parte ipſorum interpoſita

eſt,

eſt, maxime, id eſt, ita demum eos habere actionem adverſus patrem, ſi iam ex illius poteſtate exierint. Nam ſi adhuc in poteſtate ſint, nemini dubium eſt, inter eos & patrem iudicium conſtare non poſſe. In eo igitur reſcripto *ſi minus*, idem valet, quod, *niſi* & *maxime*, idem quod, *utique*: ut ſæpe alias. Neque reticendum eſt, ubi legitur *attingeris*, media litera detracta, legendum videri, *attineris*. Sic enim & apud Tacitum *vinculo ſervitutis attineri*, & apud eundem *attineri cuſtodia publica*.

Illudere, ludificari, ludibrio habere.

CAP. VII.

ILludere, ludificari, ludibrio habere, ſaepe apud antiquos turpitudinis & obſcoenitatis ſignificationem habent, ut apud Graecos ὑβρίζειν, ἐμπαίζειν, καταπαίζειν, Suetonius in Tiberio: *foeminarum quoque, & quidem illuſtrium capitibus quantopere ſolitus ſit illudere.* Tacitus, *tradunt plaerique eorum temporum ſcriptores, crebris ante exitium diebus illuſiſſe pueritiae Britannici Neronem*. Sic in lib. Iudicum cap. 19. *Quod cernens homo, adduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam* καὶ ἔγνωσαν αὐτὴν, καὶ ἐνέπαιξαν αὐτῇ ὅλην τὴν νύκτα. Quod Latinus interpres modeſte reddidit, tota nocte eos illa abuſos fuiſſe, dicens. Terentius Eunucho: *Quin etiam inſuper ſcelus poſtquam ludificatus eſt uirginem*. Idem Hecyra,

Sed quam decrerim me non poſſe diutius
Habere, eam ludibrio haberi Parmeno.

Quem in locum Donatus. Honeſto, inquit, verbo, & pleno pudoris uſus eſt, & nove, pro vitiari. Ita hoc poſtremo utuntur & Iuriſconſulti, ut Paulus in l. ſi quis ſervum. De iniuriis. *Si quis*, inquit, *ſervum meum, vel filium meum ludibrio habeat, licet conſentientem, tamen ego iniuriam videor accipere*. Sed his verbis tum demum

utebantur, cum talia; non amoris cauſſa, ſed contumeliae faciebant. Nam quae per amorem fiebant, mitius accipiebantur. Atque eo pertinet illa Terentiani adoleſcentis excuſatio. Terent. Eunucho, act. 5.

unum hoc ſcito non me contumeliae
Feciſſe cauſſa, ſed amoris,

Emendatae Inſtitutiones Iuſtiniani.

CAP. VIII.

IN Inſtitutionibus Iuſtiniani, ſub titulo de heredibus inſtituendis, ita legitur: *Eſt tamen caſus, in quo nec cum libertate utiliter ſervus a domina heres inſtituitur, ut conſtitutione divorum Severi & Antonini cavetur, cuius haec verba ſunt. Servum adulterio maculatum non iure teſtamento manumiſſum ante ſententiam, ab ea muliere videri, quae rea fuerat eiuſdem criminis poſtulata, rationis eſt: Quare ſequitur ut in eumdem a domina collata heredis inſtitutio, nullius momenti habeatur.* Eadem conſtitutio legitur in l.48. D de hered. inſtit. qua ex collatione diſcimus vocem *HEREDIS* redundare, quod & per ſe patere poterat; & in extremo legendum, *nihil momenti habeat*, quod cum librarius ſcripſiſſet, per ſigla hoc modo. N. M. H. ita expoſuerunt, *nullius momenti habeatur*. Sed Accurſius oſtendit ſe uſum inſtitutionum libro, in quo omnia ad verbum ita ſcripta eſſent, ut in Pandectis, niſi quod illic *accuſatum*, legitur non ut hic *maculatum*. Cetera ergo eodem modo utrubique legenda ſunt, ſed hoc poſtremum dubitationis aliquid habet non tantum in verbis, verum etiam in ſententia. Nam Accurſius *maculatum* quidem legit: ſed *accuſatum*, interpretatur, neque diſſimulat, eſſe alios libros in quibus legatur, *accuſatum*, cuiuſmodi ego quoque unum habeo: &, ne dicam dolo, rectam ac veram eſſe eam ſcripturam puto.

to. Eruditiſſimus tamen huius aevi Iuriſconſultus illam alteram tuetur fretus auctoritate Graecorum, qui ita interpretantur, ἔνοχον ὄντα τῇ μοιχείᾳ: & quo alioqui pugnaret haec conſtitutio cum l. reos. C. ad legem Iuliam de adult. Sed mihi quidem mirum videtur, quomodo dici poſſit, manifeſto teneri adulterii ſervum pendente adhuc iudicio. An forte iam de flagitio ita conſtiterat, ut dubium non eſſet, quin mox damnandus foret, neque quicquam reſtabat aliud, niſi ut ferretur ſententia? Imo vero evenire poterat, ut abſolveretur: quo ipſo caſu non tamen convaleſceret inſtitutio, quae a principio inutilis fuiſſet. Nota eſt enim Catoniana regula. Quomodo autem abſolvi poterat, ſi iam flagitii compertus erat? niſi forte quomodo abſolutus enim dicitur Clodius, cum Bonae Deae ſacra violaſſet. Et tamen tum quoque res iudicata, pro veritate haberetur. At ſi legamus, Accuſatum, dicat aliquis, certe pugnabit haec conſtitutio cum l. reos. C. ad l. Iul. de adult. Quomodo igitur efficiemus ne lex 48. D. de hered. inſt. cum eadem illa l. reus, manifeſto pugnare dicatur? Sed verius eſt, nullam inter eas eſſe pugnam. Quamvis enim ſimul marem & foeminam eiuſdem adulterii ab eodem reos fieri lex Iulia non ſinit: a diverſis tamen eos eodem tempore poſtulari non vetat l. denuntiatio. §. quaeritur. D. eodem tit. quare non dubito, quin quomodo in pandectis legitur conſtitutio Severi & Antonini, eodem plane modo, in inſtitutionibus legenda ſit.

Emendata lex, Praetor ait. D. de edendo.

CAP. IX.

DEeſſe aliquid videtur in l. Praetor ait. D. de edendo. Vulgo enim ita legitur. *Praetor ait, argentaria*

taria menſae exercitores rationem quae ad ſe pertinet edant adiecto die & conſule . Huius edicti ratio aequiſſima eſt, nam cum ſingulorum rationes argentarii conficiant , aequum fuit , id quod mei cauſſa confecit , meum quodammodo inſtrumentum mihi edi . Certe enim ratio , quae ſubiicitur , non cohaeret cum iis edicti verbis quae anteceſſerunt . Sed vix quemquam dubitaturum arbitror , quin in edicto ita legi debeat : *Rationem cuique quae ad ſe pertinet* . Ita enim pulcre cohaerebunt omnia . Quod confirmare pluribus verbis , hominis eſſet otio & abundantis & abutentis .

Oſtenditur vera lectio l. Iuris gentium. D. de pactis Contra Accurſium.

CAP. X.

IN l. Iuriſgentium ſ. dolo molo. D. de pactis ita vulgo legitur . *Sive autem ab initio, dolo malo pactum factum eſt , ſive poſt pactum aliquid dolo malo factum eſt , nocebit exceptio propter haec verba edicti , neque fiat* . Quaerit autem Accurſius, ubi ſint verba illa edicti,& reſpondet ea non exſtare . Ego autem exiſtimo ſigla , quibus ſingulae voces ſignificabantur , coaluiſſe in unam vocem : & antiquitus ſcriptum fuiſſe . N. Q. F. C. E. Fiat , id eſt , *Neque quo fraus cui eorum fiat* , quae verba edicti paulo ſupra recitata erant . Paulo autem infra eum locum , ubi legitur : *Et generaliter quoties pactum a iure communi remotum eſt , ſervari hoc non oportet , nec legari :* aberrare a re propoſita Accurſium exiſtimo,propter vitioſam ſcripturam , legendum enim non *legari* : quis enim unquam audivit pacem legari ? ſed additis duabus literis *Allegari* .

De-

Depravatus locus in Inſtitutionibus de nuptiis reſtituitur.

CAP. XI.

IN elegantiſſimo libello inſtitutionum, ſub titulo de nuptiis, ubi docemur, quomodo liberi, qui naturales tantum fuerant, legitimi effici poſſint, locus eſt iampridem corruptus, quem a nemine tot eruditiſſimorum hominum, qui tanto ſtudio ad eos libros illuſtrandos incubuerunt, purgatum eſt demiror. Vulgo autem legitur hoc modo. *Nec non is, qui a muliere libera procreatus, cuius matrimonium minime legibus interdictum fuerat, ſed ad quam pater conſuetudinem habuerat, poſtea ex noſtra conſtitutione, dotalibus inſtrumentis compoſitis in poteſtate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio poſtea fuerint procreati, ſimiliter noſtra conſtitutio praebuit* Quid enim, quaeſo, eſt, quod Iuſtinianus, non ei modo, qui ante contractum matrimonium procreatus fuerat, ſed iis quoque, qui poſt matrimonium ſuſcepti eſſent, ſua ſe conſtitutione tribuiſſe, ut legitimi fierent, gloriatur? An non hi ſine ulla conſtitutione legitimi ſunt? Quae res ita commovit hominem ſane eruditum, ſed interdum ingenio ſuo praefidentem, ut in commentario ſuo ita ad eum locum ſcripſerit. *Hoc ridiculum fuit adſcribere, cum ſua ſponte ſatis intelligatur. Veteres libri, quod ſi alii qui ex eodem: ut caſum ſignificet, de quo in l. nuper, C. eodem titul. nimirum, ut quamvis liberi ex matrimonio contracto nulli ſuſcepti ſint, quod ex verbis ſuperioris legis requiri ſane videbatur, nihilominus tamen filiorum familias ius adpiſcantur*. Haec ille, de cuius ſententia & emendatione non agam pluribus: certe quidem, cum ſatis multos veteres inſtitutionum libros viderim, nullum reperi, in quo ita legeretur, ut

 ipſe

ipſe legi ait. Neque tamen hac quidem in re fidem ipſius in dubium voco. Ego id tantum diſcriminis animadverti, quod in eorum quibuſdam vox *ſimiliter*, alio loco poſita eſt. ita enim habent, *quod & ſimiliter aliis;* quid hoc, dicet aliquis, intereſt? Permultum. Etenim ſi unicam literulam mutaveris, loci vitium prorſus omne ſuſtuleris. Legendum enim. *Quod et ſimiliter aliis & cetera*. Hoc autem dicit, ſe illi qui ante nuptias natus erat, ſua conſtitutione tribuiſſe, ut aeque legitimus eſſet, atque ii, qui poſtea ex eodem matrimonio procreati forent. Sed quia in Latino ſermone Graecam dicendi formam adhibuerat; ea res non Latinis modo ſed ipſi quoque Theophilo errorem obiecit. Dictum eſt autem *ſimiliter aliis*, ut Graeci dicerent, ὁμοίως τοῖς ἄλλοις. id eſt, ex aequo cum aliis: eodem plane modo, quo qui poſtea geniti eſſent, Talia ſunt apud Tacitum, *ſimul quinque viris*, ἅμα τοῖς πέντε: apud Horatium, *convenienter naturae*, ὁμολογουμένως τῇ φύσει, & eius generis alia. Sic in §. ceterum, de legit. agnat. ſucceſſion. *Laudamus quidem Praetores ſuae humanitatis*, ἐπαινοῦμεν τοὺς πραίτωρας τῆς προτέρας φιλανθρωπίας, ſimile illi ex ſacroſancto Evangelio. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis*, ἐπῄνεσεν ὁ Κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας.

Quomodo legenda videatur Lex XIII. D. de probationibus. Eademque illuſtrata.

CAP. XII.

SEmper ſuſpectam habui ſcripturam legis 13. D. de probationibus, ſemper ita legendum exiſtimavi, ut ſubiiciam: idque eo magis, quod ipſa quoque cetera exemplaria variare animadverti. Lego igitur eam hoc modo, Cum de ſtatu hominis quaereretur Caeſar noſter in haec verba reſcripſit: *Et durum & iniquum eſt*, *cum*

cum de ſtatu alicuius quaeritur, & diverſae profeſſiones proferuntur, potiſſimum ſtare quae nocet, ſed cauſa cognita, veritatem excuti oportet, & ex eo potiſſimum anno computari, ex quo praecipuam fidem, in ea re corſtare credibilius videtur. Tria ſunt hic, in quibus a pervulgatis libris diſcedo. Primum, quod lego, *cum de ſtatu*, ubi vulgo *cum de aetate*. Alterum, quod in reſcripto Principis, lego *quaeritur*, non *quaereretur*. Sed hoc quidem ipſa orationis ἀκολουθία exigit. Tertium, quod ad finem lego, *anno*, non, ut vulgo annos, ut *computari*, ſimpliciter dictum ſit, pro eo quod eſt *rationem iniri*. Sententiam autem hanc eſſe arbitror. Movebatur alicui quaeſtio ſtatus, id eſt, libertatis, aut civitatis, quo in genere quaeſtionis, libri cenſuales, & profeſſiones maximam auctoritatem obtinebant: maiorem etiam, quam teſtes, *l. cenſus D. hoc tit.* In hoc igitur iudicio proferebantur diverſae profeſſiones. Actor quaſdam proferebat, ex quibus conſtare videbatur reum profeſſum non eſſe. Reus alias, in quibus ſcriptum erat, eum profeſſum eſſe. Certe autem qui negligentia, aut dolo malo profeſſi non eſſent, ii ſibi aut civitatem, aut libertatem abiudicaſſe videbantur. Ut enim ſi ſervus volente domino cenſus eſſet, hoc ipſo fiebat liber: ita liber, qui dolo malo profiteri ac cenſeri noluiſſet, libertate mulctabatur. Itaque incenſi olim publice vendi ſolebant. Res nota eſt ex Cicerone pro Caecina, in Topicis pro Archia. In hoc igitur, de quo dicere coeperam, iudicio dubitatur. Utris potius tabulis ſtandum eſſet. Et videri poterat eis ſtandum, quae reo nocerent: ne monumentorum publicorum ſubverteretur auctoritas. Nam etiamſi apud aliquos cenſores profeſſus eſſet, nihil hoc ei proderat, ſi apud alios idem facere neglexiſſet. Reſpondet tamen Imperator, nimis hoc durum & iniquum videri; veritatem igitur diligenter excutiendam: & ex eo potiſſimum anno computandum, ex

quo credibilius foret veritatem tabularum publicarum incorruptam manere. Multis enim modis interdum corrumpebantur: ut improbitate, aut negligentia vel magiſtratum, vel miniſteriorum, ut in bellis aut ſeditionibus, cum interdum ipſa civitatum archia & tabularia incenderentur. Inſigne autem & luculentum exemplum, quoque maxime videtur hoc reſcriptum illuſtrari, exſtat apud Ciceronem, in ea quam modo citavi oratione, pro Archia Poeta.

Quod genus legati fuerit olim Partitio.

CAP. XIII.

ANtiquitus genus quoddam Legati erat, quod vocabatur *partitio*. Eius formula haec fuit: *Maevius heres meus, cum Titio hereditatem meam partito, dividito*. Et ſiquidem teſtator non adſcripſerat, ex quota parte, dimidia intelligebatur: ſin certa pars adſcripta erat, ſervabatur, quod expreſſum erat. Ulpianus tit. 24. & l. nomen. §. partitionis. D. de verb. ſignif. Is qui hoc modo capiebat partem hereditatis, vocabatur legatarius partiarius. Tunc autem, ipſo iure, heres integra hereditatis onera ſuſtinebat: neque creditores hereditarii ullam actionem adverſus legatarium partiarium habebant, ſed quia iniquum videbatur gravari heredem in totum, cum re & effectu heres tantum eſſet ex parte, inter heredem & legatarium interponabantur ſtipulationes partis & pro parte, hoc modo. Ex parte legatarii. Quanta pecunia ex illa a te hereditate venerit, aut pervenerit, vel: Quantam pecuniam ex illa hereditate ceperis, eius totam partem me tibi daturum eſſe ſpondes? Ex parte autem heredis hoc modo, pro qua parte hereditatis legatum ceperis, pro ea aes alienum,

num, & ſi quid aeris alieni loco eſt, ſoluturum te ſpondes? §. poſt hoc Senatuſconſultum. Inſtitut. de fideicomm. hered. Ulpianus titul. 25. Itaque dabantur invicem actiones ex ſtipulatu ad partem hereditatis obtinendam, & ad onera hereditaria communicanda. In illis autem ſtipulationibus verbum, *venire*, aut, *pervenire*, aut *capere*, intelligendum eſt cum affectu, id eſt, aere alieno deducto, l. nomen. cum l. ſequent De verbor. ſignificat. Sed erant tamen certa quaedam onera, quae ſolus heres ſuſtinebat, ut ſumtus funeris, cuius nulla pars conferebatur a legatario partiario. Nam legatarius non aliter contribuit ad funus, quam ſi aliunde non ſit, unde teſtator funeretur. l. & ſi quis. §. 1. D. de relig. & ſumt. fun. Item ſi teſtator iuſſerat emi aliquos ſervos ab herede & manumitti, pretia illorum non deducebantur. Et cauſſa eſt, quia illi ita liberati, non erant liberti eius, qui partem hereditatis legati nomine acceperat, ſed ſolius heredis. Et ut commodum, quod iure patroni, ex eis conſequebatur heres, non communicabatur cum legatario: ita ne onus quidem eſſe commune debebat. Cum ſecundum naturam ſit, ut is onus ſentiat qui ſentit & commodum. Et ita reſcripſit D. Adrianus, l. ſi quis ſervum. §. vult. De legat. 2. Aliud dicendum eſt, ſi cui legata ſit pars bonorum. Ex eo enim legato, ut aliud aes alienum deducitur, l. ſubſignatum §. bona. De verb. ſignificat. ita & pretia eorum, qui neceſſario emti ac manumiſſi ſunt ab herede, l. cum autem, D. de legat. ſecundo.

Ad l. primam. De operis novi nuntiatione.

CAP. XIV.

REmiſſionem a praetore, ſine una cauſſae cognitione

tione impetrat is, cui novum opus nuntiatum eſt; ſive iure ſive iniuria nuptiarum ſit, idque aequiſſimum. Nam neque nuntiatori, neque ei qui novum opus facit, ulla in eo fit iniuria. Huic iniuria fieret, ſi in vicini poteſtate eſſet, pro ſua libidine eum, ne opus faceret impedire. Nuntiatori autem, ſi quid eius iuri remiſſio praeiudicaret. Nunc nihil de eo diminuitur. Obtenta enim remiſſione poteſt uterque iuſta ſua apud praetorem exponere: & tenet nuntiatio, quatenus iuſte nuntiatum eſt. Remiſſio autem utilis eſt Reo, quoniam eatenus tantum cogetur opus reſtituere, quatenus ipſi non licuit. At ſi remiſſionem petere neglexiſſet, & ſuo iure fretus, in opere faciundo perſeveraſſet: etiam ſi iniuſta fuiſſet nuntiatio, non prius audiretur poſtea, quam reſtituiſſet, quicquid operis poſt nuntiationem factum eſſet. Neque enim debuit ipſe quodammodo ſibi ius dicere: ſed aut paciſci cum adverſario, aut offerre ſatiſdationem, aut praetoris opem implorare, quam ſibi promptam ac paratam eſſe ſciret. Eſt tamen, cum impune nuntiatio negligi poteſt, ut ſi nuntiet ſervus, ſi pupillus, ſine tutoris auctoritate. Et tunc quidem inutilis & ſupervacanea remiſſio eſt, poteſt enim nuntiatio inſuper haberi, etiam non petita remiſſione. De fructuario quaeſitum eſt, ecquid valeret nuntiatio ab eo facta: & num impune poſſit ei non patere. Ac, ſiquidem procuratorio nomine nuntiet, quin valeat nuntiatio, nemini unquam dubium fuit. Sed quid ſi ſuo nomine, id eſt, tamquam fructuarius, nuntiet? Et diſtinguendum eſt. Aut enim eius ipſius praedii dominus, in quo uſus fructus conſtitutus eſt, novum opus facere vult: & hoc caſu fructuarius ei novum quidem opus nuntiare, non poteſt, itaque ſi nuntiaverit, nihil neceſſe habebit dominus petere remiſſionem eius nuntiationis quae ipſo

iure

iure nulla eſt: quo ſenſu remiſſio inutilis fore dicitur: ſed habet fructuarius aliquid remedium iure proditum: vindicabit enim a domino proprietatis uſum fructum ſuum: aut vicinus aliquid facit in ſuo, quo minuatur ius eius praedii quo fructuarius fruitur: & hoc caſu variatum eſt ab antiquis. Iulianus fructuario etiam vindicationem ſervitutum dabat, cui conſequens erat, ut daret & nuntiationem, & quidem ſuo nomine. Alii, qui ei ut predii, ſic & ſervitutum vindicationem negarent, dicebant eum, niſi procuratorio nomine, nuntiare non poſſe: poſſe tamen ab hoc quoque vindicare uſumfructum ſuum. Iuliani ſententia ſimplicior erat, & aequitate nitebatur. Contraria tamen recepta eſt: ut quae & melius apta eſſet ex principiis iuris civilis, & aeque conſervet fructuario ius ſuum. Haec mihi veniebant in mentem, conferenti legem primam, De operis novi nuntiatione, cum l. unica de remiſſionibus: etſi ſciebam, eius, cui plurimum tribuo aliam ſententiam cui ſi mea haec non probabitur, ego quoque παρεωρακέναι me, non invitus fatebor. Sed & in eadem illa l. unica, ubi legitur, *detentionem*, putabam legi poſſe aut, *defenſionem*, aut *retentionem*, ut minus a vetere ſcriptura recederetur.

Emendatus Ulpianus l. ſi hereditas de teſtam. tut.

CAP. XV.

Verba ſunt Ulpiani in l. ſi hereditas. De teſt. tut. *Qui filium & ex eo nepotem habebat, ſi nepoti tutorem dederit, habet diſceptationem, an aliquo caſu non ſit utilis datio*. Ita enim legitur in optimis libris: cum in pervulgatis legatur, *an aliquo caſu ſit utilis datio*. Certe autem vulgata ſcriptura planior & apertior eſt, neque enim hoc dubitationem habet, num caſu ali-

quo evenire poſſit, ut illa tutoris datio non ſit utilis: cum vel coeco perſpicuum ſit, ſi nepos ille avo mortuo, in poteſtatem patris recidat, inutilem fore: ſed num aliquo caſu poſſit eſſe utilis. Elegantius tamen legi puto, ut Florentiae eſt, hoc enim dicit, an non evenire poſſit aliquo caſu, ut datio ſit utilis. Ponendum eſt autem, utrumque fuiſſe in poteſtate: alioqui enim omnis dubitatio tolleretur. Deinde Ulpianus caſum illum, de quo dubitari poterat, exponit his verbis: *Ut puta ſi proponas filium vivo patre deceſſiſſe, & nepotem ex eo ſucceſſiſſe vivo avo.* Tum exponit ſuam ſuper propoſita quaeſtione ſententiam. quam & Pomponio probari ait, his verbis: *Et fortius dicendum eſt, tutelam quoque lege Iulia Vellea confirmatam, nam & Pomponius libro ſextodecimo ex Sabino ſcripſit valere tutoris dationem. Cum enim confirmatum ſit teſtamentum, conſequenter tutoris quoque datio valebit in eo teſtamento ſcripta, quod valet.* Accurſius autem mirifice laborat, in concipienda ſpecie facti. Magnas enim difficultates exoriri videt, ſive uterque, ſive alter tantum, ſive neuter inſtitutus eſſe dicatur. Diu autem luctatus, poſtremo eo devenit, ut Azonem ſequutus, dicat inſtitutum eſſe filium, ei autem ſubſtitutum nepotem, quod vulgo ſequuntur & alii: quantum quidem ex iis qui illos lectitant audio. Nam ego quidem non uſque eo ſtultus ſum, ut qui ſemel eos ex bibliotheca mea exturbaverim, rurſus in eorum ſomniis, aut emendis, pecunia, aut legendis, tempore abuti velim. Sed mihi quidem Accurſii ſententia hoc loco probari non poteſt. Nam teſtator qui filium ſuperſtitem haberet, nepotem impune praeterire potuit, qui nondum ei erat heres ſuus. Quod ſi eum tamen patri ſubſtitutum eſſe dicamus, eius ſubſtitutionis haec videlicet ſententia erit. Si filius meus me vivo morietur, tum nepotem qui mihi ex

eo

eo eſt, inſtituo, eique, ſi mortis meae adhuc tempore pupillari aetate erit, Maevium tutorem do. Quo caſu, neque de teſtamento, neque de tutoris datione, quin per ſe valeat, dubitari poteſt. Et tamen caſus aliquis ponendus eſt, in quo utrumque in dubium vocari poteſt, propter illa verba Iuriſconſulti *: dationem confirmatam, & confirmatum teſtamentum*. Nam quod ita interpretantur, Confirmatum, id eſt, non ruptum, vel confirmatum, id eſt, conſtruatum: mihi, quamvis magni auctores non probant. Confirmari dicuntur ea, quae per ſe non valent: ut tutor datus a matre, ut datus a patre filio emancipato. Ut quae reſciſſione egent, hoc ipſo intelliguntur valere; ita quae confirmatione, hoc ipſo non valere. At illa ſubſtitutio, illaque tutoris datio, per ſe ſubſiſtebat. Ita igitur exiſtimo. Teſtator, inſtituto filio, nepoti quem ex eo habebat, tutorem dat. Si filius patri ſuperſtes ſit, valet teſtamentum: ſed tutoris datio nulla eſt. Quo enim tutorem filio familias? Sed accidit ut premoriatur filius. Videri poteſt utrumque corruere. Nam & nepos quaſi adgnoſcendo rumpit id teſtamentum, in quo praeteritus eſt: & rupto teſtamento, quicquid in eo ſcriptum eſt, irritum eſt. Sed auxilio eſt lex Iulia Vellea, quae ut multos alios rumpendi caſus abſtulit, ita hunc quoque. Voluit enim eos, qui vivo teſtatore, in locum ſuorum heredum ab eo inſtitutorum ſuccedunt, teſtamentum non rumpere, ſed ex eo ipſo teſtamento heredes eſſe l. Gallus §. ſequenti, de lib. & poſt. ubi ita lego: *Sequenti parte, ſuccedentes in locum liberorum non vult lex rumpere teſtamentum*. Et ita interpretandum eſt, Ut ſi & filium, & nepotem, & pronepotem habeas, mortuis utriſque, nepos inſtituti ſuccedens in ſui heredis locum non rumpat. Cur ita legendum putem,

tem, alio loco pluribus diſſeram. Nunc perſequar verba Ulpiani, in quibus vulgatam ſcripturam Florentinae antepono; legoque hoc modo: *Idem eſt ubi nepos vel heres inſtitutus ſit, vel nominatim ex heredibus*. Dicit enim hoc quoque caſu, neque rumpi teſtamentum, & dationem valere.

MARCI ANTONII MURETI

CARMINA

LIBRI DUO

Quibus acceſſerunt quaedam in Lipſienſi Editione MDCC XIV. omiſſa,

ET

CARMEN NONDUM EDITUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTONII MURETI
CARMINUM
LIBER PRIMUS.

1. *PSAL. XIV. (al. XV.)*

Domine, quis habitabit &c.

QUiſnam, o Rex aeterne, tuam admittetur in aulam,
Cui dabitur montis culmen adire tui:
Perpetua ut tecum compoſitus pace fruatur,
Carpens nota unis gaudia coelitibus?
Qui nulla ingreditur macula ſuffuſus, amatque
Ex animo rectum, iuſtitiamque colit:
Cui neque cor fraudes agitat, neque ſubdola lingua eſt;
A quo ſe laeſum dicere nemo poteſt.
Quem fugiunt iniuſti, & quo praeſente liqueſcunt:
Quo viſo, iuſtis mens animuſque redit.
Quem mutare fidem nunquam iactura coegit:
Foenore qui partas odit & horret opes.
Nullo unquam iudex potuit qui munere vinci,
Ut duro inſontes laederet ore reos.
Qui facit haec, is demum in coeli templa receptus,
Tecum una dempto fine beatus erit.

2. *PSAL. XLVI. (al. XLVII.)*

Omnes gentes plaudite &c.

O Populi lato quoſcunque alit ubere tellus,
Ingeminate alacres plauſum, luctuque fugato,
Laeta triumphali reſonent, facite, omnia cantu,
Ille etenim regum ter maximus, ille tremendus,

Quem ſola terrarum, coeli quem templa verentur,
Subiecit nobis populos, faſtuque repreſſo
Ferre iugum, admota pedibus cervice, coegit,
Ipſemet elegit clemens patrimonia, nobis
Quae daret, aeterno Iſacidae ſuccenſus amore.
Euge pater, pater euge, tuum haec ſunt omnia munus.
Aſcendente Deo, litui ſonuere, tubaeque
Prodidit ipſe novis ſua gaudia vocibus ather.
Pſallite nunc pia corda Deo, nunc pſallite Regi,
Pſallite, qui terras omnes ditione coercet:
Et mulcete pias doctis concentibus aures.
Imperium ſine fine Deus toto obtinet orbe,
Et ſancto innixus ſolio regit omnia ſolus:
Ductores populorum illius ſigna ſequuntur.
Namque Abrahami alios longe Deus anteit omnes;
Scuta ſua extulit ipſe alte ſuper ardua terrae.

3. *PSAL. LI. (al. LII.)*

Quid gloriaris in malitia, &c.

QUid gloriaris perfide, quid tumes?
An iſta verum neſcia proloqui
Te caeteros ſupra ferocem
Lingua bonis inimica reddit?
Cura una & unum eſt id ſtudium tibi.
Noctes dieſque hanc, ut potes, aſperas
Novaculae in morem: & latentes
Inſidias ſtruis huic & illi.
Te laeta damnis improbitas iuvat,
Egenſque ſemper pluris iniquitas.
Tu foeda facta & fraudulenta
Uſque nobis cumulare gaudes.
Queiſcunque verbis, o ſcelerum artifex,
Poſſe in ruinam praecipites agi
Confidis inſontes amicos,
Illa tibi didiciſſe melli eſt.

Qua-

Quapropter ultor, ne dubita, Deus
Tandem a merenti ſupplicium exiget:
Radicibuſque evulſum ab imis
Sedibus eiiciet tuis te.
At haec videntes, artubus intimis
Iuſti intremiſcent: & magis ac magis,
Ne provocent in ſe quoque iram
Numinis, admoniti cavebunt.
Tu riſus illis interea miſer
Iocuſque fies. En, ſibi qui Deum
Temnebat adiutorem, & in ſe
Sat ſibi praeſidii putabat.
Quid nunc, quid illum per ſcelera & dolos
Exſtructae in altum divitiae iuvant?
In pulverem omnia & favillam
Et tenues abire fumos.
Ego autem, in uno ſpem mihi qui Deo
Omnem locavi, liber agam metu:
Florens olivae inſtar nitentis,
Quam Domini ſtudium tuetur.
Semperque regum maxime te canam,
Nec me ſonoris deficiet tuum,
Plaudente iuſtorum corona,
Carminibus celebrare nomen.

4. *PSAL, CXIV. (al. CXVI.)*

Dilexi quoniam, &c.

SUmmus amor Domini medio mi in pectore fervet,
Namque meas clemens audiit ille preces.
Excepitque meas facili bonus aure querelas.
Illum igitur, fuerit dum mihi vita, colam.
Letiferi herebam vinctus quaſi fune doloris:
Nec procul a durae limine mortis eram.
Summe Deus, dixi, ſolo te vindice fretum
Eripiat tantis me tua dextra malis.

Ut bonus eſt, ut opem cito rite vocantibus adfert!
Iuſtus ut, & nitidae ſimplicitatis amans.
Attritus prope eram, cum me conſurgere iuſſit,
Depulit & capiti cuncta pericla meo.
Quid trepidas anima? Ad ſolitam te verte quietem,
Plurima ſupremi munera regis habes.
Ille a morte animam hanc, a triſti lumina fletu,
A lapſu infirmos eripuitque pedes.
Vivam igitur poſthac illo duce & auſpice tutus:
Et mea ſemper erit cura placere Deo.

Sequitur

LIBELLUS HYMNORUM SACRORUM.

5. SERENISSIMO PRINCIPI GUILIELMO GONZAGAE, DUCIS MANTUAE, MONTISFERRATI, &c.

MAgne Ducum, fœtam populis cui fortibus urbem
Pulcher odorifero Mincius amne lavat:
Sume datis a te ſcriptos mihi legibus hymnos,
Neve parum culti deſpice vatis opus.
Illi etiam, quorum hic meriti celebrantur honores,
Lucida quos conſtans vexit ad aſtra fides,
Non indignantur parvo ſibi thure litari:
Atque animum magni muneris inſtar habent.
Forſitan his olim iuvenis meliora dediſſem,
Et mulcere aures dulcius apta tuas:

Sed

Sed veniens etiam ingenio eſt damnoſa ſenectus,
Nec tantum vires corporis imminuit.
Cum mihi turgerent meliori ſanguine venae,
Nec curarum animum pondera deprimerent:
Sponte ſua numeris carmen mihi mollibus ibat:
Et ſubito verſus fundere ludus erat.
Nunc & corpus hebet ſenio, & mens ipſa pigreſcit.
Quodque habuit ludo, nunc onus eſſe putat.
Dulce onus hoc tamen eſt, quod te mandante ſubitur,
Et leviora facit iuſſa iubentis amor.
Atque utinam haec roſeo legat & *Vincentius* ore,
Phoebi & Muſarum maxima cura puer:
Qui floreſcenti paulatim attollitur aevo,
Ut ſata ſe ad fluvii ſubiicit alnus aquas.
Felix, cui teneris Helicon luſtratur ab annis,
Et bibitur volucris fons pede factus equi.
Quem iam ipſa Uranie blandis complexa lacertis,
Stellatas ſuperum vexit ad uſque domos:
Oſtenditque aſtrorum ignes, coelique meatus,
Queiſque ſuos peragant legibus illa choros.
Quis ſcit, an & coelo dum ſingula deſpicit inter
Caetera maiores viderit aſtra ſuos:
Et quos purpureo contexit Roma galero:
Et qui regali ſceptra tulere manu?
Fortunate puer, magnum patris incrementum,
Cui Lacheſis ne plena aurea fila colo.
Vive diu, utque dati poſcit tibi nominis omen,
Tende atavos omni vincere laude tuos.
Neu grave ſit, dum dona tibi graviora parantur,
Interea partem carminis eſſe mei.

HYMNI SACRI:

6. *IN ADVENTU.*

VErbum, quo omnipotens condidit omnia,
Summi praevalidum conſilii Angelum,

Vatum plena Deo pectora dixerant,
Venturum, ut fieret caro.
Primi quo maculam dilueret patris,
Serpentiſque vafri contereret caput:
Praecluſamque homini morte recluderet
In coelum propria viam.
Ergo turba patrum, carcere liberos
Qui longo per eum ſe fore viderant,
Coelum ſuſpiciens, luctiſonis dabat
Carmen lugubre vocibus:
O qui pollicitis applicitos tuis,
Quamvis cuncta potes, fallere non potes,
Longas tolle moras, & cito, quem tibi
Certum eſt mittere, mittito?
Simplex aetherii numinis Unitas,
Quae diſtincta eadem eſt veraque Trinitas,
Aeternis vigeat ſemper honoribus,
Et terra ſimul & polo.

7. *IN DIE S. BARBARAE.*

QUalis, nulla polum nubila cum tegunt,
Inter clara nitet ſidera Phoſphorus
Talis martyrio conſpicuas micat
Inter Barbara virgines.
Cui ſolus teneris Chriſtus ab unguibus
Uſſit cor nitidum perpetua face,
Cui deſiderium, cui fuit unicus
Spretis Chriſtus amor procis:
Quamvis imperio barbarus aſpero
Terreret genitor; quem furor, & mala
Perduxit rabies, ut gladio caput
Natae demeteret ſuae.
Vinclis illa quidem libera corporis
Felix ad ſuperos protinus evolat,

Sed

Sed Chriſtus ſceleratum in Stygias patrem
Sedes fulmine deiicit.
Simplex &c.

8. *AD LAUDES.*

SAnctae triumphum virginis
Laeti canamus Barbarae;
Palmaeque honorem duplicis,
Quam virgo martyr obtinet.
Non ſtirpis illam regiae
Splendor ſuperbam reddidit,
Quin ſe a tenellis unguibus
Chriſto regendam traderet.
Inſanus infremit pater,
Omneſque poenas admovet,
Tandemque ſaevum filiae
Caput cruentus amputat.
At virgo caſti corporis
Soluta vinclis emicat,
Volatque ſtipata Angelis
Ad expetitum coniugem
Aeterne cunctorum Pater:
Aeterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Soli tibi ſit gloria.

9. *IN NATALI DOMINI.*

O Nox vel medio ſplendidior die,
Cuius per tenebras virginis integrae
Ex alvo nitida Sol novus emicat,
Complens omnia lumine.
Aeterno imperio qui regit omnia,
Humanumque Deo conciliat genus,
Is nunc ſub tuguri vilis operculo
Naſcens, pauperiem docet.

Paſtores ovium, dum gregibus ſuis
Intenti vigiles excubias agunt,
Primi hunc angelico carmine nuncium
Laetis auribus hauriunt.
Grata eſt haud dubie ſimplicitas Deo,
Grata eſt vita, dulcis quae procul omnibus
Rectum ſponte ſua perpetuo colit,
Et priſcam retinet fidem.
Simplex, &c

10. *IN DIE S. STEPHANI.*

LEvitae iuvenis fortia pectora
Ornati ſolitis tempus honoribus,
Primus martyrii qui ſibi lauream
Vitae prodigus induit.
Tundebat lapidum, grandinis in modum,
Denſo turba fremens imbre ſacrum caput,
Nunquam mota ſuo ſed tamen eſt loco
Mens ſancto ebria Spiritu:
Sed ſeſe in mediis ictibus erigens,
Ad coelum penetrans, en ait, en eum,
Pro quo dulce mori eſt, iam video patris
Ad dextram poſitum Dei.
At tu Chriſte ſinu ſuſcipe me tuo,
Atque his tenebris turpibus obruti,
Quo ſeſe impediant crimine, non vident,
Quaeſo te, veniam dato.
Simplex, &c

11. *IN DIE S. IOHANNIS EVANGELISTAE.*

CHriſto prae reliquis charus Apoſtolis,
Qui ſupra Domini pectus in ultimis
Diſcumbens epulis compoſuit caput,
Feſta luce canendus eſt.

Felix,

Felix, cui Dominus iam rigida in cruce
Pendens, iamque neci proximus, & Patri
Sanctam ſancto animum tradere cogitans,
Matrem crediderit ſuam.
Felix, qui ſe aquilae more ſuper polos
Tollens, & nitida in luce Deum videns,
Divino eloquii flumine filium
Aequalem docuit Patri.
Felix, qui ſenio iam gravis, & ſacra
Multa canitie tempora conſitus,
Ut ſi membra levis corriperet ſopor,
In Chriſti rediit ſinum.
Simplex, &c.

12. *IN DIE S. INNOCENTIUM.*

CAntemus tenerorum agmina Martyrum,
Quos regis rabies abſtulit impii,
Cunas innocuo ſanguine proluens,
Chriſtum perdere dum furit.
O nullis feritas cognita ſeculis,
Materno pueros e gremio rapi,
Perfoſſa ut rutulis corda mucronibus
Lac cum ſanguine funderent.
Heu quis, cum ſolito raptus ab ubere,
Diſtrictumque pavens ad gladium puer,
Blandas carnifici porrigeret manus,
Siccis adſpiceret genis?
Augent angelicos nunc pueri choros,
Et Chrictum liquido gutture concinunt:
Herodem meritis debita talibus
Poena in perpetuum premit.
Simplex, &c.

13. *IN FESTO S. SYLVESTRI.*

PRiſcos Roma duces deſine laudibus
Efferre immodicis, qui valida manu

Fines

Fines imperii protulerunt tui,
Quacunque Oceanus patet.
His ſolus tibi plus contulit omnibus
Sanctorum eximium Pontificum decus
Sylveſter, dominam qui prius urbium
Chriſti ſuppoſuit iugo.
Multo te ille prius ſanguine Martyrum
Reſperſam docuit parcere caedibus,
Et quos mille modis ſaeve peremeras,
Illorum monitus ſequi.
Romam iidem precibus nunc quoque, caelitum
Adſcriptus numero, perpetuis iuvet,
Et, tanti oſſa ſua quae gremio viri
Servat condita, Mantuam.
Simplex, &c.

14. *IN DIE CIRCUMCISIONIS.*

CIrcumciſio agitur lux Domino ſacra,
Quae iam, ſi Dominum rite licet ſequi,
Impura e tumidis omnia nos monet
Circumcidere ſordibus.
Umbra Evangelii lex fuerat vetus.
Sed Sol exoriens ut tenebras fugat:
Sic Sol iuſtitiae legitimis ſuum
Finem ritibus attulit.
Nobis corporeo nil gladio eſt opus:
Sermo quippe Dei vivus & efficax,
Seſe inſtar gladii mentibus inferens
Ad vivum omnia perſecat.
Quae ſemper vitii germina pullulant,
E noſtris utinam cordibus amputet.
Anni principium ſit ſimul ut novi
Vitae principium novae.
Simplex, &c.

15. IN

15. *IN DIE EPIPHANIAE.*

Quae vos cauſſa Magi, dicite, perpulit
E veſtris iter huc carpere finibus?
Quem tanto ſtudio quaeritis anxii?
Quove haec munera pertinent?
Nos ſtella inſoliti luminis huc trahit,
Et dux certa viam perpetuo praeit,
Iudaeae populis quae cupientibus
Regem ſignificat datum.
Auri iſthaec ſed enim quid ſibi pondera,
Myrrhae mirificus quid ſibi vult odor?
Aut quae, cum populus ſacra Deo facit,
Aris thura ſolent dari?
Rex auro colitur, thura Deum decent,
Noſtri myrrha homines poſt obitum linunt.
Huic ergo haec pariter munera congruunt.
Qui & Rex eſt, & Homo, & Deus.
Simplex, &c.

16. *A SEPTUAGESIMA AD CINERES.*

Eheu quam ſcelerum non tolerabilis
Nos urget miſeros ſarcina, quae Dei
Noſtris principio mentibus inditam
Obſcuravit imaginem.
Si nos pro meritis accipiat Deus,
Cauſſae nil fuerit, quo minus agmine
In triſtes tenebris perpetuis domos
Uno praecipites agat.
Sed ſemper facilis flecti in eos fuit,
Quos culpae ex animo poenituit ſuae;
Nunquam horum lacrymis & gemitu tulit
Se fruſtra veniam peti.
Hac ſpe, quam ipſe dedit, poſcimus ut gravi
Preſſos exoneret pondere, neve ſe

In

In noſtro rigidum crimine iudicem,
Sed mitem exhibeat patrem.
Simplex, &c.

17. *A DIE CINERUM.*

MUltis tenſa epulis viſcera dum tument,
Mens oppreſſa nihil cogitat arduum,
Et more indomiti luxurians equi
Pugnat ſpiritui caro.
Sed ſubtracto eadem comprimitur cibo
Et ſe ſpiritui morigeram exhibet:
Qui cum nulla gravant pondera ſordium,
In coelum celer evolat.
Primus corporeo legifer a cibo
Bis binos decies abſtinuit dies:
Quem Chriſtus numerum nos itidem ſequi
Exemplo docuit ſuo.
Sed fruſtra vetitis os tenet a cibis,
Qui factis animum turpibus inquinat,
Ieiuno aſſiduae conveniunt preces,
Cumque his munificae manus.
Simplex, &c.

18. *IN DOMINICA PASSIONIS.*

AEque ingenito progenies Patri,
Vitam morte ſuis redderet ut ſua,
Se Chriſtus nivei velleris hoſtiam
Ultro ſupplicio obtulit,
O erga immeritos mirus amor Dei,
Natum, quae pietas tradidit unicum:
Ut pro mortifera fraude nocentium
Poenas ſolveret innocens.
O non viſum alias ſacrificI genus,
In quo aeterna Deo ſacra facit Deus,
Et mortem moriens opprimit, & ſibi
Ipſe eſt victima Pontifex.

O crux

O crux tincta ſacri flumine ſanguinis,
Olim ſupplicium mancipiis grave,
Nunc Regum capiti praecipuum decus,
Te flexo colimus genu:
Simplex, &c.

19. *IN DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.*

REgem pacificum, moenia dum ſubit
Urbis celſa ſuae, turba manu ferens
Palmarum gravidos obvia termites,
Fauſtis vocibus excipit.
Hic laetas ſpoliat frondibus arbores;
Hic ſerta ante pedes florea proiicit;
Supplex ille manus porrigit; hic ſuis
Terram veſtibus obtegit.
Heu mentes hominum. Quis fore crederet,
Quem tantis ſtudiis exciperet frequens,
Poſt paucos ut eum turba eadem dies
Suffixum adſpiceret cruci?
Nil in vita homini perpetuum datur.
Rebus ne nimium fidite proſperis,
Plerumque hic lacrumis gaudia temperat
Certo conſilio Deus.
Simplex, &c.

20. *IN DIE PASCHAE.*

POnatur lacrumis iam modus, & novis
Templorum reſonent atria canticis.
In vitam reduci nam Domino ſacer
Poſcit laetitiam dies.
Lux poſt Chriſti obitum tertia venerat,
Cum ſpes ſancta moraeque impatiens amor,
Matronas parili nomine nobiles
Viſendum ad tumulum vocat.

Tum

Tum motum lapidem, tum lapidi vident
Innixum niveis veſtibus Angelum:
Qui, quo ſollicitis eximeret metum,
Pauca & certa locutus eſt.
Non hoc amplius eſt, quem petitis, loco,
In vitam rediit Chriſtus ab inferis.
Ite, & diſcipulis haec eadem date
Summi nuncia gaudii.
Simplex, &c.

21. *IN DIE ANNUNCIATIONIS B. VIRGINIS.*

AD te ſidereis miſſus ab arcibus
Cum venit Gabriel, Virgo, renuncians,
Te ſummo ante alias complacitam patri
Mox matrem Domini fore:
Turbata tibi nunc purpureus genas
Sparſit mente pudor, neſcia quod viri
Caſto, ſponſa licet, pectore virginem
Semper te fore voveras.
Verum idem ſubito nuncius addidit:
Iſtos pone metus. nam tibi iam datum eſt,
Ut virgo maneas, & tua compleat
Sanctus viſcera Spiritus.
Tunc ore ex roſeo vox tibi prodiit,
Teſtis mirificae certa modeſtiae:
Ecce ancilla Deo ſubdita, nil moror,
Fiat, quod Dominus jubet.
Simplex, &c.

22. *IN FESTIVITATIBUS S. CRUCIS.*

GEntes, nulla quibus notitia eſt Dei,
Armis, imperio, prole ſuperbiant:
Nobis, queis melior Spiritus obtigit,
Sola eſt in Cruce gloria.

Lignum

Lignum prima homini pernicies fuit,
Cum primus vetitam contigit arborem
Captus foemineis illecebris parens,
Quo ſe perdidit ac ſuos.
Sed poſt lignum homini certa ſalus fuit,
Cum ſcandens patulam Chriſtus in arborem,
(Aeternus fieri ſic voluit parens)
Vitae reſtituit ſuos.
Crux hoſtes hominum ſola procul fugat;
Crux ſolo inſidiis munit ab omnibus;
Adverſa intrepidus deſpiciat, licet,
Cuius ſpes Cruce nititur.
Simplex, &c.

23. *IN DIE ASCENSIONIS.*

VIctae in perpetuum mortis & inferum
Inſignis ſpoliis, luce nitens nova,
Primuſque inſolitum Chriſtus iter ſecans
Arces in patrias redit.
Natus naſci iterum nos quoque dum cupit,
Mundo mortuus eſt, nos cupiens mori,
Surgens & repetens aethera nos quoque
Ut poſſumus idem, dedit.
Chriſto nunc igitur vivere nos decet,
Ut Chriſto pariter detur inemori.
Surgentes eadem nos quoque gloria
Puro lumine veſtiet.
O per qui te, hominum conditor, ingredi
Caſtae adduxit amor viſcera virginis,
Nos dignare, tuis artubus inſitos,
Voti reddere competes.
Simplex, &c.

24. *IN DIE PENTECOSTES.*

LUſtra noſtra tua pectora lampade,
Qui quondam, alti ſono ſpiritus a Patre
Luſtra-

Luſtraſti unanimes miſſus Apoſtolos,
Linguis deditus igneis.
Confirma dubios dirige devios.
Conſolare tui muneris indigos,
Letalique animos frigore torpidos
Sanctis ignibus excita.
Mens doctrinam avide noſtra bibat tuam,
Perſtetque aſſidue tota Deo calens,
Et, ſpem firmam in eo conſtituens ſibi
Terram pro nihilo putet.
O rerum alme ſator, certe homines ſumus,
Quamquam indigna, tuae plaſmata dexterae,
Ne ſer, quos tua vis ex nihilo extulit,
Aeterno exitio obrui.
Simplex, &c.

25. *IN DIE SS. TRINITATIS.*

O Nullis hominum pervia ſenſibus,
Naturae penitus ſola capax tuae,
Cuius condita ſunt omnia numina,
Aeterna & monas & trias.
Nato aequeve Pater, nateque par Patri,
Et manans ab utroque inclyte Spiritus,
Circumfuſa tuo nubila lumine
Noſtro diſcute pectori.
Da, mens per ſpeculum cernere te queat
Noſtra, & poſthabitis te petat omnibus,
E iuſſiſque tuis pendeat, & tibi
Soli dedita ſerviat.
Tu clemens miſeris da veniam Pater.
Tu Fili miſeris ſterne iter ad Patrem.
Tu ſanctum miſeris Pnevma vagantibus
Praefer conſpicum facem.
Simplex, &c.

25. *IN FESTO CORPORIS CHRISTI.*

COeleſtes epulae, certa piis ſalus,
Quas apponit amor, pura capit fides,
In queis ipſe cibi perpetui loco
Coenae ſe Pater exhibet.
Hic verbum Domini fallere neſcii
Coecis iudicium ſenſibus abrogat;
Quod non eſt, oculi cernere ſe putant,
Nec praeſens quod adeſt, vident:
Sub panis ſpecie viva latet caro,
Sub vini ſpecie ſanguis: & utraque,
Seu tantum ſpecies ſumitur altera,
Chriſtus ſumitur integer.
Felix, qui Dom-num ſedulus hoſpitem
Abſterſis animi ſordibus excipit.
Qui contra facere id negligit, ah miſer
Ipſe eſt exitio ſibi.
Simplex, &c.

27. *IN NATIVITATE S. IOHANNIS BAPTISTAE.*

SAnctorum ſoboles ſera parentium,
Solis perpetui Prodrome Lucifer,
Qui naſcens hilaras omnia, dum tuum
Natalem colimus, fave.
Nondum natus eras, cum dominum tamen
Nondum caſtae utero virginis editum
Agnoſti exiliens, & quatiens novo
Matris viſcera gaudio.
Mox & magnanimus teſqua petis puer,
Et victu populos horridus admones,
Factis abſtineant turpibus, & viam
Adventante parent Deo.
O cui voce ſua maximus arbiter
Laudem ſupra homines egregiam dedit,

E coelo aſſiduis, quaeſumus, adjuva
Cultores precibus tuos,
Simplex &c.

28. *IN DIE TRANSFIGURATIONIS.*

QUam crebro dederat diſcipulis fidem,
Confirmare modis dum ſtudet omnibus,
Tres ſecum comites montis in ardui
Adſumpſit Dominus iugum.
Ille frons radiis cincta micantibus,
Solaris nituit lampadis in modum:
Tum, qua tectus erat, protinus eſt nivi
Veſtis reddita concolor.
Cum Chriſto gemini viſi etiam ſenes,
Et iuſſa ad populum cui dederat Deus,
Et qui ſidereas viſus erat domos
Quadrigis petere igneis.
E nubis nitidae quin etiam ſinu
Haec dicta omnipotens intonuit Pater;
Hic eſt, quem eximie diligo, Filius,
Huius iuſſa capeſſite.
Simplex, &c.

29. *IN DIE S. LAURENTII.*

LAurentI canimus nobile praelium,
Qui cum viſceribus flammam aleret ſuis,
Et cratem roſeo ſanguine ſpargeret,
Subiectis ruber ignibus:
Conſtanter Domini perſtitit in fide,
Ambuſtumque latus carnifici exhibens,
En iſtam rabiem quo magis expleas,
Hoc iam coctum, ait, eſt, vora.
Tanto corporeis ignibus acrior
Chriſti ardebat amor pectore in intimo:
Sic mens tota Dei fervida ſpiritu
Senſum corporis hauſerat.

Nunc

Nunc nobis ſolito more rogandus eſt,
Iratum ut merito conciliet Deum;
Ut quos mirifici roboris inſtruit
Exemplo, precibus iuvet.
Simplex, &c.

30. *IN DIE ASSUMPTIONIS B. MARIAE.*

REgnator ſuperum quo nitidam die
Matrem ſidereis arcibus intulit,
Et ſupra Angelicos conſpicuam choros,
Stellanti ſtatuit throno:
Quae coelo fuerint iubila, qui ſonus,
Quae ſanctis animis gaudia, non modo
Humanis nequeat vocibus exprimi,
Sed nec pectore concipi.
Illa eſt arca novi conſcia foederis,
Concluſus, Domini deliciae, hortulus,
Raſtro intactus ager, ſidere pulchrior
Et ſponſa & genitrix Dei.
Felix quiſquis eam ſuppliciter colit,
Rebuſque in dubiis ſedulus invocat.
Nunquam, hoc qui ſtatuit praeſidium ſibi,
Spe luſus doluit ſua.
Simplex, &c.

31. *IN FESTO SANCTI HADRIANI.*

CHriſti in militiam nomina ne darent,
Multos impediit ſupplicii metus:
Multos, qui dederant, vis cruciatuum
Illam deſerere impulit.
Non ſic ille, hodie quem colimus fuit,
Qui nomen tumido duxit ab Hadria:
Quin Conſtantem animum Chriſticolum videns,
Horum ſe ad numerum appulit,

Prudenter reputans, non ſine numine
Tales cuncta viros aſpera perpeti,
Nec ſe illos temere ſponte ſua ratus
Poenus obiicere omnibus.
Ergo his ſe agglomerans credidit: & ſimul
Index ipſe ſui ſupplicium appetens,
Quae mente imbiberat, mox eadem ſuo
Sanxit dogmata ſanguine.
Simplex, &c.

32. *IN DIE S. MICHAELIS.*

COeleſtis canimus militiae ducem,
Qui periura bonus diſſipat agmina,
Et deiecta locis non ſibi debitis
Sedes trudit ad inferas.
Horrendo imbiberat pectore ſepticeps
Bis quiniſque ferox bellua cornibus,
Intactae ſobolem virginis unicam
Saevis mandere dentibus.
Aeterni imperio ſed Michael Patris
Conatus Satanae reddidit irritos:
Et monſtrum innumeris fraudibus obſitum
Victor ſtravit humi potens.
Idem depoſito pondere corporis
Exſortes animas criminis excipit.
In coelumque alacres tollit & in loco
Lucis perpetuae locat.
Simplex, &c

33. *COMMUNE B. VIRGINIS.*

O Solis nitido lumine pulchrior
Virgo, conſtituit quam Deus unicam
Expertem maculis omnibus, ut foret
Nato digna parens ſuo;
Te quondam Gedeon vellere in uvido,
Intactaque novis imbribus area;

Te cincto innocuis legifer ignibus
Agnorat prius in rubo.
Rebus principium qui dedit omnibus
A te, dum ſe hominum cauſſa hominem facit,
Sumſit principium, quique alit omnia,
Paſtus lacte tuo eſt puer.
Per te quod mulier perdiderat vetus,
Humano generi redditur auctius.
Tu clauſas miſeris heu nimium diu
Coeli prima aperis fores.
Simplex, &c.

34. *COMMUNE ANGELORUM.*

MEntes beatae, lumine
Quas ambit aeterno Pater,
Sacroque luſtrans Spiritu,
In ſe intuentes perficit.
O queis ſupremus omnium
Primis creator inſidet:
Quos luce complet aurea
Amoris ac ſcientiae:
O qui potentis dexterae
Virtute cuncta vincitis,
Dei regentis omnia
Fortiſſimi ſatellites.
O ter beati Principes
Archangelique & Angeli,
Nos rite vobis ſupplices
Hinc in ſuperna tollite.
Aeterne cunctorum &c. *ut ſupra Carm.* 8.

35. *COMMUNE UNIUS CONFESSORIS PONTIFICIS.*

PAſtor beate, qui tuae
Concreditum curae gregem

Saevis luporum faucibus
Patere nunquam paſſus es:
Tu laeta dux ad paſcua
Fontes recludens limpidos,
Oves videbas florido
Semper nitentes vellere.
Quod ſi quae forſan tabido
Languere morbo coeperat,
Salubria, ut mitis pater,
Illi admovebas pharmaca.
Cuius laboris nunc tui
Digna aſſecutus praemia,
Favore, nam potes, tuo,
Qui te precantur, adiuva.
Aeterne cunctorum Pater &c.

36. *COMMUNE UNIUS VIRGINIS.*

O Virgo pectus cui ſacrum,
Amoris expers improbi,
Divini amoris lampade
Sanctus peruſſit Spiritus.
Non te voluptas dulcibus
Fallax venenis molliit
Solas amantem perſequi
Coeleſtis agni nuptias.
Sic ille natus virgine
Suo decore ceperat,
Amore ut ardens illius
Mundana cuncta temneres.
Beata, cui coeleſtibus
Templis receptae nunc licet
Inter canentes Angelos
Tuis potiri amoribus.
Aeterne cunctorum &c.

37. *IN FESTO AMBROSII.*

QUalis periclitantibus,
Totoque iactatis mari
Tranquillitatis nuncia
Se ſtella nautis obiicit:
Talem, procellis Arii
Eccleſiam turbantibus,
Qui lumen orbi redderet,
Elegit Ambroſium Deus.
Nondum renatus flumine,
Sed iam renatus flamine,
Concordibus ſuffragiis
Epiſcopus delectus eſt;
Ut ex miniſtro Caeſaris
Miniſter effectus Dei,
Humana linquens caeteris,
Divina iura panderet.
Non alligatur tempore
Divina certe gratia:
Sed dum libet, quidquid libet
Puncto vel uno perficit.
Hunc ipſe Caeſar horruit;
Contra nec auſus hiſcere eſt,
Caedes ob admiſſas ſacrae
Excluſus aedis limine.
Magnam ſuis fiduciam
Benignus inſpirat Deus;
Semperque paſtoris boni
Multum poteſt auctoritas.
Salve, bonorum maxima
Epiſcoporum gloria,
Plebemque devotam tibi
Coelo receptus adiuva.
Aeterne cunctorum &c.

 38. AD

38. AD BEATISSIMAM VIRGINEM DEI MATREM,

QUAE RELIGIOSISSIME COLITUR IN AEDE LAURETANA.

UNde mihi inſolitus praecordia concutit horror,
Et perfuſa metu ttepidat, velut iſta Deo, mens?
Fallor: an hoc facit ipſe locus, ſtimuloſque paventi
Subiicit, atque animum praeſentia numinis urget?
O coelo dilecta domus, poſteſque beati,
Quos ego iam pridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primum veteris voti reus, advena viſo:
Salvete, adſpectique mihi feliciter eſte.
Voſne per aetherias Iudaeae a finibus oras
Aligerum mandante Deo, vexere manipli?
Hic virgo genitura Deum genitricis ab alvo
Prodiit, & blandis mulſit vagitibus auras:
Hic quoque, virginei ſervata laude pudoris,
Sancta ſalutifero tumuerunt viſcera foetu?
Ille opifex cunctorum, illa aeterna unica proles
Aequa Patri, ille homini primaeva ab origine lapſo
Spem coelo vitamque ferens, hac luſit in aula
Parvulus, & ſanctae blanda obtulit oſcula matri?
Quaenam igitur regum ſedes, quae templa per orbem
Huic ſe auſint conferre loco? ter & amplius omnes
Ante alias felix Piceni littoris ora:
Cui Solymos ſpectare domi, cui munere divum
Fas calcare domi eſt pedibus veſtigia Chriſti.
En ego iam ſupplex procumbam, atque oſcula figam
Parietibus ſanctis, ſpargamque hoc pulvere crines.
Adſpice me ſuperius e ſedibus, adſpice, virgo
Proſtratum, atque imo gemitus ex corde cientem,
Et pectus tundentem & fletibus ora rigantem:
Neu, quanquam culpis adopertum turpibus, arce

Ad-

Adſpectu me diva tuo: ſi pectore toto
Te veneror, ſi te, dubiis in rebus, ad unam
Confugio, teque auxilium ſanctiſſima poſco.
Poenitet, ex animo vitae me Diva prioris,
Poenitet,& meritas horret mens conſcia poenas.
Quod niſi tu caſto pendentem ex ubere natum
Concilias, placaſque mihi, quo tendere curſum
Quove malis feſſam tentabo advertere puppim?
At tu, namque ſoles, placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapſis mitiſſima rebus.
Certe equidem tota pendenteis aede tabellas
Adſpicio, quae te miſeris praeſto eſſe loquuntur.
Hic, te animo ſpectans, torrentem viſcera febrim
Depulit; ille hyadas triſtes, hoedumque cadentem
Spectavit tutus, vertentibus aequora ventis,
Et duce te patrias enavit ſalvus ad oras;
Criminis ille reus falſi, ſub iudice duro,
Dum mortem exſpectat tenebroſo carcere clauſus,
Munere Diva tuo detecta fraude, reviſit
Uxorem & natos, exoptatumque parentem.
O ego nunc morbis multo gravioribus aeger,
Naufragiumque timens longe exitioſius illo,
Et iam pridem animum peccati compede vinctus,
Si poſſim morbis liber, vincliſque ſolutus;
Fluctibus & ventis laceram ſubducere puppim:
Quas tibi laetus agam grates, dum vita manebit?
Te, cum luce nova ſparget ſol aureus orbem,
Te recinam, quoties abſcondet opaca polum nox:
Et tua praecipuo venerabor numina cultu.

39. *IN D. BARBARAM.*

Barbara, qui laudes ſperet ſe aequare canendo
Poſſe tuas, idem pulſantes littora fluctus
Et Libycas numero comprendere tentet arenas.
Te Pater inſanus turri concluſerat alta:

Sed

Sed veram Danaen verus te Iuppiter illic
Deſpondit ſibi Chriſtus, & arcto foedere iunxit.
Illo & tu triplices fieri inſpirante feneſtras
Mandaſti,& niveo ſculpſiſti in marmore ſignum,
Quo reparata ſalus, & deficiente miniſtro
Ipſa tuos merſiſti undis luſtralibus artus.
Quid memorem,ut tibi mons fugienti ceſſerit,aut quae
Ceperit indicii veſanus praemia paſtor,
Qui dum miratur pecudes in marmora verſas,
Ipſe ſuum pariter ſenſit lapideſcere corpus.
  Non tu carnifices, non tu tormenta timebas,
Non gladios, animoſa & Chriſto plena virago:
Qui te ad coeleſtem meritis pro talibus aulam
Evexit regnique libens in parte locavit.
  At tu Diva graves hominum miſerata labores,
Pacem illis veniamque ora, & nocitura repelle.
Praecipue antiquo prognatum ex ſanguine regum
Gonzagam, felix quo ſe duce Mantua iactat,
Qui virides Mincl ad ripas tibi Diva ſacravit
Templum auguſtum ingens, cura quod & ipſe tuetur
Pervigili & flammam late ſpargentibus aris
Saepe manu propria meritos imponit honores,
Hunc tu, Diva, tuo protectum numine ſancto
Conſerva, populumque ſimul, qui ſacra ſecutus
Principis exemplum,puro tua corde frequentat.

40. *DE S. ANDREA APOSTOLO.*

DIc mihi Muſa virum, Geticas qui primus in oras
Intulit aeternae fulgentia ſigna ſalutis:
Mox ſe regna ferens alacris per Achaica victor,
Dum parat uſque novos antiquo ex hoſte triumphos,
Sacravit veteres generoſo ſanguine Patres.
Tuque modo tot,ſaevis quo tempeſtatibus actae
Se tamen, ut poſſunt ſolantur praeſule Senae,
Huc adhibe Franciſce animum, mecumque revolve

Egregii

Egregii ANDREAE laudes, dignataque coelo,
Facta libens. Aram tu illi ſtatuamque dicaſti,
Quae Vaticana inſignis ſpectatur in aede:
Nos dabimus vena ductos e paupere verſus.
Quod poterit, det quiſque: eſt & ſua gratia parvis,
Suſtulerat coelo victor ſe Chriſtus opimis
Inſignis ſpoliis, princeps Acherunte recluſo,
Clara triumphatae referens inſignia mortis:
Luſtrataque ſuos ſancta cum matre ſodales
Munere linguarum & promiſſi flaminis aura.
Conveniunt paucis poſt illa expleta diebus
Magnanimi heroes, Petro indicante ſenatum,
Tum monſtrante Deo, quae ſit provincia cuique
Demandanda, agitant, ſacri quam ſemine verbi
Conſerat, atque viam populis praepandat Olympo:
Et ſparſo intrepidus teſtetur ſanguine Chriſtum.
Ergo alias alii: Thraciam, Illyricumque, Getaſque
Perpetuis nivibus glacieque informia regna,
Suſcipit Andreas: quanquam illi plurima frontem
Ruga arat, & ſeros canum caput indicat annos.
Sed ſtimulat, vireſque ſuas amor ipſe miniſtrat.
Vade, ait, & lacrymis vultum illiuſque ſuumque
Irrorat Petrus, vade o chariſſime, qui me
Duxiſti ad Chriſtum primus germane, meique
Vive memor, memor uſque tui vivam ipſe viciſſim.
Qui tibi cauſſa viae eſt, idem tua coepta ſecundet.
Ingeminant eadem haec alii, fletuque madentes
Amplexi inter ſe, felicia cuncta precantur.
It ſenior, Chriſtumque unum, quacunque gradum fert,
Praedicat: hunc unum cunctis in vota vocandum,
Exitio mentita ſuis cultoribus eſſe
Numina: ab uno hominum Chriſto pendere ſalutem.
Irrident alii, motaque haec mente putantes
Delirare ſenem, ſputo ſaxiſque ſequuntur;
Sunt etiam qui vincla parent, poenaſque minentur
Tur-

Turbanti veterum cultus & ſacra Deorum,
Sunt tamen, & quorum tetigit praecordia Chriſtus,
Qui veterum foeda errorum caligine pulſa,
Attentas monitis prebent coeleſtibus aures.
Ille fidem primum,ſine qua nil caetera proſunt,
Summa docet capita, & ſancto connectit amore.
Tam iuſtos ſperare, ſalubribus abluit undis:
Imponitque manus, & ſancto flamine firmat.
Accedunt exemplo alii, & ſocia agmina iungunt:
Sic quondam latis Cerealia ſemina campis
Cum ſpargit plenaque, manu diffundit arator,
Pars cadit in cautes ſuccoque carentia ſaxa;
Pars leviter terrae nullis radicibus haeret,
Atque illam volucres roſtris populantur acutis;
Pars etiam in ſulcos, atque ipſa in viſcera fertur
Telluris, gremioque illic concepta tenaci
Fruge nova dominos opulentat, & horrea complet.
Odryſios tandem in fines adoperta pruinis
Arva, bipennifero quondam regnata Lycurgo,
Pervenit & torvae puriſſima pectora gentis
Inſoliti tamen eloquii dulcedine mulcet.
Conveniunt flavique Getae, pictique Geloni
Quoſque impoſta vagis agitat domus annua plauſtris,
Cornipediſque ſui ſolitus potare cruorem
Sarmata, quaſque alias ſinuoſa binominis Iſtri
Ripa vehit gentes, rigidis corda obſita ſetis,
Paulatimque truces animos, eduraque ponunt
Corda volente Deo, & moniti meliora capeſſunt.
Editus his ipſis olim regionibus Orpheus
Creditus eſt cantu liquido, fidibuſque ſonoris
Et rabiem dempſiſſe feris, & ſiſtere iuſſis
Fluminibus ſilvas poſt ſe traxiſſe ſequentes.
Verior hic Orpheus, homines qui vivere rapto
Aſſuetos ſolitoſque ſibi ius ponere in armis,
Quoſdam etiam caeſis, feritas horrenda relatu,
Hoſpi-

Hoſpitibus veſci , & ſectos in grandia fruſtra
Aut torrere veru , aut mollire tepentibus undis,
Taliaque obſcaenis imponere fercula menſis,
Impulerit fando ritus abolere nefandos ,
Et prius effera colla iugo ſubmittere Chriſti .
  Iamque Boryſthenios fluctus nitidumque Dyraſpen,
Quique Europaeis Aſiam diſterminat arvis
Multifidum Tanain, teque o ſaxoſe Cynapos ,
Quaeque alia ex alta ſpectat piger arce Bootes
Plurima nunc ratibus , nunc pervia flumina plauſtris .
Illa ſacrum Chriſti pervaſerat omnia nomen ;
Unum omnes Chriſtum ripae,unumque antra ſonabant .
  Cum ſenior, ſat iam his inquit regionibus actum .
Perficiet , quod deeſt , qui perficit omnia , Chriſtus .
Quaeramus nova regna , odit victoria ſegnes .
Subſtitit haec fatus paulum ; dein lumina coelo
Attollens , ſequor ecce , ſequor quacunque vocaris ,
Tu modo praeſenti mentem mihi numine firma .
  Sic fatur , greſſumque ad Achaica dirigit arva ,
Multa movens animo , ſanctus comitatur euntem
Spiritus , & robur feſſis ſenio artubus addit .

Reliqua deſiderantur .

41.

MEnte Deum pura quiſquis veneratur amatque,
  Vis illi exterior nulla nocere poteſt,
Non ſi illum obſideant hoſtiles undique turmae,
  Quas ſitis innocui ſanguinis exagitet :
Non toto coeat ſi quidquid in orbe ferarum eſt,
  Et quot in Oceani gurgite monſtra natant.
Ille , licet triſtes agitent maria alta procellae ,
  Undarum in medio vertice tutus erit .
Ille interque feras atque agmina ſaeva latronum ,
  Noctu etiam in medio tutus erit nemore .
Non quaecunque truces adhibent tormenta tyranni ,
  Illius unquam animum terrificare queant .

Pix,

Pix, rota, robur, equus, candentis lamina ferri,
Omnia pro Chriſti nomine ludus erunt.
Felices, quorum ille imis amor oſſibus haeſit.
Quanta illos obita praemia morte manent?
O ſi me quondam numero Deus aggreget illi.
Quae tunc ſors melior ſorte futura mea eſt?
At CHRISTE ure meum tandem face pectus amica,
Eque pigro inviſum diſcute corde gelu.
Ut nec avarus opes ſecter, neque vanus honores,
Sed flagrem ſolo totus amore tui.

AD GREGORIUM XIII. PONT. MAX.

QUi tibi ab Eoo repetitas littore conchas,
Divitis aut auri pondera multa ferat:
Illum ego ſcire negem, quae tu, pater optime, dona
Longe auro & gemmis anteferenda putes.
Una tibi virtus, virtus in amoribus una eſt,
Verae & virtutis gloria vera comes.
Ergo ut amans tabulis dominae referentibus ora
Gaudet, & ante oculos ſemper habere cupit,
Sic te expreſſa iuvat verae virtutis imago,
Nec tabula eſt oculis gratior ulla tuis.
Tale igitur munus tibi nunc Picolominus offert;
Senenſis praeſul gloria prima ſoli:
Biſſeno Aeneae concluſa volumine facta
Pontificis vere nomine reque Pii.
Qui virtute olim ſedem provectus ad iſtam
Ad quam eadem virtus te, pater alme, tulit.
Ingentes toto compeſcuit orbe tumultus,
Et placido reges foedere compoſuit,
Hortatus bellum Chriſti convertere in hoſtes;
Atque Aſiam illorum faucibus eripere:
Ad quae ſe accingens magno molimine coepta,
Multa bonis fruſtra flentibus, occubuit:

Forſan

Forſan & hanc Chriſtus, Princeps ter maxime, laudem
Servatam in tempus diſtulit uſque tuum.
Thracius ut tandem poſita feritate tyrannus
Colla tuis ultro ſubiiciat pedibus
O ita ſit: cumuletque tuas haec gloria laudes;
Gregorii hic titulis adiiciatur honos.
Interea haec placido vultu cape munera, eique,
Qui tibi ſummiſſus porrigit illa, fave.
Ille Pii, ut noſti, genus alto e ſanguine ducit;
Nec vixit priſcis inficiandus avis:
Plurima ſed tractans & maxima munera, ſemper
Se culpis expertem omnibus exhibuit,
Nunc exacta aetate illud ſibi poſtulat unum,
Ut ſe haud ingratum ſentiat eſſe tibi.

43. AD DOMINUM ZAMOSCIUM POLON. CANCEL.

Bina mihi artifici caelata nomiſmata dextra
Magnus ab Arctoo miſit Zamoſcius orbe
Aurea, non vani memorabile pignus amoris.
Saepe meo optatos animo referentia vultus,
Magnanimi primum regis, quo Martia gaudet,
Quoque caput coelo ductore Polonia tollit.
Aſpicis, ut late veneranda coruſcat imago.
Cunctaque diffuſo circum loca lumine complet?
Non ea vis auro: nec per ſe lamina lucet.
Nec radiat rutili nativa luce metalli:
Maius ab impreſſa ſed ducit imagine fulgur:
Atque ipſum STEPHANI ſacer aurum vultus inaurat.
Contemplare acreſque oculos frontemque verendam,
Et dignam imperio faciem, dignamque triumphis.
Ut ſeſe omni ex parte animi vis vivida profert,
Degenerem luxum molleſque exoſa paratus:
Ut ſpirat generoſum, ipſoque videtur in auro

Re-

Regales agitare imo ſub pectore curas,
Exitium Turcis, meditari & vincula Moſcho.
Hic vir, hic natus virtuti & fortibus auſis:
Cui duo tota pares alios ſi Europa tuliſſet,
Thracius haud ultra nobis illuderet hoſtis,
Sed profugus toto latebras ſibi quaereret orbe.
Altera lamna loco pariter mihi grata ſecundo,
Subiicit ante oculos auctorem muneris ipſum,
Cuius conveniens meritis imponere nomen
Qui velit, invicti regis vocitarit Achaten.
Hinc te igitur, tua mi propius quando ora tueri
Non licuit, cupidumque iſthaec inviſere Regna
Pontificis tenuit non detrectanda poteſtas,
Zamoſci magne, adſpiciam, & perſaepe nitenti
In te defixam ſolabor imagine mentem.
Zamoſci, per quem Marti ſociatus Apollo eſt,
Qui decora heroum accumulans & Neſtora dulci
Eloquio exaequas, & forti pectore Achillem:
Et leges armis firmans, & legibus arma,
Victricem laurum pacatae intexis olivae,
Arbitrer idem almae pacis, bellique miniſter
Impavidus laus egregii propria UTRAQUE CIVIS.
Salvete o animæ fortes, incoctaque honeſto
Pectora, & ignavo non pervia corda timori.
Vos ego, quantum aevi dabitur, ſuper ardua cantu
Aſtra feram, nunquam reticens veſtra inclyta facta,
Facta aliis, queis nomen idem, ſed non eadem eſt mens
Aut animos factura, aut incuſſura pudorem.

44. AD ANTONIUM MONTECATINUM.

Tandem querelis pone modum tuis,
Et fata moeſtis invida vocibus
Clamare, crudeleſque Divos,
Cum gemitu lacrymiſque, parce.

Nam

Nam, quid Lytei iuverit avios
Luſtraſſe ſaltus, fontibus ac ſitim
Ex vulgo inacceſſis levaſſe,
Ingenioque adiiſſe Divos,
Si mentis iſtud praeſidium tuae
Perrumpit, & ſeſe intus agit dolor,
Imiſque fervens in medullis,
Te quaſi perdomito triumphat?
Magnam doloris fata quidem tibi
Cauſſam obtulerunt; qui tibi cognitum
Longoque earum uſu ſodalem
Hannibalem ante diem abſtulerunt.
Qui quanquam avitis ſat titulis domi
Foriſque clarus, non tamen id ſibi
Satis fore ornando putavit,
Ni proprios etiam ipſi honores
Labore magno quaereret impiger,
Comamque lauro duplice necteret,
Et qua ferox Gradivus, & qua
Pulcer Apollo ſuos coronat.
Heu quis Deorum mentibus addidit
Famae illam honeſtis immodicam ſitim?
Quam ſaepe multis illa triſtem
Funeris acceleravit horam?
Sed, quorſum inanes iam querimoniae?
Ille ipſe, quem urges queſtibus, Hannibal,
Felix, & inſertus Deorum
Concilio, mala noſtra ridet.

45. *AD P. FULVIUM CARDULUM.*

SAepe tranſactos mea mens per annos
It retro, & vitae relegit prioris,
Qua poteſt, curſum, veteres revolvens
Ordine culpas:
Quid puer, quid dein iuvenis, quid autem
Temporis iam vir male collocarim,

Dulcibus dum me feriat venenis
Dira voluptas.
Quas mihi imprudens maculas inuſſi?
Quo modo, ah demens! animum inquinavi,
Quem ſalutaris nitidum lavacri
Fecerat unda?
Corporis nec pars vacat ulla probro;
Os, manus, aures, oculique turpe
Heu iugum infamis dominae tot olim
Luſtra tulerunt.
Paululum hoc ſaltem fugientis aevi,
Viribus caſſae reliquum ſenectae,
Quantulum Chriſtus ſupereſſe vult mi,
Vindicet ipſe,
Ipſe me pridem Veneris peruſtum
Improbe flammis rapiat, novoque
Flaminis ſancti iecur & medullas
Igne pererret,
Tu tui inſtilla mihi Chriſti amorem;
Unicum mens te mea concupiſcat:
Te nihil praeter ſibi perſequendum
Iudicet unquam,
Nil opes, nil me capiant honores;
Exulet luxus ſimul & libido;
Vana deluſae procul hinc faceſſant
Gaudia mentis.
Quique florenti male ſanus aevo
Nil niſi obſcaenum, piget heu, canebam,
Nunc tuum tantum repetam ſenili
Carmine nomen.
Tu quoque hunc votis precibuſque Fulvi
Adiuva ardorem: quotieſque ſumis
Myſticum Chriſti trepidus nitentem
Corpus ad aram;

 Mente

Mente tunc tecum memori volutans
Trade me Chriſto, mea vota nam ſi
Negligat, certe tibi nil petenti
Tale negabit.
Hoc idem chari mihi praeſtet oro
Cura Maffaei, & mea dicta quondam
Qui nimis forſan cupida bibebat
Bentius aure.
Bentius, quem rectum iter evagantem,
Et parum cauta calidum iuventa,
Contigit virga Deus, in ſuumque
Duxit ovile,
Nunc ubi expletus meliore mentem
Pabulo, currit per iter ſalutis
Heu procul ſegnem ſua poſt relinquens
Terga magiſtrum.

46. *P. FRANCISCO BENTIO.*

BEnti nihil me, ſicut antea, iuvat
Pervigili ſtudio nil profutura quaerere;
Nec quas per urbes cautus, exciſo Ilio,
Saxa Ithacae repetens, Laertis errarit puer;
Nec quot Ithacenſes pharmacis Circe potens,
Vultu hominum poſito, grunnire, porcos iuſſerit.
Curae magis mi eſt, luſtra iam decem miſer
Qualibus in vitiis defixus ipſe erraverim:
Cum me, Dei vix iam manente imagine,
Mortifera induerat foedam voluptas in ſuem.
Quis me ſequetur fructus, ubi pernovero,
Quot mala Graiugenis Achillis ira invexerit:
Si neſciam veſanus, in quae me mala
Praecipitem ira Dei, niſi reſipiſcam, actura ſit?
Hei mi laboris, heu dierum ac noctium,
Quas memini in ſtudiis me talibus conſumere,
Male metuentem, ne quis uſquam aequalium
Certius ac melius plures teneret fabulas.

Et tamen ab aequis non gravate improvida
    Iudicibus veniam fortaſſis aetas impetret.
Sed nunc columbis concolor cum ſim caput,
    Et mihi ſarcinulas brevi legendas ſentiam:
Niſi meliora mente tota cogitem,
    Bis puerum merito, Franciſce, me vocaveris,
Beatus ille, quem iuventae in limine
    Abſtrahit a vitiis ipſe & ſibi adſtringit Deus.
Nec tamen habendus ille in felicibus,
    Ad meliora, Deo vocante, qui venit ſenex,
Verum eſt poetae nobilis verbum vetus.
    Si bene quid facias, ſero licet, prodeſt tamen.
Communi uterque gratias agat patri,
    Sors tibi prima data eſt, mihi ſecunda contigit.

MURETO FRANCISCUS BENTIUS.

Reſpondet Carmini praecedenti.

MUrete, me nunc, ſicut antea, iuvat
    Quae mihi, quaeque aliis das, profutura carmina,
Expreſſa ſancti Spiritus molimine,
    His avidis oculis & tale quaeritantibus
Et lectitare & lectitando ediſcere.
    Labitur inde mihi furtim humor udas in genas,
Palam arguens quae pectus intrant gaudia,
    Pectoris exigui maiora clauſtris gaudia,
Converſa ſtudio quando utriuſque refricas.
    (Grata utriuſque Deo & mortalibus converſio)
Nam uterque nigro noctis e ſilentio
    Coepimus aſpicere Chriſti benigna lumina.
Uterque noctis tum relictis artibus,
    Depoſitis tenebris & arma lucis induit.
De te ſed ipſe multa deploras, modis
    Flebilibus lachrymans: & ad gemendum me vocas.
Eheu dolor, quid ulcus antiquum novas?
    Iam memini, miſer, heu, quod poenitet, piget, pudet.

Cum

Cum vilis ancillae expaveſcens voculas
Immemor officii Chriſtum negavi ſaepius.
Gallo at canente, cum me amico lumine
Intuitus Deus eſt: prior mihi tunc mens redit.
Ad me ipſe tandem triſte poſt tempus redii,
Exilenſque, foras, laxavi habenas fletui,
Abſterſit inde lacrymas Chriſtus meas,
Speque data veniae perduxit in gregem ſuum.
Eduxit idem, quod fateris improbae
Servitio dominae, vindicavit te ſibi.
Quid reſtat ergo? hortetur alter alterum.
Nunc ſi aliquis gravior fortaſſe ſe offeret labor,
Feramus hunc, Murete, mente qua decet,
Atque ducem Dominum forti ſequamur pectore,
Quod ſi una utrumque ad vineam hora non vocat,
Unus utrique tamen promittitur denarius.

47. *AD CLAUDIUM QUENDAM.*

QUidquid agam, Claudi, ſeu quo me vetere tentem,
Seu nihil, ut ſoleo deſidioſus agam:
Ante oculos tua mi aſſidue obverſatur imago,
Unaque triſtitiam gignit & una levat.
Angor enim infelix, quod te, (quo ſoſpite ſolum
Eſſe velim ſoſpes, & moriente mori,)
Nunc, ubi ſis, quid agas, veterem tibi cura medentum,
An nondum, morbum pectore depulerit:
Nec ſcio, nec iam ſcire ulla ratione potis ſum:
Quae me res angore unica pene necat.
At rurſus nihil eſt, quo me ipſe hoc tempore ſoler,
Quodque oculos triſti tergeat imbre graves.
Te niſi cum vana ſibi mens ſub imagine fingit,
Seu vigilem, dulci ſive ſopore premar.
Hoc mihi Nepenthes curas diſſolvere promptum eſt;
Luctibus haec una eſt apta medela meis.

 Tecum

Tecum ego nunc videor teneros percurrere verſus,
Sive Catulle tuos, ſive Tibulle tuos:
Nunc etiam rerum cauſſas tentare latentes,
Diſcere & unde fluant omnia, quoque fluant.
Nunc herba in viridi, latae porrectus ad umbram
Arboris, & rivum molle ſtrepentis aquae;
Auraſque & dulces avium captare ſuſurros,
Perque vices tecum multa iocoſa loqui.
Gratia dIs, qui mentem homini celeremque dederunt,
Et quaevis habilem fingere ſpectra ſibi.
Illa & plumipedem ſuperarit Perſea curſu,
Et celebrem invicti Bellerophontis equum.
Nec mihi, ſe cuius rerum natura creatrix
Expreſſam in tabulis cernit, ut in ſpeculo,
Tam bene te docto Titianus pollice pingat,
Quam mens te aſſidue pingere prompta mea eſt.
Atque utinam tibi ſit de nobis mutua cura,
Nec quin ſit, dubito: ſed tamen eſſe precor,
Non ego vulgari te, Claudi, amplector amore,
(Hac face rara Deus tangere corda ſolet:)
Me me ipſe odiſſem, niſi tu me gratus amares:
Nec niſi me, quoniam ſum tibi charus, amo,
Denique cum fuero nulli credenda locutus,
Pars tamen illa mei parvula amoris erit.
DI faciant, longos producere detur in annos,
A pueris coeptae foedus amicitiae.

48. *RAPHAELIS URBINATIS*

Pictoris eximii Tumulus.

Ipſe loquitur.

SIc mea naturam manus eſt imitata, videri
Poſſet ut ipſa meas eſſe imitata manus.
Saepe meis tabulis ipſa eſt deluſa, ſuumque
Creditit eſſe, meae quod fuit artis opus.

Miraris:

Miraris: dubitaſque? audito nomine credes.
 Sum Raphael, hei mi, quid loquor? immo fui.
Et tamen, his dictis quid opus fuit addere nomen.
 Alterutrum poterat cuilibet eſſe ſatis.
Nam mea & audito eſt notiſſima nomine virtus:
 Et praeſtare vicem nominis ipſa poteſt.

49. *AD PETRUM GERARDIUM.*

O Delicati blanda ruris otia,
 Curis & ambitu procul.
O dulce murmur limpidorum fontium.
 O grata nemorum opacitas.
O ſibilantes arborum ingentum comae.
 O prata vere gemmea.
O ſolitudo amica cogitantibus.
 O horror, o ſilentium.
Cui nunc canoro gutture obſtrepunt aves,
 Nunc canna paſtoris vagi;
Seu mane oves in laeta ducit paſcua.
 Seu veſpere reducit domum,
O menſa nec luxu affluens, nec ſordida
 Dapibus parata ruſticis.
Quas non, heri languentem ut irritet gulam,
 Doctus ſaporavit coquus.
Sed filiis iuvenibus & ſeni viro
 Severa coxit villica.
O bibliotheca nota paucis, o libri,
 Quos rara contrectat manus.
O cella tantum lectuli unius capax,
 O ſomne liber, & levis.
O ad beatam tuta vita ſemita,
 Ignota vulgi ſenſibus.
Ut vos requiro, ut mente vos tota expeto,
 Alia peroſus omnia.
Ut laetus ad vos tendit, & gazis libens
 Vos anteponit Perſicis,

Quicunque puro pectus Olmeo lavit,
  Frondemque mordet Delphicam.
Quid tu, Gerarde, cui profanis invios
  Adire fontes contigit,
Paresne eaſdem ſequeris, an ſiti mala
  Opum aut peruſtus gloriae,
Amoenitati ruris & dulci otio
  Vitam anteponis aulicam?
O per Licei cognitos paucis ſpecus,
  Quos ſaepe luſtraſti puer,
Ne ſperne amicus conſill quod dat ſenex,
  Quodque ſibi, ſed ſero, capit.
A litterato te otio avocantibus
  Occludito aures, & fuge,
Canora monſtra ut auribus cera oblitis
  Laertis effugit puer.
Beata vita non metallo aut indici
  Spoliis paratur aequoris.
Animo appetenti pauca, quod ſat eſt, ſat eſt:
  Avido atque inexpleto, nihil.
Cum tibi ſit, unde liber, & plane tuus
  Vitam quiete tranſigas:
Quis heu furor te, quis, rogo, impellit furor,
  Vincla ultro ut induas tibi,
Et more pulchrum vivere alieno putes,
  Nutus timentem divitis?
Age rumpe nexus, & iugum collo excute,
  Vindexque & aſſertor tui,
Aude eſſe felix, & procul cuncta amovens,
  Quae mentem humo adfixam tenent,
Per liquida puri ſpatia decurre aetheris,
  Aeterna tantum cogitans.
Et iſta ſortis lubricae ludibria
  Miranda vulgo deſere.

Utinam

Utinam mihi olim, flore cum primo rudes
    Iuventa opacaret genas,
Amicus aliquis iſta monſtraſſet ſenex,
    Quae nunc tibi ipſe cantito:
Non ego periſſe luſtra tot in aula mihi
    Vanis dolerem queſtibus.

50. TIBUR.

(*De Carmine hoc lege Muretum ipſum lib. II. Epiſt. 20. quae eſt ad Paulum Sacratum.*)

QUicunque Herculei ſpectabit Tiburis arces,
Qua pater Hippolytus, ſacri pars magna ſenatus,
Cura Deum, loca perpetuo prius aſpera ſaxo
Molliit, & leni iuſſit miteſcere clivo,
Omnia deprendet longe ſuperantia famam,
Nec tam regifico conſtructa palatia ſumptu,
Auroque illuſas aedes, radiataque tecta,
Quam ſemper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, & aquam in ſublime volantem,
Seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
  Praecipue tamen illi animum novitate movebit
Exciſus, res mira, ſilex, rupeſque cavatae,
Et via facta manu longi per viſcera montis:
Qua ſe Anio pater inſueto pervolveret alvo.
Qui longum per iter tenebroſo tramite lapſus,
Exit, & arboribus gelidae non invidet undae.
  Stant habiles propter Nymphae, lymphaſque paratis,
Exceptas urnis in vaſa capacia fundunt.
Parte alia ipſe ſuis altricibus adſtat Iacchus,
Maternique memor caſus, flammaeque paternae,
Gaudet aquis; illiſque libens ſua munera miſcet.
  Dum ſtupeo, tam multa videns miracula rerum:
Ecce novus procul alituum concentus ad aures
Fertur, & inſolita mentem dulcedine tangit.
Adſpicio, & greſſum propius fero; corpora cerno
Parva ex aere avium, aeratis nitentia ramis,

Daedala queis variam tribuit ſolertia vocem.
Quamcunque adſpicias, deluſus imagine veram
Eſſe putes volucrem: niſi quod non evolat uſquam,
Sed ramis affixa ſuis cantu aethera mulcet.
At verae mirantur aves, & cedere dum ſe
Turpe putant, liquidis late omnia queſtibus implent.
Hic Lucae egregius labor eſt, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renovantem inventa magiſtri.
Quid? quem non moveat cygnum mentitus adulter,
Illudens ſimili ſpirantem e marmore Laedam,
Delitiiſque ſuis, & aquarum murmure laetus?
Multaque praeterea veterum ſimulachra Deorum,
Artis opus priſcae. Cunctos verum arduus inter
Eminet Alcides: qui ſpectans omnia circum
Heſperidum veteres hortos prae Tibure temnit.
Sed quid ego haec verſu nequidquam includere tento?
Iampridem exiguum praeſcripti carminis orbem
Exceſſi; & dictis ſemper maiora ſuperſunt.

51. *Idem*.

DElіciae veterum Tibur volventibus annis
Conciderat, priſcum perdideratque decus:
Et nuſquam rivi, nuſquam pomaria, nuſquam
Ulla ſuper tanti ſigna decoris erant.
Illa loca antiquis toties celebrata Poetis
Horrebant turpi ſqualida facta ſitu:
Moerebant erepta ſibi ſua gaudia Nymphæ,
Languentes Anio moeſtus agebat aquas.
Omnia tempus edax ita deformarat, ut hoſpes
Quaereret in medio Tibure: Tibur ubi eſt?
Non tulit hanc ſpeciem divini pectoris heros
Hippolytus, ſacri gloria magna chori.
Ille loco ſenium abſterſit, vultuſque priores
Reddidit, & ſolito iuſſit honore frui.
Illius imperio iuſſae revireſcere ſylvae
Coeperunt ſparſis luxuriare comis.

Ille

Ille novos paſſim fontes emergere iuſſit.
Nec mora fit: fontes proſilvere novi,
Quos circumſtatuit priſcis egeſta ruinis
Plurima Phidiaca ſigna polita manu.
Ipſe Anio fontem pallenti cinctus oliva
Affluit, & proprias conſociavit opes.
Iure igitur fonteſque ſacri, ſylvaeque virentes
Certatim Hippolyti nomen ad aſtra ferunt:
Et quoties molli increpuit levis aura ſuſurro,
Hippolytum alternis vocibus ingeminant.

52. *Dedicatio hortorum Tiburtinorum.*

NEc labor Alciden fregit, nec blanda voluptas
Unquam animum caſti molliit Hippolyti.
Ambarum hos hortos virtutum accenſus amore,
Auctori voluit muneris eſſe ſacros.

53. *Idem.*

AUrea ſopito rapuit quae mala Dracone
Alcides, eadem nunc tenet Hippolytus.
Qui memor accepti, quos hic conſeverat hortos,
Auctori voluit muneris eſſe ſacros.

54. *Bacchus fonti impoſitus.*

NOndum natus eram, cum me prope perdidit ignis.
Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

55. *Idem ex adverſo reſpiciens fontem Nympharum.*

QUi colitis Bacchum, comites ſimul addite Nymphas.
Nam ſine ope illarum munera noſtra nocent.

56. *In tabulam Tantali.*

SI quando admittant ſua te ad ſecreta potentes,
Quiſquis es exemplo diſce taere meo.

57. *In*

57. *In tabulam Iaſonis navigantis, & Herculis captum Hylam quaerentis.*

VIribus auferres, quod fraude parabis Iaſon:
Eripit Alciden ſed tibi raptus Hylas.

58. PROLOGUS IN PHORMIONEM TERENTII.

Cum eam aliquot nobiles adoleſcentuli, Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis iuſſu, acturi eſſent.

ETſi ſcio eſſe hic neminem, qui neſciat,
Quid apparatus noſter hic velit ſibi,
Tamen mearum partium eſſe exiſtimo,
Interea dum ſe mei ſodales comparant,
Bona cum venia veſtra, pauca dicere,
Quae ſcire vos, & veſtra, & ipſorum intereſt.
Comoediam Terentii acturi ſumus,
Cui Phormioni nomen ipſus indidit,
Quod Paraſitus in ea Phormio primas agit.
Neque hoc videri debet aut mirum, aut novum,
Quandoquidem in omni vita, ne dum in fabulis,
Paraſiti, ſcurrae, ſicophantae, omne id genus,
Bonis repulſis, ipſi iam primas agunt.
Quod ſi quis eſt, parum decorum qui putet,
Iuvenes ingenuos perſonatos conſpici, in
Scenam prodire, & quaſi facere hiſtrioniam:
Is ſibi reſponſum hoc habeat, nulla re magis
Diiudicari omnia, quae mortales agunt,
Quam fine, quem is, qui quid agit proponit ſibi.
Qui ſcenicam artem victus cauſſa factitant,
Et, ut coquis ac laniis riſum excitent,
Diſtorquent ora, inſulſa dicta dictitant.
Contundunt pugnis ſe invicem, atque horum omnium
A plebe viles exigunt mercedulas,

Merito

Merito hiſtrionum nomen & ſamam ferunt.
Nil ſimile noſtrum eſt. Nos, ut noſtram induſtriam
Vobis probemus omnibus, ut communi hero
Hilaremus animum, cui debemus omnia,
Unum id petentes, hunc laborem cepimus.
Quanquam o ſupremi coelites, quem iam omnium
Pudere debet perſonatum conſpici,
Cum id omnis aetas, omnis ordo factitet?
Sed nolo nunc ulcera cuiuſquam tangere;
Ne quis ſatyram eſſe hanc dicat, non comoediam.
Nunc unum a vobis priuſquam hinc abeam poſtulo,
Si vos, quod veſtri honoris cauſſa fit, iuvat,
Favete, & vigilate animis, vigilate auribus,
Dormite linguis. Qui tacere non queunt,
Benefecerint, ſi ceſſerint iis, qui queunt,
Ne & turbent alios, & morbum prodant ſuum.
Facite, ad conanda impoſterum nos talia
Bonitas ut veſtra atque aequanimtas excitet.

59. *E Graeco Callimachi.*

NAmque & ego nitido capiti, flaviſque capillis
Serta olim Aſſyrio ſparſa liquore dedi:
Et bona in ingratum congeſſi plurima ventrem,
Cuncta ſed in ventos illa abiere leves.
Servarunt ſolae commiſſa fideliter aures.
Corporis hac una eſt parte reperta fides.

---

60. Afficta Trabeae (a)

(a) *Q. Trabeae nomen celebre eſt in Comicis veteribus. De ipſo vide P. Crinit. cap.15. de Poet. Latin. & Gyrald. Dial.8. de Poet. Hiſt. f.306. Eius autem non niſi fragmenta quaedam ad nos pervenere. Hos ergo ſuos ſex verſus, ſane quam elegantes (quo nomine laudat eos Bongarſ. ep. 119. ad Ioach. Camp. p. 29.) & ad vetuſtatis imaginem compoſitos (quales neſcio an & ſequentes non habendi ſint,)*

Trabeae

Trabeae Muretus affinxit, & in ea re quibuſdam eruditis impoſuit. Unde & in Lexico Buchneriano voce Praefica fol. 1128. *Trabeae adſcriptos reperias. Sed hanc fraudem Ioſ. Scal. adeo tulit indigne, ut aculeato admodum diſticho ulciſcendam putaverit, quod in ſilva carminum eius legitur* in Rumetum *(i. e. Muretum)* qui ſuos verſus pro antiquis ſuppoſuerat. *Caeterum eodem fere ſenſu legitur fragmentum quoddam Philemonis, Graeci Comici, (apud Hertelium in ſententiis Comic. p. 176.) cuius initium:*

εἰ τὸ δάκρυ ἡμῶν τῶν κακῶν ἦν φάρμακον.

HEre, ſi querelis, eiulatu, fletibus
Medicina fieret miſeriis mortalium,
Auro parandae lacrumae contra forent:
Nunc haec ad minuenda mala non magis valent,
Quam naenia praeficae ad excitandos mortuos.
Res turbidae conſilium, non fletum expetunt.

61. *In eandem fere ſententiam.*

NAm ſi lamentis allevaretur dolor,
Longoque fletu minueretur miſeria,
Tum turpe lacrumis indulgere non foret.
Fractaque voce divum obteſtari fidem,
Tabifica donec pectore exceſſit lues.
Nunc haec neque hilum de dolore detrahunt,
Potiuſque cumulum miſeris adiiciunt mali,
Et indecoram mentis mollitiam arguunt.

62.

UT imbre tellus, ſic riganda mens mero:
Ut illa fruges, haec bona conſilia offerat.

63.

GUſtanda vita, non fruenda, homini datur.
Nam, cum fruendi tempus eſt, tum deſerit:

Feli-

Felicius maritus, an caelebs agat?
Privata vita ſitne regno dulcior:
An vita regia folium attingat Iovis?
Peregre morari ſuavius ſit, an domi?
Qui, quamque multi, & quo parandi more ſint,
Quo habendi amici? nullus haec curat puer:
Rarus adoleſcens; nec ſenex omnis videt.
Et haec tamen vitam prope omnem continent.
Quae ſi quis acri cura & uſu pervigil
Longo notarit, idemque ſecum ſtatuerit,
Quid fugere, quid contemnere & quid perſequi
Expediat homini; vix eam ingreſſo viam,
Quam maxime, quam ex omnibus probaverit;
Obſtat ſenectus invida, & curſum impedit:
Mox avida triſtes Lacheſis inicit manus,
Sic vivere meditantibus vita evolat.

64.

SI exſpectes, Pamphile, ipſa dum negotia
Te accerſant, ultro dormientem exſuſcitent;
Vehementer erras; taciti diſcedunt dies:
Nec obliviosos officii admonent ſui.
Superba res eſt rei gerendae occaſio:
Semel contempta, nunquam poſtea redit.
Vigiles oportet, & tua accures memor.
Nam, ſi ipſe rem curare negligas tuam,
Fugit illa, & facile, qui ſe curet, invenit.
Tu rem, quam cures poſtea haud facile invenis.

65.

MEmini magiſtrum puero mi olim hoc dicere,
Summum Iovem facere item, ut caupones ſolent:
Qui vina, ut vendant, turbant, miſcent, diluunt,
Nec cuiquam vini ſimplicis donant cadum.
Itidem illum aiebat, in vita mortalium
Nunquam fortunam ſimplicem cuiquam dare,
Sed temperare fata laetis triſtia.

66. O

66.

O Lingua, lingua: ut magna eges cuſtodia:
Quae & aliis ſaepe, & ſaepius Domino noces.
Multum aſſecutus, qui bene didicit loqui:
Qui bene tacere, non minus aſſecutus eſt.

67.

NIvibus hyems excuperat; & ver floribus,
Aeſtas ariſtis affluit, lacrumis amor.

68.

SI mihi lacerti, quales olim, nunc forent:
Non lingua potius tibi opem ferrem quam manu.
Nunc tarda membra, & ſanguis adſtrictus gelu
Conferere in acie cum hoſtibus manum vetant:
Prodeſſe patriae voce & conſilio ſinunt.
Corpus abit annis: conſilio animus viget:
Vireſque ſenibus defluunt, verba affluunt.

Finis Libri Primi.

M. ANTONII MURETI
CARMINUM
LIBER SECUNDUS.

1. *PSALMUS* XXVI. (*al.* XXVII.)

Dominus illuminatio mea.

CLara meae ipſe Deus praepandit lumina menti,
Ipſe mihi Deus eſt indubitata ſalus.
Quem metuam? vitam ecce meam Deus ipſe tuetur,
Cur paveam varios concipiamque metus?
Cum fera me vallo cinctum propriore teneret,
Et fureret carnes turba vorare meas:
Ipſemet impegit, qui me prope cepetat hoſtis,
Ipſe cadens vaſto corpore preſſit humum,
Ergo inimica necem mihi iam ſi caſtra minentur,
Nullus erit, pulſet qui mea corda, pavor.
Praelia ſi ingruerint, expers terroris abibo,
Spe fidens una praeſidioque Dei.
Unum concedi petii mihi munus ab ipſa,
Idque unum ſummis uſque petam precibus,
Exigere ut tanti ſpecioſa regis in aula
Fas mihi ſit vitae tempora tota meae.
Ut colluſtrem oculis nulli loca nota profano,
Et Domini aſpectu, deliciiſque fruar.

Caetera deſunt.

2. *PSALMUS* L. (*al.* LI.)

MIſerere clemens obſecro, mei, Deus,
Illamque magnam plane & admirabilem
Oſtende culpis in meis clementiam.
Immenſa miſericordiae illa vis tuae

O Ini-

Iniquitatem deleat, quaeſo; meam.
Lava amplius me, & elue maculas Pater,
Quas tetra labes ſceleris aſperſit mihi,
Ut totus a te mundus iterum appaream,
Namque ipſe culpas, heu mihi agnoſco meas.
Et uſque quoque lumina obvertam miſer,
Armata tanquam facibus, & torvum intuens
Peccati imago animum paventem territat.
Tibi heu, tibi uni, Summe cunctorum Arbiter,
Cuius vereri maxime iram par fuit,
Veſanus illo meque implevi crimine,
Perpetua dictis conſtet ut fides tuis,
Vincaſque de te ſi quis aliter iudicet,
Ne, quaeſo ſaevi; namque ab ipſa orgine,
Genitricis alvo adhuc tepente, conditum
Maculavit, heu, me foeda peccati lues,
Et tu tamen, cui chara ſumme eſt veritas,
Sapientiae mi arcana detexti tuae.
Aſpergar abs te, aſpergar hyſſopo, Pater,
Munduſque fiam, tu benignus me ablues,
Ero ipſe tunc nitidior intacta nive.
Tunc aure laeta nuncios optabiles
Accipiam, ubi eſſe mitigatum te audiam,
Tunc & meorum obtrita compago oſſium
Exiliet illo delibuta gaudio,
Averte culpis a meis vultum precor.
Iniquitates & bonus dele meas,
Supreme mundum cor creato in me Deus,
Rectumque rurſus ſpiritum intra me innova.
Noli tuo me arcere ab aſpectu procul,
Tuum nec a me Spiritum Sanctum auferas;
Tuae ſalutis redde laetitiam mihi,
Et principali ſpiritu fulcito me.
Vias docebo ſedulus iniquos tuas,
Et mente verſa ad te redibunt impii.

Turpi

Turpi iniquinatum caede me expia, Deus,
Deus ſalutis auctor, & princeps meae.
Lingua ut moleſtis impedita nexibus
Soluta laudes cantet exultim tuas.
Tu Domine, labra, qui potes, aperi mea,
Et patere laudis me eſſe praeconem tuae.
Nam victimarum duceret ſi te cruor,
Magnam obtuliſſem victimarum vim tibi.
Sed tibi holocauſta ingrata, & iniucunda ſunt,
Sacrificium tibi omnium gratiſſimum eſt,
Mens, criminis quam vexat admiſſi dolor,
Contritum, & abiectum ad pedes tuos, Deus;
Cor poenitentis ſpernere haud quaquam tuum eſt.
Domine Sioni iam benefacito libens,
Excelſa ſurgant magna & urbis moenia.
Tunc iuſta ſacra, & vera faciemus tibi.
Tunc, tibi holocauſta, qualia ipſe vis cadent:
Tunc, quod tenello te iuvet vitulo magis,
Tuis ſonabit omnis ara laudibus.

3. *AD SACRAM CHRISTI CRUCEM.*

O Una ante alias omnes venerabilis arbor,
Quae roſeo Domini tincta cruore mades:
Ter felix o ſpina, ſacro quae in vertice fixa
Divinum aeterno cingis honore caput.
Felices clavi, felicia vulnera, felix
Haſta, ſacrum licuit cui reſerare latus,
Ut manans geminus ſanctis ex artubus imber
Humani maculas elueret generis.
O mihi ſi detur fel illud, & illud acetum,
Dulcia quod Domini contigit ora mei;
Quidni utrumque mihi ſit nectare dulcius? ille
Dempſit eis omnem tactus amaritiem.
Sed maneat potius felli nativus amaror,
Immodicas fauces & mihi reddat acor,

Ut tormentorum fas, o bone CHRISTE, tuorum
Deguſtare aliquam ſit mihi particulam.
Heu miſerum me, Chriſte, ego te hoc in ſtipite fixi,
Debita erant culpis ſupplicia iſta meis,
Pro me tam lato mihi vulnere pectus apertum eſt,
Impoſita & capiti ſpinea ſerta tuo.
Perque manus ego, perque pedes ferrum iſtud adegi,
Haec te cuncta mei ferre ſubegit amor:
Quod pro me indueras, pro me lacerum undique corpus
Vulneribus, nec iam pars patet ulla novis.
Et ceſſo in lachrimas? quae me tigris aſpera, quae me
Urſa ferox, ſilvas inter, & antra tulit?
Fundite largifluos immitia lumina fletus
Tundite nil veritae pectora dura manus.
Ante crucem te, Chriſte, tuam proiectus adoro,
Ac licet indigno te tamen ore precor,
Ut quando generis laviſti crimina noſtri,
Quod ſine te inferni praeda latronis erat,
Sordentem vitiis me, & probris undique opertum
Et nimis illecebris corporis implicitum,
Quamquam oblectantem tua per veſtigia ducas.
Participemque tui muneris eſſe velis.

4. *AD EANDEM.*

O CRUX tincta ſacri flumine ſanguinis
Olim ſupplicium mancipiis grave
Nunc regum capiti praecipuum decus,
Te flexo colimus genu.
CRUX hoſtes hominum ſola procul fugat,
CRUX ſola inſidiis munit ab omnibus.
Adverſa intrepidus deſpiciat, licet:
Cuius ſpes cruce nititur.

5. *AD B. VIRGINEM TEMPLI AD NIVES SEU MAIORIS ROMAE.*

NOx nondum exacta eſt, criſtata ſed ales acuto
Significat cantu, non procul eſſe diem.

Et mihi iam precibus placata ex more diurnis
Numina; quid, dum ſe lux nova prodit, agam?
Quid potius, quam iacta novi fundamina templi,
Illa etenim feſti eſt huius origo, canam?
Virgo fave ter ſancta, tuo haec meditamur honori,
Et quanquam incultos excipe blanda ſonos.
Liberius triplici cinctus diademate frontem
Romuleae cuſtos urbis & orbis erat.
Patricii per idem tempus florebat honore
Iohannes atavis reque fideque nitens.
Par erat huic opibuſque locoque, & moribus uxor
Et prorſus tali nubere digna viro.
Sed ſterilem illius Dominus concluſerat alvum:
Nec iam anni prolis ſpes erat ulla ſuper.
Nec quiſquam eiuſdem, quem lex Praetorve vocaret
Gentis erat, ipſi gens ſibi tota duo.
Saepe ſibi haeredem precibus poſcebat uterque:
Non exauditas flebat uterque preces.
Venerat aſſuetis ſuccincta caloribus aeſtas,
Torrebat fiſſos Sirius acer agros.
Compoſiti lecto chara cum coniuge tandem
Lumina Patritii vinxerat alma quies.
Cum virgo frontem ſtellis redimita coruſcis
Per thalami clauſas viſa ſubire fores.
Stanſque toro ſupra: Quid te tam ſaepe fatigas
Haeredem certum, dum tibi poſcis? ait.
Ipſa ego, quam cernis, iam nunc tibi deſtinor heres,
Quae pedibus lunam, lucidaque aſtra premo.
Tu modo, quae dicam, memori fac mente recondas,
Non tibi fas verbis indubitare meis.
Proxima cum radiis aurora retexerit orbem,
Conſcende excelſas impiger Exquilias.
Quaque ſolum late nivibus candere videbis,
Hic claranda meo nomine templa loca.

Dixit & in coelum multa cum luce reverſa eſt:
 Ima ſeni gelidus concutit oſſa pavor.
Surgit & extemplo Lateranas tendit in aedes,
 Cunctaque Pontifici voce tremente refert.
Ille quoque obiectam ſpeciem ſibi narrat eandem,
 Viſaque res cura dignior eſſe gravi.
Pontificis iuſſis clerus populuſque vocatur,
 Monſtratique ſimul per iuga montis eunt.
Devenere locos, ubi ſe nix plurima coelo
 Fuderat, & latam ſparſa tegebat humum,
Attoniti una omnes praeſentia numina clamant,
 Pacemque & veniam ſupplice voce petunt.
Nec mora, ſignatur templo area lata futuro:
 Liberius ſancto conſecrat ore locum.
Hinc Nonis adiectus honos Sextilibus ille eſt:
 Hinc agitur feſtus nunc tibi Roma dies.
Nos quoque iam ad templum, quoniam diluxit, eamus,
 Virginis ut ſanctae rite precemur opem.

6. *ECCLESIA GENTIUM.*

FUſca quidem, (neque enim pudor eſt mihi vera fateri,)
 Sum, fateor, vultu fuſca, decora tamen.
Me fuſcam genitrix in luminis edidit oras,
 Et vitiis ſparſam multiplici macula.
Gratia ſed nitidis ubi me ſemel abluit undis,
 Tota fui ſubito candida tota decens.
Hinc me pulcher amat ſponſus ſuper omnia rerum,
 Datque animi aſſidue pignora certa ſui.
Ipſa quoque ut par eſt ipſius amore liqueſco.
 Pro quo dulce mihi eſt vivere, dulce mori,
Quam iucunda exeſt animae mihi flamma medullam,
 Quam ſuave in medio pectore vulnus hiat..

Nec meus hic ullo minuetur tempore languor:
In bona nil iuris talia tempus habet.
Quin etiam cum mors anima ſeduxerit artus,
Tum demum aeternus nos ſociabit amor.

7. AD NICOLAUM VIENNENSEM EPISTOLA.

INclyta nobilium ſoboles, NICOLAE, parentum,
Qui iam nunc, ipſo ex aetatis limine ſigna
Virtutis praebes nobis manifeſta futurae,
Nimirum ſapis, & rem recte intelligis unus,
Qui licet antiquis ortus natalibus, haud te
Ante tamen ponis reliquis, ſed fronte modeſta
Alloqueris cunctos: vultuque humanus amico,
Non ulli renuis dextram praebere fidelem:
At quidam contra nullis maioribus orti,
Ore tamen tumido voces efflare ſuperbas,
Aequaleſque ſuos audent contemnere, tanquam
Indignos: queis ſeſe aequali foedere iungant.
Quos tu deridens, inter nihil eſſe, parente
Quo ſit quiſque creatus, ais, tum ſit modo veras
Virtutis ſtudioſus, ametque in rebus honeſtis
Ponere labentis fatalia tempora vitae.
Cui non Sicaniae notus dominator opimae,
Qui de figlina eſt ad regni evectus habenas?
At contra Perſei, qui claram rexerat olim
Pellen, natus fortunae ludibrium, amplos
Inflabat folles, & regis filius, unco
Impoſitam incudi verſabat forcipe maſſam.
Quid? non & matris captivae abiecta propago,
Flamma index regni cui circum tempora fulſit,
Regali ſedit folio. Quid ſtemmata iactas?
Nam pueri regum parte enaſcuntur eadem,
Qua mendicorum numquid communis utrique

Materia eſt numquid morbis obnoxius aeque eſt,
Quem lana Aſſyrio velat medicata veneno,
Principibus proavis claroque ex ſanguine natum,
Et ſub Aquitanis ſed ſordet qui bardocucullis,
De peronato genitus patre? nonne ſorores
Noctigenæ vitas hominum quo pollice verſant,
Sunt aeque immites generoſis, vilibus aeque?
Quidnam igitur praeſtat mendico hic nobilis iſti?
Aut quid nobilitas tandem eſt, niſi fumus inanis?
Nam ſi vim verbi inſpicias, & nobile ſcortum
Dicitur, & latro nonnunquam nobilis: imo
Nomine ita accepto, Pornus quoque nobilis ipſe eſt.
Sed nempe inſanit vulgus multóque veratro
Indiget, indignos alienis laudibus ornans,
Qui ſe non ullo deturpat crimine, quique
Viribus ingenuas totis amplectitur artes,
Is mihi, ſit quamvis genitore creatus egeno
Nobilis eſt: at qui, vitiorum mole gravatus,
Nil praeter ſtatuas, & avorum nomina iactat,
Si verum excutias, longe abiectiſſimus ille eſt.

8. *AD IANUM ANTONIUM BAIFIUM.*

IANE mei cordis longe pars maxima; quocum
Dulce mihi eſt totos crebro componere ſoles,
Dum tu aut Niliacae meditaris funera Thisbes,
Inficiens atro candentia poma colore;
Aut opus eximium numeris ſublimibus aptas,
Syrmate conſpicuus, pictoratoque cothurno:
Carmine nos humili noſtros includimus ignes;
Aut brevibus ſcriptis dulces affamur amicos;
Aut vitiis genuinum inſignimus. Omnia nos haec
Parvula inaudaces: tibi fas maiora parare,
Cui totus ſe Helicon, totuſque recludit Apollo,
Ad vires ſe quemque ſuas componere verum eſt.

9. *AD*

9. *AD STEPHANUM IODELLUM.*

SEmina ſunt quaedam naſcentibus inſita nobis,
Queis duce natura, ad varias impellimur artes.
Ille fori rabiem, veſanaque iurgia laudat,
Et pavidos grata defendit voce clientes,
Impatiens oci; contra hic ſulcare carinis
Regna tridentiferi gaudet patris & trabe vaſta
Viſere longinquo terras ſub ſole iacentes;
Prodigus hic vitae violentis ducitur armis,
Gaudet & hoſtili ſtagnantes ſanguine campos
Aſpicere, & litui ſonitu recreatur acuto;
Ille ſui nunquam fines excedere agelli
Auſus amat tacitis deducere paſſibus aevum,
Proſcindens magnae gremium genitricis, & altis
Pinguia Triptolemi committens munera ſulcis.
Nos Muſae, Iodelle, tenent genitorque Lyaeus,
Quem rigidi ambiguo venerantur numine Thraces,
Et Nymphae celeres, & capripedes Satyriſci.
Nos & luce nova luſtrat dum Delius orbem,
Et iubar auricomum tremulis dum fluctibus abdit,
Addictos ſtudiis videt, intentoſque labori.
Sed tua te virtus, animi te vividus ardor
Aequales longe ante alios unum abripit: uni
Purpureis dictant Muſae tibi talia labris,
Qualia pulchricomus, choreas docentibus ipſis,
Cantat, & ad numerum ſimul ipſe movetur Apollo,
Felix ingenii, viridi cui detur ab aevo
Longaevos aequare ſenes, & carmine dio
Demulcere animos. Iam te ipſe tumeſcit alumno
Sequana: iam virides reſonant tua nomina ripae.
Perge agedum, neu te venienti ſubtrahe famae.
Non te parca feret totum: non totus obibis,
Parſque tui effugiet ferales optima flammas.
Muſa ſuos vetat ipſa mori: dat vivere Muſa
Perpetuo & famam memorem per ſecla propagat,
Coelo

Coelo Muſa beat, famam tibi Muſa parennem
Protrahet, & coelo te olim, Iodelle, beabit.

20. ## ELEGIA.

Ad F. Verum Lomenium.

HEu mihi, cur genio vis me pugnare, Lomeni,
Naturaeque iubes vertere iura meae?
Curve parum gratas impellis durus ad artes,
Muſica cui ſolum ſacra placere vides?
Nam nec agris miles fieri, nec idoneus armis,
Cui ſemel arriſit ruſtica vita, poteſt.
Nec ſi quem placito naſcentem lumine Clio
Viderit, admota contigeritque manu:
Aut bonus hoſtiles unquam foedare catervas,
Aut ad ſaeva fori iurgia promptus erit:
Omnia ſed fugiens tranquillae inimica quieti
Exigit aetatis mollia fila ſuae,
Magnarum ſecurus opum, ſecurus honorum
Omnia deſpiciens, quae leve vulgus amat:
Ille etiam ſummos audax contemnere reges,
Praeque ſua miſeros conditione putans.
Caſtra iubent alios, bellique inamabile murmur,
Miſſaque non ſicae corpora multa neci;
Queis rapiat primae teneros lanuginis annos,
Acceleretque ſuum Parca ſevera diem;
Gaudeat hic miſeros inter clamare clientes,
Et pavidos duro terreat ore reos;
Hic adeat terras alio ſub ſole calentes,
Littoraque inſtructa plurima claſſe legat,
Seu ferat Herculeas animus ſpectare columnas,
Seu ferat annoſos ire ad Hyperboreos:
Durus, qui fragili vitam committere ligno
Audet, & ignotas aequoris ire vias,
Nec timet inverſo decumanos marmore fluctus
Securuſve animi ſquamea monſtra videt.

Non

Non ſic divini, mitiſſima pectora, vates,
Aethereo quorum flamine corde calent;
Otia ſectantur ſed enim, tacitoſque receſſus,
Et ſua neglectis urbibus arva colunt,
Splendidaque & multo ſpectanda palatia luxu
Contemnunt, humiles anteferuntque caſas:
Illic & ſiccant generoſo plena Lyaeo
Pocula, Biſtonia frigidiora nive.
Sic ego ſim, liceatque mihi, mea Muſa, per agros
Non alia vitam ducere ſorte meam.
At tu, quantum in te eſt, alio nos ducere tentas,
Aſtraeque ſequi numina, VERE, iubes.
Ecquid, ais, quaeſo molli tibi carmine quondam
Proderit, aut homines, aut ceciniſſe deos?
Scilicet ut voci fueris cum fabula vulgo,
Cumque erit in vultu plurima ruga tuo,
Fortiter eſurias, ut te mala cogat egeſtas
Multa pati forti non patienda viro:
Sectari menſas, blande appellare potentes,
Tollere mentitis laudibus aſtra ſuper.
Quod niſi deſiperes, poteras in luce forenſi
Verſari, & laudem quaerere, opeſque tibi.
Excute decepta blandum de mente furorem,
Qui tibi, ni caveas, pernitioſus erit.
Advertit tardas qui recta monentibus aures,
Exitium demens fabricat ipſe ſibi.
Ergo ego, ut hirſuti verboſa volumina Baldi,
Ut diſcam leges Iuſtiniane tuas,
Dediſcam teneri modolamina blanda Properti,
Dediſcam numeros, culte Tibulle, tuos?
Ah peream prius; & ſaevo me fulmine tactum
Trudat in obſcura Iupiter ipſe ipſe domos.
Diſpeream, ſi quicquid opum, ſi quidquid honorum eſt,
A genere hoc vitae me revocare poteſt.

II. AD IOHANNEM AURATUM
virum utraque lingua eruditiſſimum.

AURATE gentis grande decus meae,
Qui tenſa docta fila legens manu
Seclis inexpertum vetuſtis
Ambroſio iacis ore nectar.
Quid eſſe cauſſae ſuſpicer, invida
Suis quod ortos Gallia finibus
Aut odit, aut ſpernit poetas,
Uſque favens peregrinitati?
Atqui vetuſtis temporibus ſuos
Et fovit Hellas & Latium ſuos:
Quae pravitas nos mentis unos,
Ne faciamus idem, coercet?
Nihil daturum me auribus hic tuis
Velim arbitreris. Sim licet & fide
Pridem tibi, & communitate
Sanguinis, & Patriae alligatus:
Nil dicta ſed me commoveant tamen;
Aurate, palpo percutere inſcium,
Ut laudibus te ornare pergam.
Ni tua me prope ſingularis
Virtus moveret. Nil faciles tibi
Muſae negarunt: ſeu libeat fide
Sacrare Graeca, ſeu Latina
Nobilium inclyta facta regum,
Haec arte quondam quas ſibi copias
Dirces alumnus, quod peperit decus?
Contra, tuos mercede iuſta
Quiſnam hodie decorat labores?
Praeiudicatae quod niſi nos premat
Auctoritatis pondus erit nihil,
Cur non, metu plane remoto,
Cedere te inficiemur ulli.

Sed

Sed nempe virtus temporibus iacet
Depreſſa noſtris: hinc fit, ut unici
Virtutis altores poetae
Clade etiam ſimili premantur.

12. *IN DISCESSU DANIELIS SCHLECHERI, FILII*

longe dulciſſimi.

DEſcende coelo, & iam mihi lugubres
Regina dicta Calliope modos,
Quibus furentem, eheu ſub imis
Viſceribus retegam dolorem.
Dic diva, carmen, quale per herbidi
Ripas cayſtri, candidulum caput
Traiectus immiti ſagitta,
Voce canit moriente cycnus:
Aut qualia olim coniuge Thracius
Rapta ſacerdos dixerat, ad ſonum
Quorum & ferae immanes quierunt,
Et rabidi poſuere venti.
Ah, unde queſtus incipiam meos?
Quae prima ſe vox pectore proferet,
Iterque laxabit querelis?
Nam meus hinc Daniel recedit.
Nunquamne poſthac, o iuvenum decus,
Quotquot, iugales dum citat aureos,
Terramque colluſtrat iacentem,
Ignivomo videt ore Phoebus,
Nunquamne poſthac conſpiciam tuos,
Schleichere, vultus? cur igitur moror,
Nec triſtis inviſaeque vitae
Fila ferox inimica rumpo?
Iamiam valete o gaudia, & o ioci,
Et quicquid ante hac dulce fuit mihi:

Venite

Venite iam fletus perennes,
Perpetuique venite planctus.
Innixa ramis Daulias ut novis,
Cui cantus auceps furtifica manu
Pullos tenellos involavit,
Moeſta ſedet, geminatque queſtus,
Et ſe doloris vulnere conficit:
Sic ipſe, poſtquam deſiero tui
Aſpectu amato atque expetito
Poſſe animum exſatiare vultus,
Eheu, quibus tunc fluctibus opprimar.
Quantas dolorum perpetiar faces,
Quam ſaepe, te ut ſpectare poſſim,
Morte mea cupiam paciſci.
Lenito crebris haec mala literis.
O nate, ſaltem, neve animo patrem
Depone, qui dum vivet, unum
Pectore te retinebit arcto.

13. *AD CLAUDIUM VOESIUM.*

CLaudi integello pectore amabilis,
Qui mente ſolus diſiicis a mea
Acerba curarum benignis
Vocibus, alloquique dulci.
Non ſic timenda eſt in Lybiae iugis
Quae matre rupta vipera naſcitur:
Non ſcorpii cauda minaces,
Non geniti ſub aquis chelydri:
Non herba tetro noxia gramine,
Quacumque tellus Theſalis educat;
Non illa, quam ſtillante rictu
Spuma canis genuit triformis
Dira ut latentis tela Calumniae,
Quam Dite tellus ſuſtulit ex patre,
Nefariam inſonteſque fictis
Criminibus premere efficacem.

Haec

Haec conglobatis ſuſpicionibus
Beli nepotem perdidit, haec malae
Adegit ad potum citutae
Innocum ſophiae parentem.
Dum Phoebus Indos exoriens novo
Afflabit igni, Beticolas cadens,
Non ulla Theſiadae modeſti
Secla pudicitiam tacebunt.
Aggreſſa blandis hunc ſua fraudibus
Noverca pellax: quid iuvenum decus,
Labentis iſtud ver iuventae,
Perdis, ait, tenerumque florem?
Cur editorum per iuga montium
Antris latentes perſequeris feras?
Tibi abſque telis, retibuſque
Praeda domi melior parata eſt.
Accede, neu te poeniteat mei
Fructus pudoris capere primulos:
Non me ore natura indecoro
Protulit, immeritamve amari:
Quid vana legum vincula te movent?
Natura nullos concubitus vetat,
Sed compedes vaniſſima iſtas
Cura hominum ſibi fabricata eſt.
Nil ille motus, deſine vocibus
Tentare mentem ſpurcidicis meam,
O ſpurca & in tauros furenti
Progenies genitrice digna.
Haec fatus in teſqua, & nemorum abditos
Abit receſſus, geſa manu rotans:
Vadentem odora & vis ſagacium
Anteit, & ſequitur Laconum.
Quid innocenti ſed iuveni tamen
Servaſſe tanto a crimine profuit

Men-

Mentem, ſi apud patrem reverſum
Impia plus potuit noverca?
Cuius querelis ille adeo integer
Per vota patris filius occidit,
Cautes & eliſo marinas
Imbuit emoriens, cerebro.
Nec me venenis non petiit ſuis
Illa ipſa mendax anguipedum ſoror,
Mendaciorum procreatrix,
Perpetua & ſcelerum architecta:
Sed dexter illi me eripuit Deus,
Umbone tanquam me triplici tegens;
Cuius memor, nunquam canoris
Verſibus hunc celebrare mittam.

14. *AD PETRUM RONSARDUM Gallicorum Poetarum facile Principem.*

RONſarde Aonii pectinis arbiter,
Qui princeps reſonum ſollicitas ebur,
Ventorumque minas, & celeres potens
Lapſus ſiſtere fluminum
Quando te reducem Vindocino ex agro
Cernemus, veterum turba ſodalium?
Quis te, quis niveo vellere conditus,
Nobis reſtituit dies?
Quid deſiderio perpete nunc tui,
Heu quae non facimus vota? quibus ſacros
Poſtes muneribus cingere parcimus?
Quas non concipimus preces?
O ſaltem interea, quicquid agis, memor
Noſtri vive: ita te curribus aureis
Rumor per liquidum gemmeus aera
Spectandum populis vehat.

15. *AD NICOLAUM DENISOTUM COMITEM ALSINOTUM.*

BAcchus poetas & facit, & fovet:
Bacchus poetarum ingenia excitat,
Bacchus novem praeſtat puellis,
Et melior, potiorque Phoebo eſt.
Ter terna quiſquis pocula ſumpſerit
Dulcis Falerni, ſentiet hic ſibi
Calere divino furore
Carmina en eiicienda mentem.
Sic laetus olim, vixit Anacreon,
Cinctus virenti tempora pampino,
Sic Ennius ſemper madenti
Gutture carmina funditabat.
Algentis at quos potus aquae iuvat
Frigent eorum carmina, nec ferunt
Aetatem. Ades, mecumque plenis
Hic cyathis, Nicolae, certa,
Miranda ſeris carmina poſteris
Uterque loto gutture concinet,
O dulce tormentum, o gravatis
Certa quies animis Lyaee.
Quaenam imperiti pocula quaerimus,
Vocalis undae? quod bifidi duplex
Montis cacumen ſomniamus?
Quam petimus fatui Hippocrenen?
Haec Hippocrene eſt: unius hic liquor
Vates ſtupendos efficere evalet.
En, par pari gratus repende:
Hoc ego te cyatho ſaluto.

16. *AD IANUM TILIUM PARAENETICON.*

MOdus tenellis quis tibi ab unguibus
Vitae tenendus, Iane, ſit, accipe,
Benigna quem natura finxit
Ingenio puerum ſequaci.

Primum ergo amorem numinis intimo
Serva uſque fixum pectore, & illius
Ad iuſſa te compone: nulla eſt
Sors nocitura Deum colenti.
Fac & parentes ſis pius in tuos,
Honore & illos promerito colas:
Impune nunquam ſprevit ullus,
A quibus ortus erat, parentes,
Fas & magiſtris, ſint licet aſperi
Nonnunquam, honorem reddere debitum,
Si quando te obiurgent, id illos,
Te quod ament, facere arbitrator.
Nam primula aetas innumeris rapi
Affectionum turbinibus ſolet:
Fraenari eam quare & magiſtri
Aſſiduo imperio neceſſe eſt.
Nil turpe factu dicere fas puta:
Quae quiſque gaudet dicere, eis quoque
Gaudere patrandis putatur,
Indicium ſua cuique lingua eſt.
Diſce &, ſodales quos tibi debeas
Parare: nam omnes conſimiles fere
Evadere illis aſſolemus,
Queis cum agimus: neque peſtilenti
Si quis frequenter vixerit in domo
Nec ſi in malorum coetibus, ut ſibi
Contagio nil obſit, unquam
Arte cavere valebit ulla.
Vide ergo, ut illos, Iane, pares tibi,
Queis eſſe te olim conſimilem voles.
At immodeſtos quos videbis,
Et cane peius, & angue vita.
Laborem amato, dum iuvenis viges,
Ut ocieris, cum ſenium premet:

La-

Laboris oſores nec ulla
Laus ſequitur, neque ſplendor ullus.
Haec ſi ſub imo pectore clauſeris
Praecepta, Tili, ſpes bona nos tenet,
Tuis, fore, ut maioribus te
Perſimilem videamus olim.

EPIGRAMMATA.

17. *ANTONIO GOVEANO.*

SUmme poetarum, quos ſecula noſtra tulerunt,
Cui ſacra Caſtalii fluminis unda ſubeſt,
Accipe non tetrica iuvenilia carmina fronte,
A domino limam iuſſa ſubire tuam.
Ut tibi ſi (quod vix auſim ſperare) probentur,
Olim ſe lucem poſſe videre putent:
Sin minus, aeterna damnentur ut omnia nocte,
Aſpectu tanti facta beata viri.

18. *IULIO CAESARI SCALIGERO.*

SCaliger Aoniae decus immortale cohortis,
Qui, quae alios ornant, ſingula ſolus habes,
Altera Veronae, maior ſed fama priori,
Cui Clarii munus ceſſit utrumque Dei,
Cui tot ſe debent animarum millia, per quem
Saepius eſt Stygii cymba quieta ſenis,
Quod tantum auguſta de maieſtate remiſti,
Ut placido verſus videris ore meos,
Praemia quae tandem tibi digna reponere poſſim?
Devoveam ſi me, vix ſatis eſſe putem.
Tune meos verſus voce ut laudaveris illa,
Quam ſtupet, & qua nil grandius orbis habet?

Praemia quaenam igitur reddam tibi digna ? ſed erro :
Praemia non debent reddier ulla diis.
Anne tuas igitur deſcribam carmine laudes ?
(Laudari humana numina voce volunt.)
Deficient humeri tanto ſub pondere, nec iam
Tuta erit in tanto noſtra carina mari.
Quidnam igitur? taceo, ſatis hunc dixiſſe putandum eſt,
Se quicunque ſatis dicere poſſe negat.

19. *GULIELMO MOMBASIO EPISCOPO LECTORENSI.*

QUod tam cenſeris generoſo ſanguine, Præſul,
Quodque es tam multis clarus imaginibus,
Illa quidem certe laus eſt non infima, ſed quae
Tota ad maiores ſit referenda tuos.
Quod ſuperas opibus multos, quod honoribus anteis:
Fortunae haec dici munera poſſe vides.
Quod ſis auguſto ſpectandus corpore, forſan
Natura hanc dotem vendicet ipſa ſibi.
At quod tam multis fulges virtutibus, atque
Eximiis rari dotibus ingenii,
Quodque tuis lucem praeferre nepotibus illam,
Quam tibi maiores antetulere potes:
Haec demum eſt tua laus: haec praeſul, laus tua demum:
Una haec te ſuperis inſerit ordinibus.

20. *In Ponticum.*

AUrea non vana iactas tua carmina voce;
Purgari ſolo nempe quod igne queunt.

21. *In Noallium.*

NIl immundius eſt tuis libellis,
Nil obſcenius impudiciuſque,
Et vis te tamen ut putemus eſſe
Numa Fabricioque ſanctiorem.
At ſententia noſtra ea eſt, Noalli,

Quiſ-

Quiſquis verſibus exprimit Catullum,
Raro moribus exprimit Catonem.

22. *In Virgilium.*

Virgilius ipſe loquitur:

COr Phoebi, Phoebus Latii, Vatum Pater & Rex,
Fons ex quo Aoniae proſilit humor aquae.
Par volui primum, maior ſed factus Homero,
In Graecos Romae iura ſecunda dedi.
Ad coelos tandem raptus, Iove iudice, dicor
Nectarea illorum vincere voce ſonos.

23. *Neque avaros, neque prodigos probandos eſſe.*

IMproba quem partis cumulandi plura libido
Detinet, & iuris non ſinit eſſe ſui;
Quem vexant damnoſa modis inſomnia miris,
Dum ſua ſub tacita pondera nocte putat;
Qui queritur tardas non ſaepius ire calendas,
Quidque nihil penſi, dummodo quaerat, habet;
Omnia prae lucro contemnere iura paratus;
Nec mihi, nec cuiquam, credo, placere poteſt.
Sed neque qui ternis decies centena diebus
Fundit, & in ſumptu nil putat eſſe nimis:
Quique etiam noctu poſita cum luſerit arca,
Non alio ritu tempora lucis agit;
Quem ſol ſi primo locupletem viderit ortu,
Redditus ex Croeſo protinus Irus erit:
Qualis apud Stygiam torquet rimoſa paludem
Vano virgineas urna labore manus.
Quiſnam igitur? qui ſe cauta ſic temperat arte,
Ut medium ſervans vitet utrumque latus.
Providus, ac facilis; parcus ſibi, largus amicis,
Atque etiam largus, cum petit hora, ſibi;
Qui nec opes terrae furtim componere, ſed nec
Perdere diſcincti more nepotis amat.

24. *In Romanum.*

CUm ſomnus pigris vix dum excuſſus ocellis,
Atque recens orto pluma relicta die,
Inclamas multo puerum, Romane, boatu,
Ora lavaturas qui tibi portet aquas:
Tunc & gingivas multo ſale feſquipedales
Proluis, & guttur terque quaterque tuum.
Eſſe quid hoc dicam, quod cum tam ſaepe lavetur,
Nunquam non tamen eſt ſordida lingua tibi?

25. *In malos Principes.*

IUpiter in faciem, propter ſua probra, lupinam
Mutavit regem, Maenalis ora, tuum.
Ille quidem Regum ſolus, mihi credite, non eſt
De ſe qui dici promereatur idem.

25. *In Corellium.*

SUtor es, & piſtor, lanius, lenoque coquuſque
Mercatorque bonus cauſidicuſque bonus,
Te tamen in tota non eſt mendicior urbe;
Nec quem paupertas arctius aegra premat.
Dic agedum, qui fit (nam res eſt mira, Corelli,)
Cum tot res facias, rem facere ut nequeas?

27. *Stephano Aliſio Burdegalenſi.*

SI mea ſe faciles dederint in vota camoenae,
Ut per plura meum ſecula carmen eat.
Tu pariter mecum memori celebraberis aevo,
Et tibi ſcripta vetus per mea nomen eris,
Sin (ſed enim verbis & pondus & omen abeſto.)
Non ſeneant domino longius illa ſuo:
Non tamen idcirco tibi diſplicitura putabam
Haec magni in te animi pignora parva mei.

28. *Mario Crucio.*

FOrma aetate perit: vires aetate fatiſcunt;
Caſibus innumeris eripiuntur opes:
Una, Mari, eſt virtus, quam non vis temporis aufert,
Non premit iudigno ſors inimica pede.

Una

Una ſuos invicta perennibus inſerit aſtris,
Fortunae imperio liberat una ſuos.
Hanc ſequere. Inſani eſt poſtponere firma caducis,
Veraquo quae bona ſunt ſpernere, falſa ſequi.

29. *De virtute & gloria.*

VIrtus ut ſolidum quiddam eſt,& corpore conſtans:
Aequa ſed eſt umbrae gloria fluxa levi.
Hanc igitur quiſquis neglecta amplectitur illa,
Huic mage quam corpus corporis umbra placet.

30. *Sub exortum diei.*

ROſcida purpureos effert aurora iugales,
Et nitidum ſoli praevia ſternit iter.
Noctis aves dudum rupere ſilentia cantu,
Nullaque iam coelo, rara vel aſtra micant.
Exit flammivomo Phoebus ſpectabilis ore,
Et tenebras denſae noctis abire iubet,
Chriſte, Patris ſplendor, vero me lumine reple,
Atque meo tenebras pectore pelle procul

31. *De voluptate & ratione.*

CUm, velut excelſa reſidens in puppe, voluptas
Arbitrio mentem pellit agitque ſuo:
Horrida bacchantes ineunt certamina venti,
Navemque in Syrtes, & vada coeca trahunt.
Illinc ambitio, dolus hinc conſurgit, & atrox
Ira cruentatas ſanguine tincta manus.
At ratio regimen navis ſi ſumſerit, ecce
Compoſitis undis aequora tuta ſilent.
Ipſa ratis nullo ventorum exterrita flatu
In portum certo tramite flectit iter.

32. *In Paulum.*

QUae tu condideras, inſpexi carmina nuper,
Lectaque ſunt, fateor, terque quaterque mihi.
Nec tamen evalui cognoſcere, quid ſibi vellent,
Uſque adeo obſcure ſcribere, Paule, ſoles.

Nam tua verba, puto, ex libris accepta Sibillae,
Quaeque Catonis erant tempore priſca nimis,
Verſibus infercis, gaudeſque obſcurus haberi,
Et velut inducta ſingula nube tegis:
Erraſti hoc tantum, quod mittens carmina, Paule,
Debueras una mittere Grammaticum.

33. *Petro Quinto*.

SI Dea, quae dubiis huc illuc paſſibus errat,
Et regit humanas lumine capta vices.
Quem Labyrintheis erroribus egit, Ulyſſem
Ad patrios eſſet paſſa ſedere focos:
Membraque lauſque viri tumulo caperentur eodem,
Et tegeret nomen, qui tegit oſſa, lapis.
At quoniam fatis varie crudelibus actus
Dura tulit terra plurima, dura mari:
Vivit, & evectus rutulis ſuper aethera pennis,
Maeonio clarum carmine nomen habet.
Macte animo, Quinti, dum te fors invida vexat,
A patriiſque procul finibus eſſe iubet.
Virtutem illa tuam toto diſſeminat orbe,
Dumque nocere cupit, ſic quoque ſaeva iuvat.

34. *Claudio Burgo*.

PErpetuo moeres, nec frontem exporrigis unquam;
Hoccine tu quaeſo vivere, Burge, vocas?
Is demum vere vivit, qui mente ſerena,
Et nitido laetos exigit ore dies.
At qui perpetuis torquet ſe angoribus, hunc non
Vivere, ſed lenta morte perire puto.

35. *In D. Catharinam*.

QUo te praecipue commendem nomine, virgo?
Laus etenim quae te non minor eſſe queat?
Magnum erat errores veterum liquiſſe parentum,
Maius ad imperium deſeruiſſe fuit.
Magnum erat immanis rabiem ſpreviſſe tyranni;
Supplicia at maius ſponte ſubire fuit.

Magnum

Magnum erat his vitam ſponte obieciſſe periclis:
Maius nunquam animo ſuccubuiſſe fuit.
O decus eximium patriae, ſexuſque polique.
Dicere te merito nullus honore poteſt.

36. *Eadem de ſeipſa loquitur.*

ILlecebras inter medias educta virago,
Re princeps, mulier corpore, mente dea,
Nixa Deo, mundi ſpernens mala gaudia: vici
Tum tormenta animo, tum ratione ſophos.
Non rota, non gladii, non ipſi horrenda tyranno,
Mors potuit mentem ſede movere meam.
Scilicet haud quicquam mens Chriſto afflata veretur,
Ille meae vires, & mea vita fuit.
Quid fuit; eſtque fuitque atque eſt ſine fine futurum,
Principium vitae mors dedit ipſa mihi.
Qui legis haec, ſic tu te etiam compone viator;
Mors tibi pro Chriſto vita perennis erit.

37. *In Commentarios Iuris Civilis, Franciſci Connani viri clariſſimi. Liber loquitur:*

DUm tua nil praeter curantis commoda, Lector,
Me patris aſſiduo cura labore polit,
Dumque diebus amat totas ex ordine noctes,
Noctibus & totos continuare dies:
Ipſe (fatebor enim infelix) dominoque patrique
Ipſe necis properae maxima cauſſa fui.
Verum etiam ſine me, fatalia tempora menſus,
Serius ut paulo, tandem obiturus erat.
Faxo ego, ut aeternum per me nunc vivat: eroque
Illi anctor vitae, cui necis ante fui.

38. *De morte M. Bruti.*

BRutus ut Auguſto belli ſuccedere palmam,
Et paulum a victis vidit abeſſe ſuos;
Amplexus gladium multa iam caede madentem,
Ergone te, dixit, ſoſpite ſervus ero?

Quin

Quin potius fatis id quod praecluſa malignis
Non potuit patria, id dextra datura mihi eſt.
Haec fatus, rutilum per coſtas exigit enſem,
Magnanimoque cadens pectore pulſat humum.
Sic quoque dum moritur, labris dum ſpiritus errat,
Nunc, ait, invito Caeſare, liber ero.

39. *De morte Ciceronis.*

CUm ferus aſtaret ſtricto mucrone ſatelles,
Sumere ſupplicium de Cicerone parans:
Immoto vultu, atque oculis conſtantibus ille
Praebens infanda colla ſecunda manu:
Publica libertas vita mihi charior, inquit,
Me quoque me fas eſt, te moriente, mori.

40. *Calendis Ianuariis Iocoſum.*

NOn tibi pro Xenis fulvi pretioſa metalli
Pondera, non docta ſigna polita manu,
Non lana Aſſyrio tincta & ſaturata veneno,
Non gravis argenti lamina munus erit.
Talia non capiunt generoſas munera mentes,
Talia magnanimi ſpernere dona ſolent.
Cum te igitur, quam ſis excelſo pectore, norim:
Non mittam iſta tibi dona. Quid ergo? nihil.

41. *In Inſignia Lucae Sempronii,*
Stellam videlicet cum roſa.

ESſe roſas coeli merito quis dixerit aſtra:
Aſtra ſed & terrae dixeris eſſe roſas.

42. *In Iulium Caeſarem Scaligerum.*

DIc Dea, quod poſſim ſcripturus fingere nomen,
Scaligeri quod par laudibus eſſe queat?
Cur petis imprudens, quod habes? dic, Scaliger illud
Omnia virtutum nomina nomen habet.

43. *In eundem.*

DIcite mi, Muſae, cultiſſima nomina nobis,
Quonam Scaligeri paſcitis ora cibo?

Sic

Sic ego. Sic Muſae: Quam te ſententia fallit?
Nectare quo potius nos alat ipſe, roga.

44. *In Carolum Caliantheum.*

PHiloſophum te dicis & hoc te nomine iactas,
Prae te omnes reliquos ut nihil eſſe putes.
Nec tamen aut rerum cauſſas & pondera noſti,
Aut aliud, nomen quo mereare ſophi.
Una tuis titulis addenda eſt littera, Carle:
Non mihi Philoſophus, ſed Philoſompus eris.

45. *In quendam.*

MUlciber inceſſu, capite Aeolus, ore Lyaeus:
Tres uno divos corpore ſolus habes.

46. *Iohanni Caiſtcando.*

NI, quantum pote quiſquam amare quenquam;
Tantum te ipſe amo, Caiſtcande, ni te
Totum non oculis fero iam in ipſis,
Verum in pectore & intimis medullis:
Contingant mihi cuncta, quae timentur,
Tanto ut ſim ipſe miſerrimus malorum,
Quanto tu unus es optimus bonorum.

47. *In Pontialianum.*

CUr tua vix unquam ſint falſa epigrammata, quaeris?
Dilvis haec nimio, Pontiliane, mero.

48. *De Lucii cuiuſdam memoria.*

EſSe aliquam ſi quis memorandi perneget artem,
Hanc qui confirmet, Lucius unus erit.
Ille etenim nuper curaque adiutus & arte,
Tres verſus totidem noctibus edidicit.

49. *In Paulum.*

E Lecto ſurgens ad menſam accedere Paulus,
E menſa ad lectum rurſus abire ſolet.
Interea attingit libros & vina Catelli,
Et queritur ſeſe diſcere poſſe nihil.

50. *De Pompili naſo.*

POmpilio eſt naſus cubitos tres longus & unum,
Latus & hunc murus cingit utrinque triplex.
Adſunt & turres, Bacchus quas condidit ipſe,
Et minio tinctas uſque rubere dedit.
Huic etiam naſo vis admiranda tributa eſt,
Nam calices ſiccos illius umbra facit.
Imo etiam longe diſtans ſi ſenſerit uſquam,
Ut magnes ferrum ſic trahit ille merum.
Nuper eram in menſa, ſitiens, potare paratus:
Pompilius clauſas aſtitit ante fores:
Mira canam, ſed vera, merum mihi forte paratum
Attraxit naſo protinus ille ſuo,

41. *In Pauli naſum.*

EXiguum ſi quis naſum vidiſſe laborat,
Paulum adeat, Paulo ſi modo naſus ineſt.
Non etenim eſt naſus, ſed pars centeſima naſi:
Et quo quis viſo dicere poſſit, ubi eſt?
Talis ineſt naſus muſcis, ſed & his quoque maior,
Et melius naſi nomine dignus ineſt.
Quam quae per radios volitant corpuſcula ſolis,
Maiorem naſum vix, puto, Paulus habet.

52. *Sanſoni Crucio.*

ET bonus & dives, Sanſo, ſimul eſſe laboras:
Id fieri nulla ſed ratione poteſt.
Sic utrumque petens perdes utrumque: neceſſe eſt,
Alterutrum tollas alterutrumque petas.

53. *In Vitronem.*

QUod totam Vitro furioſi more per urbem
Diſcurrit noctu, quod loca ſola petit,
Neſcio quid ſecum ſolus quod muſitat, illo
Quod nemo eſt tota ſordidus urbe magis:
Hac ratione parat nomen famamque Poetae,
Et reperit fatuos ſic quibus eſſe probet.

O va-

O valeant calami, pereat genus omne librorum,
Reddere ſi vates mens male ſana poteſt.

54. *In Pontilianum.*

Cum rapidus medio deſaevit in aequore Titan:
Fer, puer, huc cyathos, Pontilianus ait.
Cum pluit, en, inquit, Deus admonet eſſe bibendum,
Qui nunc tam multo proluit imbre ſolum,
Sic vacua a potu non unquam tempora ducit,
Curque bibat, ſemper Pontilianus habet.

55. *De ſeipſo.*

Dicebam, Euterpe, coeptis in verſibus haerens,
Auxilium fratri porrige, diva, tuo.
Fraterno mota eſt in riſum nomine virgo,
Et nitidum ſudo reddidit ore diem.
Tunc ego ſubridens: Mirari deſine, nam mi
Si pater eſt Caeſar, tu ſoror eſſe potes.

56. *In importunos recitatores.*

Heu mihi, quam res inviſa eſt nimis eſſe Poetam.
Quantum odii morbus colligit ille ſuis.
Nil genere hoc hominum eſt uſquam importunius, illos
Et cane, qui ſapiunt, peius & angue cavent.
Nec locus eſt, nec tempus, ab his ſubducere quo te,
Non ſi mille modis aggrediare, queas.
In fora te, in thermas, & balnea in ipſa ſequentur:
Quod ſi in templa gradum ferre parabis, & huc.
Si notos forte aegrotos inviſis, & illuc:
Spectatum ludos forſitan ibis, & huc:
Pergis eo, nullum quo ducere quaeris, & illuc:
Pergis eo, comitem quo tibi poſcis, & huc.
Denique ut exoneres alvum diſcedis, & illuc,
Ut ſomnum capias feſſus abibis, & huc.
Interea inſulſis onerabunt verſibus aures,
Auribus ut te nunc ipſe carere velis.
Verſibus inſulſis queis cantio gratior illa eſt,
Quam geminat putri condita rana lacu.

Ex

Ex genere hoc, miſerum nuper me prenderat unus:
    (O lux infelix quam fuit illa mihi.)
Feſſus ego, inſuavis mihi iam ut vita eſſet, apud m
    Fundebam ſurdo talia vota Iovi:
Summe Deus, te ſi qua mei miſeratio tangit,
    (Nam qua ſim poſitus conditione vides.)
Aut abige hunc tandem, aut mihi da ſurdeſcere, vel iam
    Alterutrum noſtrum, vel neca utrumque ſimul.
Venerat ad primae damnata crepuſcula lucis:
    Vix abiit vates ſole cadente meus.

AD NEAERAM PUELLAM

QUae te cauſſa mihi potuit mutare, Neaera,
    Ut mea iam non ſis quae modo dicta mea es?
Quo nam amor ille abiit, quo te iactare ſolebas,
    Cum tibi magna ſatis gloria amator eram?
Certe etenim et memini ipſe, & te meminiſſe neceſſe eſt,
    Quam ſaepe exciderint talia verba tibi.
Dona iuvent alias. Dum me Muretus amabit,
    Cetera mi ut deſint omnia, dives ero.
Aurum aliae gemmaſque ego nil, niſi carmina, poſcam:
    Plus mihi divitiis omnibus illa placent.
Nec minus ipſe tibi parili coniunctus amore,
    Talia reddebam dicta, ſed ex animo.
Ure Cupido alios. Ignis mihi ſola Neaera eſt.
    Odi alias omnes. Quin etiam obtulerit
Si mihi ſe Venus ipſa, Venus feret ipſa repulſam.
    Solus ergo illius, ſola ut & ipſa mea eſt.
Hei mihi vix menſes abſum a te quattuor: & te
    Alterius factam nuncia fama refert.
Quid ſi Taprobanae petiiſſem aut litora Thyles?
    Tam longe diſtat Tibris ab Eridano?
At cum me flentem flens ipſa amplexa teneres,
    Inque tuo ſtratus limine ſtaret equus,
Com-

Complexuque tuo vix me ſubducere poſſem :
Iam diſcedenti qualia dicta dabas .
Dum vivam, res nulla tuo me avellet amore .
Quod ſi poſt vitae tempora durat amor ,
Tunc quoque te Murete,etiam umbra & pulvis amabo.
Haec mihi tum multis non ſine lacrimulis
Te memini dixiſſe, o nuper cara Neaera .
Et, quamquam odiſti , nunc quoque cara tamen ,
Cara, fatebor enim, quamquam te abſentia mutat ;
Factura eſt levitas nec me aliena levem .
Iupiter, ut certi nihil eſt in amore puellae ,
Saepe uno decies odit amatque die .
Quam melius foret a vanis avertere mentem ,
Et ſolida ac numquam deperitura ſequi .
O ſi me meliorque Venus, meliorque Cupido
Vindicet, iniecta corripiatque manu .
Tunc flebis, cum me ereptum novus ignis habebit :
Et te culpabis, duritiamque tuam .
Aſt ego, ſubducta vinclis ceruice moleſtis ,
Ridebo, inque vicem, perfida, durus ero .
Ut ſervus dominae imperium perpeſſus iniquae ,
Quem praetor iuris iuſſit abire ſui .

AD FULVIAM PUELLAM.

Elegiam hanc Mureti adhuc , ut opinamur, ineditam, praebuit nobis VC. P. Petrus Catarinus Zeno, cui tum a nobis, tum a lectoribus gratias habendas cenſemus ; eamque cum ſuperiori non omittendam putavimus ob mirum nitorem & elegantiam , etſi utraque meros amores ſapiat ac delicias . Memini poemata eiuſmodi , Muretum ſeniorem iam ac ſapientiorem apellare ſolitum fuiſſe iuvenilia .

Cum roſeam inflectens cervicem ad baſia torques ,
Et tibi iam poeti molle natant oculi ;

Prae

Prae deſiderio prope tum mi anima ipſa liqueſcit,
  Vixque poteſt tanti vim tolerare boni.
Poſt ubi iam licet, admotis utrimque labellis,
  Ambroſium ſuavis carpere florem animae;
Udoque errantes colludunt tramite linguae,
  Dulcis & ardores ventilat aura meos:
Tum mihi tum videor divorum accumbere menſis,
  Atque haurire avide nectareos latices.
Fulvia flos aevi, cum quae ſunt proxima ſummis,
  Tam facilis dones, cur modo ſumma negas?
An metuis, Deus efficiar ne forte fruendo,
  Et ſine te ſedes evolem ad athereas?
Pone metum, formoſa: tuos quaecumque tenebit
  Ora oculos, caeli mi vice ſemper erit.

IU-

IULIUS CAESAR
TRAGOEDIA.

Perſonae Dramatis:

C. IULIUS CAESAR. M. BRUTUS.
C. CASSIUS. DECIUS BRUTUS.
CALPURNIA. NUTRIX.
CHORUS CIVIUM ROMANORUM.

ACTUS PRIMUS.

CAESAR.

IAm tota pene terra Romanos timet,
Et qua reſurgens aureis Phoebus comis
Indos propinqua ſubditos tingit face,
Et qua cadentes pronus inflectens equos,
Gratae ſorori cedit alternas vices,
Patruique laſſo ſtagna criſpat lumine.
Quacunque Nereus margines terrae premit,
Reges vel ipſi Caeſaris nomen timent.
Numerent triumphos, cum volent, alii ſuos,
Seque a ſubactis nominent provinciis:
Plus eſt vocari Caeſarem. Quiſquis novos
Aliunde titulos quaerit, is iam detrahit.
Numerare ductu vis meo victas plagas?
Percurrito omnes. Ipſa victrix gentium
Mihi Roma ceſſit. Ille tam magnus gener,
Ut pene nomen duceret iam impar ſibi,
Terra marique fuſus agnovit meas
Praeſtare vires: quemque noluerat parem,
Tulit priorem. Theſſali caede hoſtium
Maduere campi; principum membris canes,

Aveſque paſtae; ductor ipſe exterritus,
Fugare ſuetus, fugit, & notos petens
Senſit manere raram in aerumnis fidem.
Quid ergo reſtat, quidve dignum Caeſare
Subacta tellus exhibere ultra poteſt?
Coelum petendum eſt: terra iam vilet mihi.
Supreme Rector, qui verendo fulmine
Iratus orbis utrumque perterres polum,
Si verus eſſe ſanguis Aſcanii putor,
Generiſque noſtri tu ipſe princeps auctor es:
Regni me in aliquam recipito partem tui,
Avos ut inter ſplendidum ſidus meos
Matris Diones proximam aſpiciam facem,
Iam vel mihi, vel patriae vixi ſatis;
Quid teneor ultra? iam mihi exactum eſt, geri
Sago togaque quicquid eximium poteſt.
Hoſtes perempti, civibus leges datae,
Digeſtus annus, redditus ſacris nitor,
Compoſtus orbis: cogitari nec queunt
Maiora cuiquam, nec minora a me geri.
Vivam otioſus, at id quidem vix vivere eſt,
Nec ſol quietem, nec bonus princeps capit.
Cum vita partes muneris functa eſt ſui,
Mors propera nunquam, ſera nonnunquam venit.
Mihi multa vates dira minitantur quidem,
Suadentque amicis ut meum ſtipem latus:
At enim timere Caeſaris nunquam fuit.
Ignava mens rebuſque non exercita
Vereatur atrae mortis incertum diem:
Generoſus animus, quique ſe nullo videt
Scelere impiatum, ſemper eſt liber metu.

CHORUS.

SOrs rerum domina omnium
Non uſquam ſtabili fixa manet pede,

Sed

Sed vultum aſſidue, innovans,
Incertiſque rotans omnia flexibus,
Alternas variat vices,
Seu mitis faveat, ſive premat nocens,
Vento mobilior volat.
Illam ſi nitida fronte reliquerit
Abdens lampada Delius,
Idem flammivomos cum moderans equos
Mundo reſtituet diem,
Sub vultu poterit cernere nubilo,
Queis praeſens erat, abditam,
Nec ſolum exiguis rebus inaeſtuans
Privatas agitat domos:
Ipſis imperiis, dum libuit, novam
Inducit faciem ferox.
Haec regum arbitrio nos voluit regi;
Donec Tarquinii furor
Commovit proceres, tam rigidum ut ſemel
Cervice excuterent iugum.
Hinc nos cura Patrum, curaque Conſulum
Tutos ſemper ab exteris
Iam per longa ſatis tempora praeſtitit:
Non a ſeditionibus,
Quas pene aſſiduas exitialiter
Fervens imperii ſitis
Nonnullorum animis inſita commovet.
Haec Gracchis animos dedit:
Haec Syllas, Marioſque in patriae luem
Armavit. Sed opus quid eſt
Priſca exempla referre: Haec quoque Caeſarem
Commiſit genero: neque
Impoſtus prius eſt horum odiis modus,
Quam Mars ſanguine civium
Campos Pharſalicos undique tinxerit,

Tunc, Pompei, caput in tuum
Belli terrificus detonuit fragor.
Nunc Caeſar ſolio inſidens
Optatis fruitur; proque libidine
Solus temperat omnia.
Sic iam, nomine ſub novo,
Regni forma redit vetus.
Atque hoc ſcilicet efficit
Non uſquam ſtabili fixa manens pede
Sors rerum domina omnium.

ACTUS SECUNDUS

D. BRUTUS.

Quouſque tandem, Brute, virtutem tuam
Dormire pateris otioſam degener?
Quouſque differt civitatem liberam
Tua videre vindicatam dextera?
Nihilne te virtus tuorum commovet,
Nomenque Bruti? nil gementis patriae,
Preſſae a tyranno opemque poſcentis tuam
Conditio dura? nil libelli ſupplices,
Queis Brutum abeſſe civitatis vindicem
Cives queruntur? Haec parum ſi te movent,
Tua iam, vir ut ſis, te ſatis coniux monet,
Fidem cruore quae tibi obſtrinxit ſuam,
Teſtata ſic ſe avunculi prolem tui.
Si ab exequendis te avocat coeptis timor,
Animuſque pigro torpet ignavus gelu,
Ex foemina perdiſce, quid deceat virum,
An vero ſtirpis auctor, & princeps tuae,
Dominatione civitatem regia
Quod liberarit, poſt honores maximos
Complexus aſtra eſt; Servilius, a quo tua eſt
Deducta mater, Melium in cauſſa pari

Pere-

Peremit: unum exempla te per talia
Pigebit ire, & gloriam adipiſci parem?
Mucrone ſalvo, atque artubus adhuc integris,
Videre Brutus, & pati regem poteſt?
Imo audeamus magnum aliquid & nos quoque;
Mactatus hacce dextra tandem cadat,
Qui quandocunque ceciderit, ſero cadet.
Pro patria confligere, augurium optimum eſt.
Generoſiores frena detrectant equi:
Nec niſi coacti perferunt tauri iugum;
Roma patietur, quod recuſant belluae?
Reges adorent barbarae gentes ſuos,
Non Roma mundi terror, & mundi ſtupor.
Vivente Bruto, Roma reges neſciet.
At vero non rex iſte, ſed dictator eſt.
Dum res ſit una, quid aliud nomen iuvat;
At nomen id refugit, & oblatas ſibi
Reiicit coronas. Fingere hoc, & ludere eſt.
Nam cur Tribunos igitur amovit loco?
At mihi & honores, & ſemel vitam dedit:
Plus patria illis omnibus apud me poteſt.
Qui ſe tyranno in patriam gratum exhibet,
Dum vult inepte gratus eſſe, ingratus eſt.
O rem pudendam, mollis & vix vir ſatis,
Regis Quirites Martis ortos ſanguine,
Totumque nutu pathicus orbem temperat.
Accingere, & vim, Brute, nunc profer tuam.
Accommoda orſis venit implendis dies,
Phoebus renaſcens ſubditos cives iugo,
Servoſque vidit: liberos videat cadens.

CASSIUS BRUTUS.

O Cuius alto nixa virtus pectore
Sperare Romam ſola depreſſam iubet,
Magnanime Brute, Phoebus aurato diem
Adduxit ore, tam diu optatam mihi,

Qua patria noſtra libera evadat manu.
Ita fauſta votis ſors meis roſpondeat,
Ut haec tyranni virulentum ſanguinem
Haurire dextra geſtit & vix ſe tenet:
Utque haec nihil me cogitantem praeter haec
Nox tota vidit: Sic in illum me feram,
Sic involabo, ſic mucronem pectore
Condam ſceleſto: fors & ipſis dentibus
Cervice dira noxium abſcindam caput:
Cruento ut ore prodiens in publicum,
Clamare poſſim: Roma tandem libera eſt.
Ferus ille animus, & publici invaſor boni
Tenues in auras diſſipatus vanuit.
Tunc ſi vel atra morte ſit pariter mihi
Mutanda vita, laetus atque alacer cadam.
Bene moritur, qui patriam moriens iuvat.
Quid tu? quid alta mente tecum muſſitas?
An non eodem prorſus affectu cales?
Effare: nam quamvis legi in vultu poteſt,
Orationis ſum tamen cupidus tuae.
BRU. Quid me plura loqui opus eſt, Caſſi?
Num mea tibi coſtantia nota eſt?
Semel inter nos ſtetit, aut vitam
Pectore forti ſimul abiicere,
Aut patriam tranſdere in antiquam
Libertatem. Semel hoc dictum eſt.
Aut hoc neceſſe eſt perfici: aut Brutum mori.
CASS. O Romuléae gloria gentis,
Quam tibi vere rigido incoctum eſt
Pectus honeſto: quam tua me animi
Oratio ſecurum eſſe iubet.
Unus mihi nunc ſcrupulus reſtat:
Unane opera confodiendum
Cum Caeſare ipſo cenſeas Antonium?
BRU. Iam ſaepe dixi id eſſe conſilium mihi,

Salvis

Salvis perimere civibus Tyrannida.
CASS. Perimatur ergo ab infimis radicibus,
Ne quando poſthac caeſa rurſum pullulet:
BRU. Latet ſub uno tota radix corpore;
CASS. Itan videtur? amplius nil proloquar,
Tibi pareatur: te ſequimur omnes ducem:
Vide modo, ut, cum opus erit, adſis *BRU.* videro.
CASS. Ego interim meque & meos paravero.

CHORUS.

Quicunque forti pectore, patriam
Praeferre vitae non dubitat ſuae,
Ut vel per enſes propter illam
Oppoſitoſque feratur ignes:
Non ſummus illi rerum opifex Deus
Pigro revinxit pectora frigore,
Sed ſpiritus ceſſit ſuperbos,
Indomitamque timore mentem.
Et bullienti plurima ſanguine
Coeleſtis aurae ſemina condidit,
Et dixit: I, plebem prementes
Contere, nil veritus tyrannos.
Hac arte praeſtans Harmodius ſuos
Servavit, non nixus amiculo:
Nunc utriuſque excelſa florent
Nomina non tribuenda ſervis.
Quos ſi ocioſos tuto ſequens timor
Forte avocaſſet rebus ab arduis,
Qui mortuos conſumpſit ignis,
Nomina non minus obruiſſet.
Caret ſeverus crimine Carnabas,
Et laude dignus creditur, haud probro,
Quamvis ferocem caede dextram
Tingere nil veritus paterna.

Odit tyrannos Iupiter, & favet,
Cum quiſquam in illos conſilium parat:
Illoſque natis ſaepe tradit.
Coniugibuſve ſuis necandos.
O quot, quibuſque eſt plena periculis
Sors imperantum, praecipue quibus
Non civium concors voluntas,
Sed regimen peperere vires.
Plebem timeto, qui ſolio inſidens
Plebi timeris, fons odii timor.
Audere iuſſit multa multos:
Saepe gelu calor excitatur.
Rarus tyrannus morte perit ſua:
Illos veneno cauta necat manus,
Hos plebis iratae tumultus
Hos rigidus gladio ſatelles.
Multo ille vitam tutius exigit,
Quicunque parvis privus in aedibus,
Nullum timens, nulli timendus,
Pelle ſub exigua quieſcit.

ACTUS TERTIUS

CALPURNIA. NUTRIX.

ODI, moleſtis tollite omem ſomniis,
Nec ſinite, quaeſo, pondus ullum tam malis
Ineſſe viſis. Horror artus concutit,
Corpuſque totum frigidus ſudor lavat,
Quoties recordor: menſque neſcio quod malum
Praeſagit ipſa. *NUT.* Alumna, quidnam eſſe hoc putem,
Moeſto quod ore, & lachrymis manantibus,
Secreta quaeris, teque nobis ſubtrahis?
Quae cauſſa fletus? quiſque tam ſubitus dolor
Turbare mentem tam cito potuit tuam?

Poteſt-

Poteſtne flendum quippiam contingere
Nuptae viro, qui pene fortunam regit?
CAL. Dilecta nutrix, quid mihi inſtet neſcio:
Sed me miſellam mirus invaſit timor.
NUT. Conceptus unde? *CAL.* Nil tibi, vel ſi velim,
Celare poſſum, viſa noctis proximae
Me terruerunt. Victa nam poſtquam dies
Heſterna ceſſit, noxque nigro tegmine
Involvit omnem coeca telluris globum:
Amplexa blandum Caeſaris collum mei,
Placida quiete vix reſolvi coeperam,
Cum mihi repente viſus; heu nutrix mea,
Retine labentem. *NUT.* Alumna habeto animum bonum.
Sopor timores ſaepe vanos obiicit.
Narrare perge cuncta, velut occeperas.
CAL. Caeſar meus, nutrix mea, heu, Caeſar meus,
Meus ille Caeſar, quo mea innixa eſt ſalus,
Mihi viſus ulnas inter effuſus meas,
Iacere multo ſanguine & tabo fluens,
Multiſque plagis pulchra foſſus pectora.
Tum mihi quietem ſubitus excuſſit timor.
Miſera arctius repente complector virum,
Pectuſque tento, quaeque ſomnus finxerat,
Vix falſa credo: vix habeo manibus fidem.
Heu quid deorum, talibus viſit, mihi
Minatur ira, quidve portendit mali?
NUT. O mitte queſtus, neve nondum urgens malum
Celerare perge. Qui malum timet immanem,
Geminat timendo. Sive nihil inſtat mali,
Fallaxque mentem imago turbavit tuam,
Cur vana veros cauſſa producet metus?
Seu (quod repellant ſancta divum numina.)
Mutata Romae fata quid gravius parant,
Tamen haud timendum eſt. Rite conceptis deos

Mol-

Mollire votis, thuraque aris omnibus
Adolere praeſtat. Non inexorabilis
Mens eſt deorum: ſaepe flectuntur prece.
Quamquam equidem, alumna, inſtare nil exiſtimo:
Sed vana mentes ſaepe ludunt ſomnia.
Quam ſaepe inanis eſt mihi obiectus timor,
Sic ſomnianti: nulla ineſt ſomno fides.
Quis tam vel audax, Caeſarem ut petere audeat?
Vel tam impius, petere ut velit patriae patrem?
Quotquot vel error, vel voluntas pertinax,
Vel invidia Caeſari inimicarat tuo,
Partim verendus perculit Martis furor,
Miranda partim Caeſaris clementia
Servavit, & ſervando, amicos reddidit.
An ullus ingenio eſſe tam immani queat,
Debere vitam ut cui ſuam ſe intelligat,
Illius ipſe tentet inſidiis caput?
Omitte queſtus, abiice ex animo metum.
Venti leves tua diſſipabunt ſomnia.
CAL. Ita dI velint. Utcunque ſit, ſaltem virum
Precabor, ut ſe contineat hodie domi.
Ubi quid timetur, cautio nunquam nocet.

CHORUS.

IAm dies Annae radiit Perennae:
O quot in laetis, Tyberine, ripis,
Senties luſus hodie venuſtos.
Quot puellarum pedibus premeris?
Candidi quot te iuvenes reviſent,
Quot ſenes? qui dehinc titubante greſſu,
Saepe ſiccatis madidi culullis,
Nare de criſpa tremulum vibriſſent,
Et vacillantes agitent choreas.
DI, procul laevum teneatis omen,
Neu mali quicquam ſinite evenire,

Quo

Quo minus vultu populus ſereno
Poſſit antiquos celebrare ritus:
Tuta ſed veſtro aſſidue perennet
Roma favore.
Nil in humanis ſtabile eſt putandum:
Saepe ſecuros inimica luſus
Horrido turbat Nemeſis flagello,
Grataque in luctus, gemituſque amaros
Gaudia vertit.
Abſtine, o denſa ſata nocte virgo,
Virgo, quae voces reprimis ſuperbas,
Et feris ſceptro nimium potenti
Magna locutos.
Romuli te gens colit, & veretur:
Cur premas, qui te venerantur, & qui
Debito addicti tua proſequuntur
Numina cultu?

ACTUS QUARTUS.

CAESAR. CALPURNIA.

D. BRUTUS.

NE deprecare: turpe me fractum metu
Deſiſtere eſſet. *CAL.* tam nihil apud te valent
Uxoris (eheu,) pene iam exanimis preces?
CAES. Quid? ſomniis me credere tuis poſtulas?
CAL. Non, ſed timori ut non nihil tribuas meo.
CAES. At illo ſolis nititur ſomnIs timor.
CAL. Finge eſſe vanum: tribuito aliquid coniugi.
CAES Etiam petenti, quod decus laedat meum?
CAL. Non ſed petenti, quod caput ſervet tuum.
CAES. Deſine timere. *CAL.* Audere deſine tu prius.
Tuaeque ſi adeo ſpernis uxoris metum,
Movere vatum oraculis minacibus,

Peri-

Periculoſam qui tibi hanc lucem admonent.
Si ſpectra, ſi te auſpicia, ſi fibrae monent
Cavere, & hunc meum timorem comprobant;
Quid in paratam pertinax mortem ruis?
CAES. Quando timorem ponere aliter non potes,
Ne nos tibi queraris omnino nihil
Tribuere, mittatur Senatus in hunc diem.
D. BRUT. Magnanime Caeſar, quod tibi verbum excidit?
Tene potuiſſe Barbarorum copias,
Nil mente mota, fortiter contemnere,
Non poſſe nunc temnere mulieris ſomnia?
Ubi pectoris vis illa praecellens tui eſt,
Quam ſenſit olim, quique ſepteno videt
Nilum per arva profluentem gurgite,
Quique glaciali colla ſuppoſitus polo,
Concreta pigro maria ſulcat marmore,
Et quos rapaci Rhodanus unda verberat,
Galli feroces? o ſtatum deterrimum,
Si Caeſar orbem, Caeſarem mulier regit.
Conſcende currus laeta victrix aureos,
Gemmantibuſque pervehitor urbem rotis:
Totius orbis ſola domitorem domas.
Veteres triumphos Roma nunc ſileat ſuos;
Et militaris conticeſcat gloria:
Invictus armis Caeſar hodie vincitur.
Quid, Caeſar, animi patribus credis fore,
Si te iubente convocatos iuſſeris
Abire nunc, redire, cum Calpurniae
Meliora ſeſe obiecerint ſomnia?
Vade potius conſtanter, & nomen cape
Parthis timendum: aut hoc minus ſi te iuvat,
Prodito ſaltem, atque ipſe patres mittito:
Ne negligi ſe, aut ludibrio haberi putent.
CAES. Incertus animi & huc & illuc diſtrahor,

Qualis

Qualis per aequor concitus bacchantibus
Deprenſa ventis fertur incerto ratis
Agitata curſu: pellit illinc Africus
Creber procellis, Eurus, hinc, illinc Notus:
Sic me hinc tuae, Calpurnia, inflectunt preces,
Hinc dicta Bruti. Sed tamen quando ſemel
Vel cadere praeſtat, quam metu longo premi:
Non ſi trecentis vocibus vatum avocer,
Non ſi ipſe voce propria praeſens Deus
Moneat pericli, atque hic manendum ſuadeat,
Me continebo. Deſine, uxor, conqueri,
Eamus: omnis iacta nobis alea eſt.
CAL. Abiit, mea nil dicta moratus,
DI, qui Romae geritis curam,
Quo vos fas & cumque vocari
Numine ſi vos manibus puris,
Menteque caſta ſemper colui,
Servate meo in Caeſare Romam.

CHORUS.

CReditur vulgus muliebre nunquam
Conſili micam dare profuturi,
Sed rapi affectu, penituſque ſana
Mente carere:
Sed tamen ſi quis bonus aeſtimator
Rem putet recta ratione totam,
Dicet in multis micuiſſe magnam
Conſilii vim.
Ilion nunquam cecidiſſet olim,
Imo adhuc arces Priami manerent,
Si Deo plenae Paris audiiſſet
Dicta ſororis.
Illa, cum laeta tumidus rapina
Raptor ad ſedes patrias rediret,

Dici-

Dicitur totam, reſoluta crines,
    Iſſe per urbem,
Clamitans: turpem procul ire moecham
Cogite, o Teucri, gerit illa ſecum
Moenibus veſtris, Phrygiaeque fata
    Ultima pubi.
Caede iam campos video madentes:
Iam ferox gnatus Thetidos marinae
Hinc & hinc ſtrages geminat, tremenda
    Cuſpide pugnax.
Iamque mutato Simois colore,
Inficit ripas, galeaſque ſecum
Volvit, & fortis madidas iuventae
    Sanguine cetras.
Ah dolor, ſanctas etiamne ad aras
Exuis vitam, genitor, ſenilem?
Nec vel Hercaeus cohibet furentem
    Iupiter iram?
Haec & his multo ceciniſſe plura
Dicitur quondam furibunda vates,
Sed dolor Phoebi vetuit ſuperbos
    Credere Troas.
Pertinax quiſquis ſibi credit uni,
Caeteros ſpernens melius monentes,
Ille, ſi coeptis pereat ſub ipſis,
    Iure peribit.

ACTUS QUINTUS

BRUTUS & CASSIUS.

SPirate cives, Caeſar interfectus eſt;
Ille, ille Caeſar, patriae terror ſuae,
Hoſtis ſenatus, innocentum carnifex,
Legum ruina, publici iuris lues:
Cuius rapinas nuper, & libidines

Agno-

Agnovit orbis totus & perpeſſus eſt,
In curia, quam oppreſſerat, oppreſſus iacet.
CASS. En, Roma, gladium adhuc tepentem ſanguine,
En dignitatis vindicem dextram tuae.
Impurus ille: qui furore nefario,
Rabieque coeca, te & tuos vexaverat,
Hac, hac manu, atque hoc, hocce gladio, quam vides,
Conſauciatus, & omnibus membris lacer,
Undam cruoris, & animam evomuit ſimul.
BRU. Ite cives convolate in curiam,
Mentem novo ſaturate iam ſpectaculo.
Immanis ille latro, qui regnum ſua
Iam ſpe vorarat, patriae oppreſſae incubans,
Anima probris plena omnibus ſpoliatus eſt.
Ite, & cadaver illud obſcoenum feris
Date laniandum, quo feram abſumant ferae.
CASS Erymanthium perculerit Alcides aprum,
Hydramque flammis pertinacem extinxerit,
Lapſumque coelo, iterumque coelo redditum
Confecerit leonem: in uno corpore
Sexcenta nobis monſtra debellata ſunt.
Si ſtrenuis iuſtus datur factis honos,
Tua, Brute, faſtos ampliabit gloria.
BRU. Quicunque mente patriam ſaeva premit,
Suoſque cives ſubdit ut ſervos ſibi,
Dum blandientis iam tenet ſummum rotae,
Ipſoſque pene temnit aequalis deos:
Simul atque verſus ceſſat aſtrorum favor
Et conſtitutas tempus adduxit vices,
Cadit, ſuoque caeteros caſu monet,
Virtute dempta nequid aeternum putent.
CASS. Sic, ſic tyranni debitas poenas luant,
Nunquamque ſicca finiant vitam nece.
Eamus hinc, & editam Capitoli
Scandamus arcem, Roma tandem libera eſt.

CAL-

CALPURNIA CHORUS.

EHeu, quis aures nuncius tetigit meas,
Cecidiſſe dira Caeſarem Bruti manu.
O ſomniorum iam nimis veram fidem,
Sic miſera quondam Troici coniux ſenis,
Quam ſomniarat, tulit & experta eſt facem,
O; quae dolori verba ſufficiant meo?
Dehiſce terra, meque miſerandam abripe.
Aut vos, nefandi parricidae, huc, huc cito
Venite greſſu, quoque ferro coniugem
Meum necaſtis, me, me eodem tollite.
Secunda veſtras hoſtis expecto manus.
Cupide madentem coniugali ſanguine
Iugulo mucronem, aut pectore excipiam meo.
Nondum litaſti Brute, perficito ſacrum.
Nondum peremptus Caeſar eſt; pars illius
Manca ſuperſtes. Non meus vitam tibi
Vir denegarat: ne mihi mortem nega.
Moriar ſemel, quo deſinam toties mori.
At tu, doloris turba noſtri particeps,
Dum languidus paulatim animus abſumitur,
Et membra linquens tabida petit Caeſarem,
Adiunge moeſtam fletibus vocem meis.
CHO. Aetheris alti lugeat orbis.
Tuque o radiis incincte caput,
Volucris ſplendens arbiter anni,
Propera pulchros abdere vultus.
Tu quoque ſalſae dominator aquae,
Valido terram concute ſceptro.
Omnia moerorem patefaciant,
Ille ſubactae gloria terrae.
Nunc repetiti gloria coeli,
Uno Caeſar Iove patre minor

Liquit

Liquit terras.
O impuri, o illaudati.
Quorum ſacrilega manus potuit
Tantum mundi extinguere lumen,
Quae vobis ſint ſupplicia ſatis?
Quis taurus, quae rota, quis gladius
Poſſit veſtrum aequare furorem?
Vobis tellus, vobis aether,
Nobis deneget unda quietem.
Vos ultrices agitent furiae.
Una cruentis agitet flagris;
Altera tetro coquat igne genas;
Triſtes alia obiiciat colubros,
Qui ſe veſtro ſanguine paſcant:
Stygia donec ſede receptos
Laniet roſtro vultur adunco,
Vexet iniquum Aeolidae pondus,
Et ſupplicii quicquid acerbi
Sceleratos exagitat manes.
At tu, noſtri cauſſa doloris,
Multum flete, & multum flende,
Hos, bone, planctus accipe, Caeſar.

CAESAR.

QUid caelitum me fletis adiunctum choro?
Non luridi me ſtagna Cocyti tenent,
Sed templa coeli; non malignae me furor
Tetigit cohortis: ipſa iam genitrix manu
Me collocarat inter aſtrorum globos.
Simulacra tantum nuda dilaniata ſunt:
Nec ipſe cecidi: umbra cecidit tantum mea.
Deſinite flere, lacrymae miſeros decent.
Qui me furenti (vera praemoneo, indiges,)
Sunt animo adorti, non inultum illud ferent.

Haeres meae virtutis, ut ſceptri mei,
Nepos ſororis arbitratu pro ſuo
Poenas repoſcet. Ponite modum luctibus:
Ego ad alta coeli tecta ſtellantis feror.

CALPURNIA.

UNde, quaeſo, vox ad aures iſta pervenit meas?
En, ſonum, marite, dulcem vocis agnoſco tuae.
Non iniqua te peremit parricidarum manus?
Vivis, & receptus aſtris, aſſides Iovi.
Quo ſoles, bonus, favore perge complecti tuos.

CHORUS.

SUnt manes aliquid: cumque diem ultimum
Adduxit fera mors, eſt aliquid tamen,
Quod vitat Libitinam,
Extructoſque fugit rogos.
Id ſi, dum vegetat membra, datum ſibi
Vitae curriculum puriter egerit,
Nec ſe turpificarit
Impuris ſcelerum notis,
Mox, ut corporeo carcere liberum eſt,
Rurſus ſidereas convolat in domos,
Qua Saturnia lacte
Signavit proprio viam.
Atque illic, numero coelicolum additum,
Coeleſti ambroſiae gramine veſcitur,
Et carcheſia ſacri
Plena nectaris ebibit.
Haec olim haud dubie praemia vos manent,
Quicunque innocuo pectore ſimplices.
Virtutemque tenetis,
Et canam colitis fidem.

MO-

58. # MONODIA.

In obitum Clariſſimi ac Praeſtantiſſimi Viri

CHRISTOPHORI TUANI,

Primi ſummae Pariſienſis Curiae Praeſidis:

& in eam

ANTONII CONSTANTINI

NOTAE.

OCTAVIO BANDINO, S. D. N.

utriuſque Signaturae Referendario V. C.

ANTONIUS CONSTANTINUS

S. D.

Vixi fere biennium cum M. Antonio Mureto, & ſi quid in litteris promovi, illius domeſticae conſuetudini totum acceptum fero. Scio autem, & illi te amicum eſſe, & illum ſtudioſiſſimum tui. Ego autem utrumque veſtrum, ut debeo, obſervo. Cum igitur ille nuper poema quoddam de Chriſtophori Tuani *Praeſidis Pariſienſis mortui laudibus ſcripſiſſet, idque ego & ab aliis mirifice probari audirem, & a te laudari viderem; intelligerem tamen, nonnulla eſſe in eo, quae admonitionem aliquam deſiderarent: breves quaſdam notas ſcripſi, quibus & loca quaedam veterum Poetarum, quae ille mihi imitatus videbatur, & alia nonnulla, quae ab ipſo inter loquendum acceperam, indicavi. Quamvis autem videbam munuſculum hoc longe eſſe infra tuam dignitatem: tamen cum aliquid omnino tibi hoc tempore offerre ſtatuiſſem, putavi, non tam quid tu mereteris, quam quid ego praeſtare poſſem, cogitandam. Accipies igitur hominis Galli lucubratiunculam, valde, ut mihi videtur, per-*

tinentem ad gloriam Gallici nominis, cuius te ſtudioſiſſimum eſſe ſcio: & voluntatem tui modis omnibus demerendi meam boni conſules, Vale, ex paternis aedibus tuis. 6. Kalend. Ianuar. M. D. LXXXIII.

FOrmidata diu, qua Sol oriturque caditque
Gallia, praeſtantum genitrix foecunda virorum,
Felix, o nimium felix, dum te una voluntas
Una fides iunctam concordi pace ligabat;
Nunc toties, miſeranda, tuo madefacta cruore,
Inque tuos ſaevire coacta immaniter artus,
Adde novos ſolitis queſtus, aſſuetaque pridem
Infelix lamenta novis ululatibus auge.

FORMIDATA DIU. Nulla gens antiquis temporibus bellicoſior aut formidabilior, quam gens Gallorum fuit. Ariſtoteles lib. 3. Ethic. ait: Gallos neque terrae motus, neque fluctus metuere. *De eiſdem Aelian. lib. 12. de varia hiſtoria narrat*, eos periculorum amantiſſimos eſſe; carminum, quae lingua ſua ſcribunt, unam eis materiam eſſe laudes eorum, qui fortiter ceciderunt in bello; pugnare coronatos, trophaea excitare; quae & virtutis ſuae monumenta ſint, & poſteris ad eam imitandam incitamenta; fugam ita turpem deducere, ut ne ex domibus quidem corruentibus, aut incendio correptis fugere fas putent; in ipſum etiam mare armatos inſilire, tanquam illud quoque aut perterrefacere, aut vulnerare poſſint. *Quae iampridem Muretus ipſe collegit ad illum Horatii verſum*:

Te non paventis vulnera Galliae.

Illi Brenno duce opulentiſſimum Delphicum templum depraedati ſunt: quae tamen res eis infeliciter ceſſit. Utinamque vel hinc diſcerent, quanto maiori ſcelere ac periculo vivi Dei templa violentur. Illi iam ante Romam ceperant, tantumque fecerant terrorem ſui, ut eis bellum moventibus, vacationes non valerent. Ita poſtea formidabiles fuerunt etiam remotiſ-

ſimis

ſimis Graecorum gentibus, ut proverbio diceretur : τὸν φρᾶγκον φίλον ἔχε, γείτονα δὲ μὴ ἔχε.

QVA SOL ORITURQVE CADITQVE. In Oriente Cyprum, Iudaeam, alia; in Occidente Hiſpaniam ipſam devicerunt.

GENITRIZ. Sic Homerus Idam matrem leonum: ſic Pindarus urbem Syracuſanam matrem virorum fortium vocat.

FELIX O NIMIVM FELIX. Hemiſtichium Virgilii.

INQVE TVOS SAEVIRE. Alludere videtur ad fabulam Eriſichthonis; de quo Ovid. in octavo:

Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu
Coepit, & infelix minuendo corpus alebat.

VLVLATIBVS. Tanquam de muliere dixit Virgilius; & foemineo ululatu. *Homerus:*

Αἱ δ' ὀλολυγῇ πᾶσαι Ἀθήνῃ χεῖρας ἀνέσχον.

Ille tui nuper iuris tutela TUANUS.
Quo ſe praecipue iactabant vindice leges,
Cuius ab omnigena purum mercede tribunal
Certus erat portuſque bono, ſcopuluſque nocenti,
Deſeruit terras. Illa, heu, ſacra ora quierunt,
Quae merito iuris poterant oracla vocari.
Heu quonam illa abiit blando condita decore
Maieſtas vultus? quo vis, quo copia fandi?
Quo fugit illa viri, qua nunc vel maxime egebas,
Spectata in dubiis toties prudentia rebus?
Omnia praeteriere, his omnibus orba relicta es.

TUTELA TUANUS. Quaſi nomen in ipſum Tuani a tuendo ductum ſit.

AB ONMIGENA PURUM MERCEDE TRIBUNAL. ἀδωροδόκητον *bene PURUM. Nam & iudices dona reſpuentes, dicuntur* καθαρεύειν καὶ ἁγνεύειν τὰς χεῖρας. *Et notus eſt iocus in eum, qui provinciam compilarat :* Lava manus & coena. *Bene etiam MERCEDE : nam & venales iudices dicuntur* μισθωτοί.

PORTVSQVE BONO. Sic Cicero ſenatum, nationum

portum eſſe dicit. Portus igitur, quia nullum periculum, Tuano iudicium exercente, innocenti metuendum erat.

SCOPULUSQUE NOCENTI. *Sumptum ex hiſtoria. L. Caſſi tribunal, propter iudicandi ſeveritatem, ſcopulum reorum vocabant.*

ORACLA. *Elegantia quaeſita ex vocum ſimilitudine; Ora, oracla.*

IN DUBIIS. *Ut enim navis, ita Reipublicae gubernator in tempeſtate dubia optime cognoſcitur.*

TOTIES. *Quod ſemel, bis, terve factum eſt, caſu factum videri poteſt. At quod ſaepe, ex habitu eſt.*

Aſpice pullata moerentem in veſte ſenatum;
Aſpice primores populi: queis vulnere tanto
Confuſis, ferrique videntibus omnia peſſum,
Et ſua cuique movent, & publica damna dolorem,
Quid popolum, proceresve loqui? Fluit humor ab illis
Ecce oculis, quos flere nefas; ſi vota valerent
Publica: flet iuvenis, ſceptro qui duplice clarus
Coelum ipſum aſpectu ſolet exhilarare ſereno.
Nunc alio populi transfigit pectora telo.
Quin etiam ipſa comas capitis laniata verendi,
Turbidaque & ſciſſa incedens miſerabile palla,
Sancta ſui exequias lacrymis Themis urget alumni.
Scilicet humanis nulla eſt fiducia rebus.
Quid falſis fluxiſque bonis confidimus? uni
Certa fides coelo, fragili ſtant caetera ſorte.

FLUIT HUMOR. *Regem ipſum flere ait.*

SI VOTA VALENT PUBLICA. *Univerſus enim populus vota facit, ne regi quidquam flebile contingat.*

SCEPTRO DUPLICE. *Galliae & Poloniae.*

NUNC ALIO. *Fit enim quaedam acceſſio doloris publici ex regis dolore,*

QUIN ETIAM IPSA COMAS. *Themis iuſtitiae Dea putabatur. Eam igitur miniſtri ſui morte moeſtam eſſe fingit.*

LA-

LACRYMIS THEMIS URGET. *propertianum*:

Deſine Paule meum lacrymis urgere ſepulchrum.

Eſt autem uſitatum Poetis, ut quibus quiſque virtutibus praecipue floruit, eas in funere ipſius lamentari fingant: quomodo hic Themin, quae eadem & Iuſtitia eſt, in funere Tuani, qui iuri dicendo ſanctiſſime praefuerat, lamentantem facit.

SCILICET HUMANIS. *Gnome*.

Omnia quae votis homines communibus optant,
Contigerant uni: generis numeroſa vetuſti
Stemmata, avum virtus, & opes ſine crimine partae,
Forma decens, miſtumque notans gravitate pudorem:
Non vaſti membrorum artus ſed firma potenſque
Compages vigilem crebro traducere noctem, &
Aſſiduos ſtudiorum innoxia ferre labores.

OMNIA QVAE VOTIS. *Propoſitio generalis, quam poſtea per partes exſequitur*.

GENERIS NUMEROSA VETUSTI STEMMATA. *Nobilitas*.

AVUM VIRTUS ET OPES. *Expreſſit Ariſtotelicam nobilitatis definitionem, qui in Politicis ait eam eſſe ἀρχαῖον πλοῦτον καὶ ἀρετήν*.

VIRTVS ET OPES. *Utrumque enim ſine altero imbecillum eſt*.

Οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν,
Οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο,

OPES SINE CRIMINE PARTAE. *Commendatur hoc in vetere ſcolio*, πλουτεῖν ἀδόλως.

FORMA DECENS. *Euripides*:

Ἴδοιμι δ' αὐτοὺς ἔκγον' ἄρρεν' ἀρρένων.
Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

INNOXIA. παθητικῶς. *Ut apud Virgilium*: Omnes innocuae.

Vix ſignabat adhuc terrae ſola ſat pede firmo;
Vix poterat certas audire & reddere voces:

Cum ſtudiis illum ingenuis pia cura parentum
Tradidit. Ille animum diſcendi incenſus amore,
Impiger & curam doctorum, & praevenit annos,
Ingenio monitus non expectante regentum.
Qualis Theſſalici pecoris generoſa propago,
Materno nuper depulſus ab uber pullus,
Nunc campis inſultat ovans, nunc flumina tranat,
Iamque ad Olympiacos audax proludit honores.

VIX SIGNABAT. Horatianum:

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum. -

QVALIS THESSALICI. Elegans comparatio. Theſſalia autem optimos equos ferre putabatur.

DEPULSUS AB UBERE. Virgilius:

Depulſos a lacte domi quae clauderet agnos.

IAMQVE AD OLYMPIACOS. Virgilius:

- - - & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Ergo illum Aonides bifidi per culmina montis
Apprenſum duxere manu, tum vertice ab uno
Monſtrarunt puero veteris decora ardua Romae:
Et tenera Alpinis lavere liquoribus ora
Non ſemel: atque avidas luſtrarunt ſaepius aures
Mantoaque tuba & Veneſuni cruſmate plectri,
Et quos praeterea tulit Itala terra Poetas.
Inde aliud ſacri montis petiere cacumen
Tramite non trito, liberrimus unde patebat
In Graios proſpectus agros, quos larga perenni
Copia veſtitos & fruge & flore coronat.

BIFIDI MONTIS. Parnaſſi. Eleganter autem duos illos vertices, duas linguas facit. Latinam & Graecam.

LUSTRARUNT. κατήχησαν.

CRUSMATE. Ita vocant Graeci lyrae ſonum.

TRAMITE NON TRITO. Propter eorum, qui Graecarum litterarum ſtudio dediti ſunt, paucitatem.

ET FRUGE ET FLORE. Significat ſummam Graecae linguae utilitatem pari amoenitate coniunctam.

CORONAT. Implet, exornat. Homerus:

Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι ςέφει.

Idem:

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεςέψαντο ποτοῖο.

Hic plena Hyblaeo populans alvearia melle
Condidicit miram magni Demoſthenis artem;
Miratus tonitrus, & non imitabile fulmen:
Miratus patrias cingentem moenibus arces,
Et cum Pellaeo ducentem bella tyranno.

HIC PLENA HYBLAEO. Evolvens ſcripta Graecorum ἀλληγορία.

MIRATUS TONITRUS. Reſpicere videtur ad illud Ariſtophanis de Pericle. ἤςραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. *Cicero*: Pericles ab Ariſtophane Poeta fulgurare: tonare, permiſcere Graeciam dictus eſt. *Idem*: Demoſthenis non tam vibrarent fulmina illa niſi numeris contra ferrentur.

MIRATUS PATRIAS. Cum urbis Athenienſis moenia multis ex partibus labarent, delecti ſunt homines decem, qui ea ſumptibus publicis reficienda curarent, e ſingulis tribubus ſinguli. In hoc numero fuit Demoſthenes, qui ſumptibus ſuis partem ſibi attributam refecit, ob idque publice corona aurea donatus eſt. Vide illius Orationem nobiliſſimam περὶ ςεφάνου.

ET CVM PELLAEO. Philippum dicit Macedonium regem. Pella enim urbis Macedoniae. Sic & Iuvenalis Alexandrum Pellaeum iuvenem vocat.

Unus Pellaeo iuveni non ſufficit orbis.

DUCENTEM BELLA. Aſſidue enim orationibus ſuis Athenienſium animos acuebat adverſus Philippum, neque cum eo pacem fieri patiebatur. Itaque eum vel maxime Philippus ipſe metuebat: Plutarchus.

TYRANNO. Nomen hoc Homeri temporibus incognitum,

tum, poſtea cepit iniuſte imperantibus tribui. At Poetae etiam reges interdum Tyrannos vocant. Virgilius.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe Tyranni.
Te quoque, Moeonide, grandi audiit ore canentem,
Pelidaeque iram, reditumque fugacis Ulixi.
Veraque ſub ſpecie miſcentem plurima falſi.
Addidit his quoſcunque alios vetus extulit Hellas,
Qui ſimul & iocunda docent, & idonea vitae.

TE QVOQVE. Homerum dicit.

PELIDAEQVE IBAM. Argumentum utriuſque Poematis Homerici unico verſu complexus eſt.

SAGACIS. πολυτρόπε, πολυμήτιος.

ULIXI. Genitivus antiquus. Ulixes autem latine ſcribi debet: non, ut vulgo, Ulyſſes, etſi Graece Ὀδυσσεύς.

VERAQVE SUB SPECIE. Hac de re extat libellus Heraclidae Pontici, & multa ſunt apud Proclum in libros Platonis de Republica.

HELLAS. Graecia.

QVI SIMUL ET IUCUNDA. Horatianum:

Aut ſimul & iucunda & idonea dicere vitae.
Mox maiora agitans. Academi inviſere ſilvas
Inſtituit, celſique ſimul ſpatia alta Lycei:
Non ut quae tenebris mundi ſator abdidit altis,
Naturaeque vias & tenuia ſemina rerum,
Fruſtra ea conquirens, ſtudio indulgeret inani:
Verum ut quae ſcriptis vitae praecepta regendae
Mandaſſent illi, quorum ſapientia clara eſt,
Fontibus haec nitida & ſincera hauriret ab ipſis.

MOX MAIORA AGITANS. Exercitatus in ſtudiis Poeticis & eloquentiae, adiecit animum ad Philoſophiam.

ACADEMI. Herois nomen eſt, ex cuius ſepulchro Academia nomen accepit. Platonicam autem Philoſophiam ſignificat.

SILVAS. Horatius: Atque inter ſilvas Academi quaerere verum.

SPATIA ALTA LYCEI. Ariſtotelem Philoſophum dicit, recte autem ſpatia. *Ambulans enim docebat.* Unde *Peripatetici*, *Recte* alta, *erat enim ſuperior ambulatio.*

NON UT QVAE TENEBRIS. Non ut Phyſicam diſceret: ſed ut Politicen.

TENEBRIS. Ita Cicero, res naturae obſcuritate involutas: & ideo Democritus veritatem in altiſſimo puteo demerſam latitare dicebat.

FRUSTRA EA CONQVIRENS. Hoc de Socratis ſententia dictum eſt, operam qui ludere dicebat, eos qui unde fulgura, tonitrua, imbres fierent, exquirebant. Auctor Xe*nophon in Commentariis. Omnem autem veram Philoſophiam, aut certe eius ſummam uno Hemerico verſu dicebat contineri:*

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

STUDIO INDULGERET INANI. Non damnat univerſum Philoſophiae naturalis ſtudium: ſed ea parte inane illud vocat in qua quaerunt Phyſici acumine ſuo ad ea penetrare, quae naturali lumine cognoſci non queunt, de quibus, dum inaniter diſputant, in plurimos & graviſſimos errores incidunt. Cuiuſmodi ſunt: Materiam primam creatam non eſſe, Mundum fuiſſe ex omni aeternitate, Deum non cognoſcere ſingularia, Animos humanos aut immortales non eſſe, aut ita eſſe immortales, ut tamen nihil cuiuſquam proprium maneat; & multa eiuſmodi impia & nefaria dogmata, propter quae Tertullianus adverſus Hermogenem, Philoſophos haereticorum Patriarchas vocat. Et de talibus videtur intellexiſſe S.Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes his verbis: Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum; ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.

Prima iuventa genas iam flore umbrabat opaco.
Cum ſignata legens patriis veſtigia plantis,
Sic praecultum animum gravioribus applicat orſis,

Et

Et Romanarum ſinuoſa volumina legum;
Siſſum opus, aggreditur vigili pervolvere cura.
Quod per iter cum alii longis ambagibus errent,
Et labyrintheis anfractibus impediantur:
Hic quaſi per planum directo tramite currens,
Antevolat comites: nec tantum aequalia tranſit
Agmina, ſed canos linquit poſt terga magiſtros.
Talem Graeca obiiſſe olim certamina Ladan
Fama refert, primo qui vix e carcere miſſus
Fallebat ſpectantum oculos, metamque tenebat.

IAM FLORE UMBRABAT. Ex Mureto ipſo ſaepe audivi, genus hoc loquendi ab Archilocho ſumptum eſſe.

SIC PRAECULTUM ANIMUM. Cicero in Hortenſio: Uti qui purpuram volunt, ſufficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam: ſic litteris talibuſque doctrinis ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, ac praeparari decet.

LADAN. Curſor hic admirabilis fuit, de quo extat hoc epigramma:

Λάδας τὸ ςάδιον εἴθ' ἥλατο, εἴτε διέπτη,
Δαιμόνιον τὸ τάχος, ὐδὲ φράσαι δυνατόν.

Solinus cap. 6. Polyhiſtoris. Ladas ita ſupra cavum pulverem curſitavit, ut arenis pandentibus nulla indicia relinqueret veſtigiorum. *Mentio illius, & apud Catullum, & apud Ciceronem. Vide & Pauſaniam in Laconicis.*

CARCERE. ὕσπληγγος.

FALLEBAT SPECTANTUM OCULOS. Magnum eſt oculos fallere. Nullus enim ſenſus acrior, ſed multo maius fallere oculos ſpectantium, qui hoc unum agunt, ut omnia plane pervideant.

Poſtquam aetas matura viro, iamque ardua tempus
Munera tractare, & doctrinam oſtendere factis:
Ad defendendas primum hunc facundia cauſſas
Deduxit, clypeumque reis inſontibus unum,
Mortiferae iuſſit fera bella repellere linguae.

POST-

POSTQVAM AETAS. Confecto ſtudiorum curriculo, ad res agendas tranſiit.

ET DOCTRINAM OSTENDERE FACTIS. Vere enim hoc Ariſtoteles dicit, finem Politicis eſſe non cognitionem, ſed actionem.

AD DEFENDENDAS: Praeclare. Oratorum enim virtus in defendendo, non in accuſando poſita eſt. Ideoque Cicero labores ſuos forenſes, defenſionum labores vocat, principio Tuſculanarum: & in Verrem dicturus, ſummo ſtudio conatur efficere, ut non tam Verrem accuſare, quam Siculos defendere videatur.

CLYPEUMQVE. Illuſtribus oratoribus poſt mortem clypeus ſacrari, & in curia appendi ſolebat, Auctor Tacitus.

Semper ſponte ſua petit ulteriora; ſibique
Ipſa viam meritis facit ad ſublimia virtus.
Ante alias, quaſcunque opulenta amplectitur urbes
Gallia, tam longe caput una Lutetia tollit,
Ardua quam ſuperant humiles pineta geniſtas,
Nec vero indecores aliae: ſed luna minores
Obruit ut ſtellas, fraterna ut lumina lunam:
Sic decus omne aliarum haec collata unica delet.

SEMPER SPONTE SUA. Expoſiturus quemadmodum Tuanus ad ſublimiores honoris gradus pervenerit, praemittit ſententiam: Virtutem ambitione non egere, ipſamque ſuapte vi ſemper altius provehi. Plautus:

Virtute ambire oportet non favitoribus,
Sat habet favitorum ſemper qui recte facit.

ANTE ALIAS. Prima urbs Galliae Lutetia, primus in Gallia ſenatus Pariſienſis, primus in ſenatu Pariſienſi Tuanus.

CAPUT. Imitatio Virgilii.

Verum haec ante alias tantum caput extulit urbes;
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

NEC VERO INDECORES ALIAE. Non magnum eſt excellere: ſed inter pulchra excellere, id demum magnum eſt.

SED LUNA MINORES. Horatius:

--- micat intet omnes
Iulium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Hic ſibi iampridem ſedes Aſtrea locavit:
Marmoreum hic illi templum, laqueataque tecta
Sumptibus immenſis reges ſtatuere vetuſti:
Quo bis centeni, lectiſſima pectora, patres
Conveniunt, quot eunt ſoles, mactantque verendis
Rite deam ſacris, & certo faſque nefaſque
Fine regunt, ipſaque afflante oracula reddunt.
Conſilioque ſuo regni moderantur habenas.

HIC SIBI IAM PRIDEM. Aſtream veteres vocabant iuſtitiam, aut iuſtitiae deam, quam Iovis & Themidis filiam eſſe dixerunt. Ovidius.

Ultima coeleſtum terras Aſtrea reliquit.

Hanc igitur dicit quaſi domicilium quoddam elegiſſe Lutetiae, propter ſummam Pariſienſis Senatus iuſtitiam & dignitatem. Omnino autem Aſtreae nomine per allegoriam intelligit iuſtitiam divinam: quae eadem eſt cum ipſo Deo.

MARMOREUM HIC ILLI. Palatium intelligit, in quo Lutetiae ius redditur.

QVO BISCENTENI. Non ſunt plane ducenti: neque tamen longe ab eo numero abſunt. Sed hic numerum rotundare voluit, more poëtarum.

LECTISSIMA PECTORA. Neque enim aſſumuntur in eum ordinem, niſi qui & eruditione, & iuſtitiae opinione praeſtant, ita ut Conſeſſus ille flos ſit totius Galliae.

QVOT EUNT SOLES, Quotidie. Sic Horatius:

Quotquot eunt dies.

MACTANTQVE. Non tamen mactare hoſtias *dicimus, ut Virgilius:*

Caelicolum regi mactabam in littore taurum,

Sed & mactare Deum hoſtiis. *Plautus Amphitruone:*

Quia enim te macto.

Ci-

Cicero in Vatinium: Cum puerorum extis deos manes mactare ſoleas. *Sic igitur & hoc loco*, mactare deam ſacris

VERENDIS. Ita loquutus eſt, ut veteres de myſteriis & origiis loquebantur.

RITE. Verbum ſacrorum.

DEAM. Deum ipſe intelligit, ſed foeminino genere utitur propter nomen Aſtreae.

SACRIS. Sacrificare Deo videntur, qui ius ſuum cuique reddunt.

FINE REGUNT. Verbum iuris, inde enim actio finium regundorum. Ovidius.

Cum ſua quiſque regat, diverſo flumina tractu

Tibullus:

Qui regeret certis finibus arma, lapis.

ORACULA. Ita vocat decreta ipſius Senatus.

Hos inter primo ipſa loco Dea magna Tuanum
Collocat: & Noſtri princeps, ait, ordinis eſto.
Ille Deae imperium, ſolio ſublimis eburno,
Exſequitur, poenaſque viris & praemia ponit.
Nec mora: diffugiunt fraudes, fugit improba longe
Gratia, quaeque avidas pervertunt munera mentes,
Nil odium, nil ira poteſt; diſcrimine nullo,
Nobilis an plebeius, inops an divite cenſu,
Solus, an hinc illinc magnis ſtipatus amicis,
Conſequitur ius quiſque ſuum: trutina omnibus aequa eſt.

PRIMO IPSA LOCO. A Iuſtitia ipſa Tuanum principem Senatus conſtitutum eſſe dicit, ut oſtendat, neque ambitu, neque pecunia in eum locum perveniſſe.

POENASQVE VIRIS ET PRAEMIA PONIT. Democritus iis duabus rebus omnem Rempublicam contineri putabat, poena & praemio.

DIFFUGIUNT FRAUDES. Ita quaſi de animatis loquitur: quam Ariſtoteles unam de praecipuis elocutionis virtutibus eſſe dicit.

Vi-

Viginti totos ita iuri praefuit annos,
Ut nulla interea macula violaverit oſtrum,
Quod ſemel induerat: non tantum criminis expers,
Sed neque ſuſpectus cuiquam, tactuſve querela.

UT NULLA INTEREA MACULA. Purpura induuntur praeſides ſenatus Pariſienſis. Allegorice autem dicit, eum ſemper integre & incorrupte iudicaſſe.

NON TANTUM CRIMINIS EXPERS. Reſpicit ad dictum Caeſaris, qui dicebat: domum ſuam non tantum crimine, ſed etiam ſuſpicione criminis carere oportere.

Non talem patiens ſortita eſt Sparta Lycurgum:
Quanquam illum, ambiguus divumne hominemne vocaret,
Mox potius divos inter numeravit Apollo:
Neu noſtro ante ſuum ferat Attica terra Solonem,
Neve ſuum Minoa, tui quae Iupiter una eſt
Conſcia vagitus, & conſcia Creta ſepulcri.

LYCURGUM. Cum Lycurgus vir inter Spartiatas nobilis Delphos ad oraculum veniſſet, ingredienti ei redditum eſt reſponſum ab Apolline, quo Apollo ipſe dubitare ſe fatebatur, Deum illum an hominem diceret, ſed ſtatim addidit, ſe eum diis potius annumerandum praedicare. Hiſtoria extat apud Herodotum lib. 1.

SUUM. Quaſi Tuanus Gallus Solon quidam fuerit.

SOLONEM. Hic, ut notum eſt, leges Athenienſibus dedit.

NEVE SUUM MINOA. Hic Cretenſibus leges tulit, ut eſt apud Platonem lib. 1 de legibus. Homerus eum novem annos Iovis auditorem fuiſſe dicit. Propter ſummam iuſtitiam creditur eſſe iudex inferorum.

CONSCIA VAGITUS. In Creta Iovem natum eſſe dicebant: in Creta etiam ſepulchrum ipſius oſtendebant. Sed hoc nomine Callimachus Cretenſes ut mendaces accuſat.

Obtigit has inter, dictu mirabile, curas
Firma valetudo, & nullis obnoxia morbis.

At-

Atque inconcuſſo decurrens vita tenore :
Non vulgare Dei munus ſimul, & ſimul ingens
Compoſiti argumentum animi . Nam turpiter acta
Ut celeres ducit canos florentior aetas ,
Et parit informes morbos, aegramque ſenectam :
Sic ſenium iuvenile ſeniliter acta iuventus .

OBTIGIT HAS INTER . Tuanum dicit, cum diu admodum vixerit, perpetuo firma valetudine inter multos labores uſum eſſe : quod & maximum Dei munus eſt, & argumentum temperantiae . Nam Hippocrates quoque affirmat, intemperantiam quaſi fontem quendam morborum eſſe .

NON VULGARE . Nam etiam in verſibus , qui pro foribus templi Delphici legebantur, bona valetudo, ut optimum quiddam commendatur : λῷστον δ' ὑγιαίνειν.

Sed nihil in terris ſtabile aeternumve putandum eſt.
Omnes incerto nos ordine certa manet mors .
Aeternum aut miſeros , aut effectura beatos,
Ut matrem annoſam iam mitia poma relinquunt
Sub finem autumni , contractaque frigore primo
Sponte petunt terram ; nitidi ut flos aureus ignis
Deſerit arentem , conſumpta Pallade , lychnum .
Sic aegros ſenio , & vitali humore carentes
Deſeruit mens ſancta artus coelumque petivit ;

SED NIHIL IN TERRIS . Euripides : Θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος :

UT MATREM ANNOSAM . Duabus comparationibus eleganter oſtendit , mortem naturalem , minimeque violentam . Utraque autem ex Cicerone eſt, cuius haec ſunt in Catone Maiore : Itaque adoleſcentes mori ſic mihi videntur , ut cum aquae multitudine vis flammae opprimitur; ſenes autem, ſicut ſua ſponte, nulla adhibita vi, conſumptus ignis extinguitur. Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur; ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert : ſenibus maturitas.

FLOS AUREUS IGNIS . Sic Aeſchylus ἄνθος πυρός.

CONSUMPTA PALLADE. Oleo, Ovidius:

Ut vigil infuſa Pallade flamma ſolet.

Verte age Muſa modos, vultuſque reſume priores,
Dicamus bona verba, nec fas lugere beatos,
Mitte ſupervacuo contundere pectora planctu,
Et lacrymarum imbrem populoſa Lutetia ſiſte.
Ille tuus praeſes flammantibus additus aſtris
Credita iam cernit, ſperataque gaudia carpit,
Nec veterem tamen erga te deponit amorem.

VERTE AGE. Hucuſque Tuani mortem deploravit, nunc ei ut in coelum evecto gratulatur.

DICAMUS BONA VERBA. Εὐφημεῖν χρή.

NEFAS LUGERE BEATOS. Ex philoſophorum ſententia dubium non eſt, quin Tuanus beatus vocari queat; nam & uſque a puero virtuti deditus fuit, & eam perpetuo exercuit; & diu vixit; & proſpera valetudine uſus eſt; ſummis honoribus functus; & uxorem ac filios habuit ex animi ſententia; & cum eos, tum caeteros propinquos atque affines ſummis honoribus florentes vidit; & diſceſſus a vita ipſi vitae conveniens fuit. Sed & Chriſtiane loquendo, eum, cuius, quantum quidem homines iudicare poſſunt, vita integra & inculpata fuerit, qui a Catholica religione nunquam deſciverit, & privatim & publice, quantum in ipſo erat, omnium commodis ſervierit, nihil denique praetermiſerit eorum, quae Chriſtianum hominem decent, ſperare debemus in locum piis a Deo deſtinatum perveniſſe: etiamſi id pro certo & explorato affirmare non poſſumus. Quare haec ita accipienda ſunt, ut ex ſpe & voto potius dicta, quam ex certa & explorata ſcientia. Sic & S. Ambroſius in oratione de obitu Valentiniani Imperatoris, non veretur eum ita alloqui: Proſpicis nos igitur, ſancta anima, de loco ſuperiore tanquam inferiora reſpiciens. Exiſti de tenebris iſtius ſeculi, & ut luna reſplendes, ut ſol refulges. *Sed & de Gratiano & de Theodoſio eodem modo loquitur, & tamen, ut caetera taceantur, Valentinianus ſine baptiſmo deceſſerat.*

Non

Non igitur arroganter affirmare vult Muretus, Tuanum coelo receptum eſſe: ſed id ſcribit, quod cupit verum eſſe, & veriſimiliter de tali viro ſperari poteſt.

MITTE SUPERVACUO. Sic Horatius:

- - - - & ſepulchri
Mitte ſupervacuos honores.

CREDITA IAM CERNIT. In beatis fides amplius non eſt. Vident enim quod crediderant. Ne ſpes quidem: fruuntur enim eo quod ſperarant. Sola caritas perpetuo durat.

Nec vero, quod te deſertam orbamve queraris,
Quid dubitas? viden, ut patrios renovarit honores
Crudus adhuc aevi, primoque in flore iuventae
Auguſtus, tanti ſpirans genitoris imago?
Hoc tu unquam incolumi tibi fas lugere putabis?
Cerne duos etiam generos, duo ſidera regni,
Conſpicuum cunctis excelſa e ſede Philippum
Regia firmantem impreſſo decreta ſigillo,
Aut reſcindentem, ſi quid vel gratia pellax
Elicuit, tantoque oppreſſum pondere rerum
Effugit Regem, iuſto quod pugnet & aequo.
Quique meis olim fecit ſtipendia caſtris,
Dum ſaltus ſequitur Muſarum, HARLAEUS ACHILLES:
(Nec levis a tali mihi gloria ſurgit alumno)
Qui patris & ſoceri veſtigia pone ſecutus,
Aequatus titulis, prope iam virtutibus aequat,
Maiora aſſidue ſpondens: tantum inſtar in illo eſt.
Muretus dominae iam non novus incola Romae,
Haec *Auguſte*, tibi moeſtae ſolamina mentis
Dum meditor: nomenque tuum, nomenque parentis
Saepe tui grato reddit mihi murmure Tibris,
Et ſeptem gemini reſonant mea carmina colles.

AUGUSTUS. Iacobus Auguſtus Tuanus, Chriſtophori filius, conſiliarius regius in Senatu Pariſienſi.

DUO SIDERA REGNI. Imitatum ex illo Virgilii :

- - - duo fulmina belli.


PHILIPPUM. Philippum Huraltum, magnum hodie Galliae Cancellarium.

REGIA FIRMANTEM. Notandum eſt in his verſibus quanta ſit in Gallia Cancellarii auctoritas.

HERLAEUS ACHILLES. Hic nunc ſucceſſit in locum Tuani ſoceri ſui. Muretum autem olim Lutetiae docentem diu audiit.

QVI PATRIS. Nam patrem quoque habuit in eadem curia Praeſidem.

PROPE IAM. Nondum enim ad eam ſenectutem pervenit : neque tam diu in illo munere verſatus eſt.



59. IN-

59.

INSTITUTIO PUERILIS

AD

M. ANTONIUM FRATRIS F.

& in eam

ANTONII CONSTANTINI

NOTAE.

M. ANTONIUS MURETUS

M. ANTONIO FRATRIS F.

S.

UTinam tibi eveniant, fili, quae me adduxerunt, ut te ſtatim poſt obitum patris tui, fratris mihi longe cariſſimi, ad me huc adduci & in ſinu ac complexu meo educari voluerim. Volui autem illud praecipue, ut, quando florentiſſimum regnum, in quo uterque nati ſumus, Deo iuſtas poenas eorum, quae a nobis peccata ſunt, exigente, ſaevis iampridem tempeſtatibus agitatur, tu in hanc Chriſtianae religionis Metropolin, tanquam in tutiſſimum portum, ſubductus, vera pietate adhuc tener imbuare, & iis moribus aſſueſias, qui Chriſtianum hominem decent. Cupio equidem & alia tibi contingere, quibus vita & tranquillior & honoratior redditur: ſed id, quod dixi, primum mihi ac praecipuum votum eſt; caetera ſunt quaedam quaſi appendices & acceſſiones. Ut igitur voti compos fiam, debeo quidem id quotidianis precibus ut facio, a Deo petere: neque tamen interea ceſſare, ſed omnia ſtudioſe facere ac procurare, quibus te meliorem & virtutis amantiorem poſſe fieri putem. Ea me cauſſa impulit, ut praecepta quaedam ad formandos mores pertenentia verſibus, quam potui maxime ad aetatis tuae captum accommodatis concluſerim, quae legens,

gens, & in primis litterarum rudimentis exerceare, & paulatim diſcas, quae tibi in omni vita ſervanda ſint. Accipe hoc primum a me munuſculum, fili, & ut eo te dignum praeſtes, pro virium tuarum modulo iam nunc operam dato. Romae, Kal. Ianuar. M. D. LXXIIX.

DUm tener es, Murete, avidis haec auribus hauri:
Nec memori modo conde animo, ſed & exprime factis.

DUM TENER ES. Praeceptis ad honeſtatem pertinentibus imbuendi ſunt molles adhuc & teneri puerorum animi: tenaciſſime enim qaerent ea, quae tunc combibuntur. Adeo in teneris conſueſcere multum eſt, *ait Virgilius; & huc pertinet illud Horatii:*

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Sed nihil profuerit ea tradi ſuo tempore, niſi avide hauriantur; nihil avide hauriri, ſi ſtatim affluant; nihil memoria contineri, niſi exerceantur. Haec igitur omnia percipiuntur his duobus verſibus.

Inprimis venerare Deum: venerare Parentes:
Et quos ipſa loco tibi dat natura parentum.

INPRIMIS. Imitatum ex illo Virgiliano: Imprimis venerare Deos. *Conſtat autem & ſemper inter omnes ſapientes conſtitit, pietatem in Deum fundamentum eſſe omnium virtutum.*

VENERARE PARENTES. Proxime Deum colendi ſunt parentes, quos etiam Iamblichus ait eſſe θεῶν ἀγάλματα.

ET QVOS IPSA: Qui puerüli patre orbati ſunt, quod contigit ei, ad quem haec ſcribuntur, honorem parentibus debitum transferre debent in eos, a quibus educantur: quique ſunt eis parentum loco.

Mentiri noli, nunquam mendacia proſunt.
Si quid peccaris, venia eſt tibi promta fatenti.

MEN-

MENTIRI NOLI. Pythagoras dicebat, nulla re propius accedere homines ad Deum, quam veritate. Herodotus a quinto anno aetatis uſque ad viceſimum ait, Perſarum pueros baec tria tantum diſcere: equitare, iaculari, & verum dicere; idemque ait, nihil a Perſis mendacio turpius iudicari. Magna igitur laus eſt, quam tribuit Attico Cornelius Nepos, quem ait neque mendacium dixiſſe, neque pati potuiſſe dicentes. Recte igitur poſt praeceptum de cultu divino, adiectum eſt praeceptum de amanda veritate, cum Deus ipſe ſit veritas. Quoniam autem utilitatis alicuius ſpecie plerumque adducuntur homines ad mentiendum: idcirco ſtatim cauſſa illa removetur his verbis: NUNQVAM MENDACIA PROSUNT. Quod idem dici poteſt de toto genere improbarum actionum, iuxta illud Homericum, οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα.

SI QVID PECCARIS. Nulla res eſt, quae facilius puerulos adducat ad mentiendum, quam cum aliqua in re peccaſſe ſe vident. Hoc igitur, ut amoveat, ait confitenti paratam eſſe veniam. Neque dubium eſt, quin facilius ignoſci debeat ei, qui peccatum ſuum ingenue fatetur, quam ei, qui mentiens, peccatum peccato cumulat. Ariſtoteles quoque in Rhetorice ait, Confeſſionem erroris efficacem eſſe ad veniam conſequendam.

Diſce libens; quid dulcius eſt quam diſcere multa?
Diſcentem comitantur opes, comitantur honores.

DISCE LIBENS. Quod quiſque libenter facit, idem etiam eximie facit. Nam, ut veriſſime ait Ariſtoteles libro ſeptimo Ethicorum; ea quidem voluptas, quae, cum quid agimus, aliunde percipitur, impedit, & avocat nos ab eo, quod agimus, eiuſque perfectioni impedimento eſt: at ea, quae ex ipſo, quod agimus, capitur, adiumento eſt ad id melius & perfectius exequendum. *Itaque qui libenter diſcit, multa etiam diſcit; quemadmodum ab Iſocrate iuniore dictum eſt, ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ καὶ πολυμαθής.*

QVID DULCIUS EST. Naturale hoc quoddam quaſi pabulum eſſe animorum & ingeniorum, ait Cicero in Academicis;

micis ; & Ariſtoteles lib. 2. Rhetor. ait : Nihil eſſe dulcius, quam multa facile diſcere. *Oſtendunt id exempla Architae Tarentini, Sophoclis, Archimedis, & aliorum, quae a Mureto ipſo collecta ſunt in Oratione de ſtudiis litterarum. Et a Pomponio Iuriſconſulto in l. apud Iulianum, ff. de fideicom. libert. refertur ſententia cuiuſdam, qui ait,* ſe, etiamſi alterum pedem in ſepulchro haberet ad aliquid amplius diſcendum paratum fore. *Dulciſſimum quidem eſt ſcire omnia, ut ait Sophocles : ſed quoniam id homini contingere non poteſt, ſequitur, ut homini nihil ſuavius ſit, quam multa diſcere.*

DISCENTEM COMITANTUR OPES. Eſtne igitur diſcendum ſpe opum aut bonorum? non. Sed pueri nondum intelligere poſſunt, cognitionem rerum per ſe, etiam detractis talibus praemiis, expetendam eſſe. Itaque excitandi ſunt etiam talibus praemiis :

- - - Ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Si quis te obiurget, male cum quid feceris, illi
Gratiam habe, & ne iterum queat obiurgare, caveto.

SI QUIS TE OBIURGET. Moleſte plerumque ferre ſolent pueri, cum obiurgantur : & eos tamen, cum ſaepe peccent, ſaepe etiam obiurgari neceſſe eſt. Monet igitur, ut non modo non ſuccenſeat eis, a quibus obiurgabitur, cum male aliquid fecerit : ſed etiam id in beneficii loco accipiat, detque operam, ne iterum eo nomine obiurgari queat.

Ne temere hunc credas, tibi qui blanditur, amicum:
Peccantem puerum quiſquis non corrigit, odit.

NE TEMERE. Ut abhorrent ab iis, a quibus obiurgantur, ita libenter audiunt eos, qui ſibi blandiuntur: neque enim adhuc per aetatem poſſunt blandidicos & aſſentatores ab amicis diſcernere. At nihil eſt, quo deteriores pueri fiant, quam ſi quis eis etiam peccantibus blandiatur. Praeclare inſtituerat Lycurgus, ut Spartae quiſquis ex civibus quemcunque puerum indecore aliquid facientem vidiſſet, eadem liber-

libertate & auctoritate eum obiurgare ac verberare poſſet, qua liberos ſuos: quin etiam turpe habebatur, ſi quis puer apud patrem ſuum queſtus eſſet, quod ab alio verberatus fuerit, niſi pater eum duplo amplius verberaret.

Qui ſemel incautum blando ſermone feſellit,
Ille idem, dabitur quoties occaſio, fallet.

QVI SEMEL. Semel falli, humanum eſt, at a quo ſemel falſus ſis, ei denuo credere, ſtultitia eſt. Quem enim ſemel malitioſum experti ſumus, eum ſemper pro malitioſo habendum, etiam Iuriſconſulti monent.

Nec cuivis ſapiens, nec nulli credere debet.
Fallitur alter ſaepe; fidem ſibi detrahit alter.

NEC CUIVIS. Qui nemini fidem habet, indignus eſt, cui quiſquam fidem habeat; qui temere omnibus credit, effugere non poteſt, quin ſaepe fallatur. Utrumque igitur fugiendum eſt. Verum enim eſt illud Heſiodi, utrumque pernicioſum eſſe hominibus, & nimis credere, & nimis diffidere:

Πίςεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιςίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Muretus quoque ipſe ſententiiis Graecis (v. 144. 145.) ait, nimiam quidem diffidentiam eſſe morbum improborum, nimiam autem credulitatem morbum vecordium.

Si quid forte mali aut facias, aut mente volutes,
Ut lateas homines, certe Deus omnia cernit.

SI QVID FORTE MALI. Spes latendi, maxima peccandi illecebra eſt. Nullum igitur potentius frenum eſt, quam ſi perpetuo cogitemus, Deum ea omnia, quae a nobis & fiunt, & cogitantur, praeſentem intueri: & fieri quidem poſſe, ut quis in maleficiis hominum conſcientiam effugiat; Deo nuda & aperta eſſe omnia, eumque, ut de Sole ait Homerus, πάντ' ἐσορᾶν, καὶ πάντ' ἐπακούειν. Praeclarus eſt Senecae locus in hanc ſententiam, Epiſt. LXXXIV. Sic certe vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit. Et poteſt. Quid enim prodeſt, ab homine aliquid

eſſe

eſſe ſecretum ? nihil Deo cluſum eſt : intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit. *Sunt & in ſententiis Graecis duo verſus (71. & 72.) qui eandem ſententiam continent; ſed eas ipſas aliquando explicabo.*

Non niſi ſpectatis arcana ſodalibus effer.
Quodque tacere voles alios, prior ipſe taceto.

NON NISI SPECTATIS. Qui ſecreta ſua temere vulgant, iniuſte ab aliis taciturnitatem poſtulant, quam ipſi ſibi praeſtare non poſſunt. Merito igitur laudatur Metellus Senior, qui rogatus, ut ſecretum quoddam ſuum panderet. Si ſcirem, *inquit*, tunicam meam ſecretorum meorum conſciam eſſe, exererem illam ſtatim, & comburerem. *Convenit hoc praeceptum cum his verſibus Theognidis :*

Πρῆξιν μηδὲ φίλοισιν ὅλως ἀνακοίνεο πᾶσι,
Παῦροί τοι πολλῶν πιστὸν ἔχουσι νόον.

SPECTATIS, δοκιμασθεῖσι. *Tacitus :* Tiberium Neronem maturum annis, ſpectatum bello; *Multi autem modii ſalis edendi ſunt cum aliquo, antequam eum ſpectatum nobis dicere liceat. Vere enim Theognis, improbos etiam exiguo tempore : at bonos viros non niſi longa conſuetudine & diligenti obſervatione poſſe cognoſci.*

Χρόνος τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα δείκνυσι μόνος.

Nil cupide ſpecta, niſi quod feciſſe decorum eſt :
Turpia corrumpunt teneras ſpectacula mentes.

NIL CUPIDE SPECTA. Non temere Plato in libris de Republica & Comoedos, & Tragoedos excludit ab ea civitate, quam inſtituit, quod alteri libidinem, alteri cupiditatem & impia facinora in animos civium inferant. Merito eoſdem ſeveriſſima Lacedaemoniarum civitas nunquam admittendos putavit. Eadem de cauſſa Solon, cum Theſpin fabulas ſuas ex anciqua conſuetudine recitantem vidiſſet, baculo, quem manu geſtabat, terram percutiens, cito futurum eſſe dixit, ut quibus in theatro ſpectandis aſſueſcerent homines, iiſdem etiam in ſeriorum negotiorum tractatione uterentur. Male igitur conſulunt liberis ſuis qui eos adhuc molles,

&, ut

&, ut Plato loquitur, cereos ad eiuſmodi ſpectacula admittunt.

Averte impuris procul a ſermonibus aures:
Et qui illis gaudent, horum conſortia vita.

AVERTE IMPURIS. Vetus eſt Menandri verſus, quo etiam S. Paulus in prima ad Corinthios Epiſtola uti dedignatus non eſt.

Ἤθη καλὰ φθείρουσιν ὁμιλίαι κακαὶ, *id eſt:*

Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

Vereque ſcriptum eſt a S. Baſilio, τὴν πρὸς τοὺς φαύλους τῶν λόγων συνήθειαν, ὁδόν τινα εἶναι ἐπὶ τὰ πράγματα. *Socrates* tales fere *dicebat* cuiuſque mores eſſe, qualis eſſet oratio. *Meritoque commendatur illa ſive lex, ſive conſuetudo Perſarum, qua, ut ait Herodotus lib. 1. quicquid facere turpe eſt idem dicere turpe eſſe ducebant.*

HORUM CONSORTIA VITA. Praeclare enim dixit Theognis, bonorum conſuetudine bona condiſci, malorum autem familiaritate, etiam ſi quid in nobis prius boni erat, amitti:

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Principio ſtudii radix inamoena videtur,
Sed profert dulces parvo poſt tempore fructus.

PRINCIPIO STUDII RADIX. Diſtichon hoc expreſſum eſt e nobili ſententia Iſocratis, quam ita expoſuit Aphthonius: Ἰσοκράτης τῆς παιδείας τὴν ῥίζαν πικρὰν ἔφη, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς: *eam autem fuſius explicatam videre ſi quis velit, ex Aphthonio ipſo petat licet.*

Ludo indulſiſti? ſubito evolat illa voluptas.
Legiſti? utilitas ſtudio percepta manebit.

LUDO INDULSISTI? Videntur hi duo verſus efficti ex enthymemate Muſonii, quod exprimam Latine, etſi metuo, ne longe futurus ſim infra Graecae orationis ſuavitatem. Eſt igitur hoc: Si pulchri quid cum labore feceris, labor quidem praeterit, pulchritudo autem manet. Sin quid

turpe

turpe per voluptatem, evolet voluptas, manet turpitudo. *Marcus Cato hoc antea dixerat his verbis :* Cogitate cum animis veſtris, ſi quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet; benefactum, dum vivitis, non abſcedet. Sed ſi qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit; nequiter factum illud apud vos ſemper manebit, *Gellius lib.* 16. *cap.* 1.

Ut moderata quies prodeſt, vireſque miniſtrat:
Sic hebetat corpus nimia, ingeniumque retundit.

UT MODERATA QVIES. Somno moderato egent pueri. Sed immodico ſomno nihil pernicioſus ; nam & obtuſiores atque hebetiores facit, & corporis proceritatem impedit. Vide Gellium cap. 19. *lib.* 4.

Si prodeſſe aliis ſtudeas, tibi proderis ipſi:
At niſi ames alios, & te quoque nullus amabit.

SI PRODESSE ALIIS. Qui ſtudium ſuum confert ad alios adiuvandos, multo plus ſibimetipſi prodeſt, quam aliis. Primum enim, quo nihil melius eſt, aſſuefacit ſe ad benefaciendum; deinde multos ſibi amicos adiungit, quo nihil eſt neque in rebus proſperis iucundius, neque in adverſis utilius. At qui ſuam tantum, ut dicitur, rem agit, & ut Epicurei ſapientem facere dicebant, nihil curat praeter ſemetipſum, & ipſe quotidie deterior fit, & amicis caret, ſine quibus vita vitalis eſſe non poteſt. Quiſquis igitur, quantum in ipſo eſt, aliorum commoda procurat, & de quam plurimis bene mereri ſatagit, is vel maxime utilitatibus ſuis ſervit. Videtur haec ſententia ſumpta ex Seneca, cuius haec ſunt in lib. 11. *Epiſtolarum*: Nemo non, cum alteri prodeſt, ſibi profuit.

Succeſſus fauſtos nunquam admirare malorum:
Sera licet, tamen olim illos ſua poena ſequetur.

SUCCESSUS FAUSTOS. Ad hoc diſtichum illuſtrandum legendus eſt Plutarchi liber de iis, qui ſero a numine puniuntur: aut potius Pſalmi aliquot in eandem ſententiam a Davide divinitus ſcripti. Nota eſt & Valerii Maximi ſententia : Lento quidem gradu ad vindictam divina proce-

dit

dit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat; *& illud Homeri ex 8. lib. Odyſſeae.*

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα, κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν·

& illud Tibulli:

Ah miſer, etſi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus;

quod & ipſum ex Homero ſumptum eſt, qui Aten mollibus ac teneris pedibus eſſe ait. Horatius:

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede poena claudo.

Si tibi grata quies, iuvenis ne parce labori:
Dux ad honoratam eſt homini labor ipſe quietem.

SI TIBI GRATA QVIES. Laborandum eſt in iuventute, ut ſenibus cum dignitate quiſcere liceat. Qui enim laborem iuvenes fugiunt, plerumque ſenes laborare coguntur. Et hoc ſignificat verſus ille Epicharmi, quem Socrates, ut eſt apud Xenophontem, crebro in ore habebat:

Ὠπόνηρε μὴ τὰ μαλακὰ μῶσο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς.

Inſpice te in ſpeculo: & bona ſeu tibi forma videtur:
Moribus obſcoenis illam foedare caveto:
Seu tibi ſubtraxit vultus natura decorem,
Ingenio, ut formae compenſes damna, labora.

INSPICE TE IN SPECULO. Hoc quoque praeceptum Socratium eſt, celebratum a Xenophonte, Plutarcho & aliis. Extat & ab ipſo Mureto quinque verſibus (176. ſeqq.) expreſſum in ſententiis Graecis.

Nil facito, quod turpe putes feciſſe videri:
Et cura, ut multis tibi ſis pro teſtibus ipſe.

NIL FACITO. Natura comparatum eſt, ut quid turpe facturi ſunt, tenebras & ſolitudinem quaerant, aſpectum & conſcientiam omnium, quoad eius fieri poteſt, refugiant. Si quis igitur hoc a ſe obtinere poſſit, ne minus ſemet ipſum quam alios, revereatur, etiam ſolus verebitur ea facere, quae praeſentibus aliis non auderet. Sapientiſſimum igitur praeceptum eſt, quod his verſibus continetur, ut maxime vereatur

tur quiſque ſe, & cuius alios conſcios eſſe nollet, eius ne ſe quidem ſibi conſcium eſſe patiatur. Eſt autem praeceptum Pythagorae in iis carminibus, quae aurea vocantur:

- - - πρήξεις δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου,
Μήτ' ἰδίῃ, πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.

Ut nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam unam natura, duas dedit omnibus aures.

UT NOS PAUCA LOQVI. Ad Aeſopum Phrygem refertur. Conſtat autem utrumque in laude poni, & parce loqui, & cupide audire: meritoque laudatur veteris Poetae verſus:

Σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν τὰ καίρια.

Praecipue autem hoc in iuvenibus locum habet: multa enim diſcere neceſſe habent: Et Ariſtoteles auditum ait eſſe ſenſum diſciplinae. Et ſapientiſſimum Hebraeorum, etiam eum, qui ſapiens ſit, ſi libenter audiat, ſapientiorem fore. Neque iniuria Pythagoras quinquennium tacere iubebat adoleſcentes, qui ſe ei in diſciplinam dabant.

Ἡ γὰρ σιωπὴ κόσμος ἀσφαλὴς νέῳ.

Vide Plutarchum in commentario de audiendo.

Quae ſeruare voles, ne crebro inviſere parce.
Namque minus furem metuunt, quae ſaepe videntur.

QVAE SERVARE VOLES. Neglientia dominorum nihil eſt in re familiari pernicioſius. Eſt autem praeceptum M. Varronis, quod hic ponitur cap. 22. lib. 1. de re ruſtica: Quae res quotidie videntur, minus metuunt furem.

Blanditur primo, ſed perdit inertia famam:
Aſpera res primo eſt, ſed fert induſtria laudem.

BLANDITUR PRIMO. Ad hoc diſtichon illuſtrandum vide poema Auſonii, quod falſo Virgilio tribuitur, de littera Pythagorae. Vide etiam colloquium voluptatis & virtutis cum Hercule, quod ex Prodico refert Socrates apud Xenophontem lib. 2. commentariorum; quem totum locum latine reddidit Budaeus in libro de ſtudio inſtituendo. Et tale quiddam fingit Silius contigiſſe Africano. Vide etiam Philoſtratum lib. 6. de vita Apollonii.

Aut

Aut vinum ne tange, aut multa prolue lympha.
Cum vino indulges, igni puer adiicis ignem.

AUT VINUM NE TANGE. Plato lib. 2. de legibus, pueris negat permittendum eſſe uſum vini ante annum decimum octavum, & ait eos, qui aliter faciunt πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν. Et praematuro vini uſu furorem quendam ingenerari hominibus. *Idem narrat*, apud Carthaginenſes legem fuiſſe, ne quis in exercitu vinum guſtaret, ſed toto expeditionis tempore ſolius aquae potu in caſtris uterentur. *Item*, ut in urbe neque ſervi, neque ancillae vinum unquam guſtarent: ac ne magiſtratus quam toto illo anno, quo ius dicebant, neque gubernatores navium, neque iudices, quamdiu illo munere fungerentur. *Praeterea*, ne ii quidem, qui in conſilio de rebus gravibus ſententiam dicturi eſſent. *Item*, ut de die nemo in urbe vinum biberet, niſi aut exercitationis, aut morbi cauſſa: ac ne noctu quidem ii patres familias, matronaeque ipſorum, qui ea nocte liberis operam daturi eſſent. *Romae quoque mulieribus perdiu vinum bibere non licuit: inſtitutumque ob eam rem, ut cognatos oſculo ſalutarent, ut anhelitus ipſe fidem faceret, eas abſtemias eſſe. Hodie illa tanta ſeveritas remiſſa eſt.*

Fac tibi ſit vultus comis, ſermoque modeſtus,
Sic multos facile tibi conciliabis amicos.

FAC TIBI SIT VULTUS COMIS. Multi ſunt, qui truculentia quadam & feritate aſpectus, odium ſibi conciliant: quod Caligulam etiam adhibito ſtudio feciſſe traditum eſt, quin & Druſillam non alio firmiore indicio ſui ſeminis eſſe credebat, quam feritatis, quae illi tanta ſtatim ab infantia fuiſſe dicitur, ut infeſtis digitis ora & oculos ſimul ludentium infantium inceſſeret. Contra autem comitas vultus primo ſtatim aſpectu omnium ſibi amorem conciliat: praeſertim ſi eam ſermonis etiam modeſtia ſubſequatur. Ita autem hic dicitur vultus comis, *ut apud Livium*, frons comis *libro* I. Excepti hoſpitio ab Tullo blande ac benigne,

comi

comi fronte, comiter regis convivium celebrant: *quem locum eo citare volui, ut emendarem, nam in omnibus vulgatis libris duae illae voces:* Comi Fronte, *deſiderantur: quae tamen leguntur & in aliis veteribus, & in uno, qui apud Muretum eſt.*

Pauperiem ne cui miſero exprobraveris unquam:
Cuius munus opes, eiuſdem eſt munus egeſtas.

PAUPERIEM NE CUI. Ut corporis morbus cuiquam exprobrare ſtultum eſt, praeterquam ei, qui per ignaviam aut per intemperantiam eos contraxerit, quod praeclare Ariſtoteles monet: ita pauperies nemini probro eſt, niſi qui aut inertia & deſidia in eam inciderit, aut patrimonium inhoneſtis artibus diſſiparit. Paupertas quidem ipſa per ſe tam longe abeſt omni turpitudine, ut praeſtantiſſimi quique ex omni antiquitate pauperes fuerint. Pauper fuit Phocion, pauper Miltiades, pauper Socrates. Ex Romanis Poplicolae, Menenii, Curii, Fabricii, Camilli, aliique praeſtantiſſimi viri pauperes fuerunt. Immo vero non magis dedecori erat ex opibus in paupertatem incidiſſe, quam in patria & avita paupertate non perſtitiſſe. Notum eſt, quid M Craſſo obiectum fuerit: Tu ſi vir bonus eſſes, tam cito ad tantas divitias perveniſſes? *Nulli igitur exprobranda paupertas eſt; praeſertim cum ita fundatas ac conſtabilitas opes ſuas habeat nemo, quin puncto temporis ad mendicitatem redigi poſſit. Eſt autem hoc quoque praeceptum Theognidis:*

Μή ποτέ μοι πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ χαλεφθῇς,
Μηδὲ ἀχρημοσύνην Κύρνε κακὴν πρόςφερε.
Ζεὺς γὰρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλῳ,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν.

Similis eſt & Iſocratis ſententia, nulli exprobrandam calamitatem: Fortunam enim communem eſſe, neque poſſe, quid futurum ſit provideri. Μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον.

CUIUS MUNUS OPES. Sumptum ex II. *cap. Eccl. ubi ita ſcriptum eſt,* πτωχεία καὶ πλοῦτος παρὰ Κυρίου ἐστί.

Sem-

Semper opum ſtudio praefer virtutis amorem.
Non opibus virtus, ſed opes virtute parantur.

SEMPER OPUM STUDIO. Plato omne aurum, quod ſupra, quodque infra terram eſt, cum virtute comparandum negat. Et Theogenis: cum dixiſſet, multos improbos divites eſſe, multos autem viros bonos pauperes: *ſtatim ſubiicit*, multo pluris tamen faciendam eſſe virtutem, quod haec firmum quiddam & ſtabile ſit; pecuniae autem modo ad hos, modo ad illos tranſeant. *Socratis autem eſt, quod ſtatim ſubiicitur:* Virtutem opibus parari non poſſe, at opes virtute parabiles eſſe. *Neque non huc pertinet, quod Pericles dixiſſe fertur. Qui cum generum virum bonum & induſtrium, opulento, ſed ignavo antepoſuiſſet cauſſam eius rei rogatus*, malle ſe, *reſpondit*, virum ſine opibus, quam opes ſine viro. *Facile autem eſſe viro bono & erudito opes, ſi velit, parare: argumento eſt vel id, quod de Thalete Mileſio ab Ariſtotele in Politicis, & a Plinio narratur.*

NON OPIBUS VIRTUS. Quod hic de virtute dicitur, idem dicit de gloria Iſocrates.

Δόξη μὲν χρήματα κτητὰ, δόξα δὲ χρημάτων οὐκ ὠνητή.

Diſce, & quae diſcis, memori ſub pectore conde,
Aut facies tantundem, ac ſi cribro hauſeris undam.

DISCE ET QUAE DISCIS. Ut cibus, niſi contineatur in ventriculo, inutilis eſt: ita quidquid diſcitur, ſi ſtatim excidat, inutile. Vereque Fabius lib. XI. cap. 2. fruſtra doceri nos *ait*, ſi quicquid audimus, praeterfluat. *Videtur autem ſecundus verſus reſpicere ad fabulam Danaidum, quae plenis rimarum vaſis aquam haurire, eamque in dolium, quod ipſum quoque pertuſum eſt, apud inferos congerere dicuntur. Neque enim unquam illarum dolium expletur, neque animus eius, qui eorum, didicit, ſtatim obliviſcitur. In pueris autem praecipue exercendam eſſe memoriam, & Quintilianus & alii tradiderunt.*

Dulcia ſint quamvis,nunquam tamen appete,quae ſunt
Aut damnum allatura, aut incuſſura pudorem.

Dulcia sint qvamvis. *Nihil eſt, quod magis homines invitet ad peccandum, quam voluptas: ideoque eam Plato eſcam malorum vocabat. Manet igitur, ut cum aliqua nobis ſuavitatis illecebra obiecta eſt, ne ſtatim nos abripi ſinamus, ſed prius reputemus ipſi nobiſcum, numquid ea res, quae nos ad ſe allicit, aut damno aut probro futura ſit: ut ſi vel alterutrum,vel etiam utrumque ex ea impendere videamus, ab ea ſuſcipienda deterreamur.*

Iraſci noli temere, nil foedius ira:
Quam quaecunque movere ſolent, ea temnere laus eſt.

Irasci noli temere. Non omnino vetat iraſci: etenim qui omnino non iraſcitur,ſtupidus videtur,*ut ait Ariſtoteles quarto Ethicorum*. Et iracundiam in pueris non ferendam modo, ſed & laudandam, ut quae ingenii ſignum ſit, *Politianus integro libello docere conatus eſt. Non igitur omnino iraſci vetat, ſed temere iraſci.*

Nil foedius ira. Seneca: Ut ſcias inſanos eſſe, quos ira poſſedit,ipſum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria; ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Neſcias utrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme.

Qvam qvaecunqve Levia plerumque & contemnenda ſunt, quae nos ad iram commovent. Seneca: Frivolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat; ad umbram aſpis exſurgit; urſos leoneſque mappa proritat; Omnia, quae natura fera, ac rabida ſunt, conſternantur ad minima. Idem inquietis ac ſtolidis ingeniis evenit, rerum ſuſpicione feriuntur.

Venti agitant celſis poſitas in montibus ornos,
A quibus in media tuta eſt arbuſcula valle:

Sic

Sic & opes agitant maiora pericula magnas,
Tutior anguſtos comitatur vita penates.

VENTI AGITANT. Eleganti comparatione docet tutiorem eſſe vitam eorum, qui mediocribus opibus inſtructi ſunt, quam eorum, quos magna opum copia & magna potentia invidioſos facit. Potentes invidiae expoſiti ſunt; tenues contempti; optima mediocrium conditio. Recteque Solon:

Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.

Horatius:

Saepius ventis agitatur ingens
Quercus, & celſae graviore lapſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Pauca loqui puero ſed tempeſtiva, decorum eſt:
Haec etenim ingenium res iudicat, illa pudorem.

PAUCA LOQUI PUERO. Pueros ornat ſilentium, eſt enim argumentum modeſtiae: ſed qui nimis taciturni ſunt, hebetes plerumque & obtuſi eſſe conſueverunt. Contra autem qui natura garruli ſunt, oblectamento quidem eſſe ſolent audientibus: ſed niſi tempeſtive coerceantur, procaces ac petulantes evadunt. Optanda igitur in puero eſt ea indoles, ut & taceat ipſe, loquentibus natu grandioribus, avideque illos diſcendi ſtudio audiat: & interrogatus, argute atque ingenioſe reſpondeat. Nam & modeſtum eſſe ſe oſtendet, & ſolertem atque acutum. Tale quiddam in Lacedhemoniorum pueris a Xenophonte laudatur.

Scire cupis, quae ſit famae via certa parandae?
Talem te praeſta, qualem te poſcis haberi.

SCIRE CUPIS. Socrates tutiſſimam & quaſi compendiariam viam ad famam eſſe dicebat, ſi quis talis eſſe ſtuderet, qualem

qualem ſe haberi vellet. Xenophon lib. 2. commentariorum. Cicero de officiis lib. 2.

Verbera non metuet, metuet qui iuſſa magiſtri:
Haec qui contemnet, merito miſer illa timebit.

VERBERA NON METUET. Ut in viris, qui leges maxime metuunt, ſecuriſſime vivunt; contra autem, qui non metuunt leges, in perpetuo verſantur accuſatorum & iudicum metu: ita in pueris, qui maxime magiſtrorum iuſſa metuunt, minime metuunt verbera. Similis ſententia eſt Syneſii in Epiſtolis: ἀφοβία μεγίστη τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους.

Quam felix puer eſt, virtus in quo anteit annos,
Illum omnes meritis certatim laudibus ornant,
Et ſpectant cupide, & felicia cuncta precantur.
At contra nemo alloquio dignatur inertes.
Spernuntur cunctis & vulgi fabula fiunt:
Vix oculis pater ipſe illos ſatis aſpicit aequis.

QVAM FELIX PUER. Hi ſex verſus ſatis per ſe perſpicui ſunt.

Non tantum in praeſens obſunt peccata: ſed hoc plus,
Ad mala quod proclivem animum aſſuetudine reddunt.

NOM TANTUM. Socratica ſententia eſt. Conſtat autem ex Ariſtotele lib. 2. & 3. Ethicorum, frequentatis eiuſdem generis actionibus habitum effici. Quanquam autem in poteſtate noſtra eſt, quid agamus: ubi tamen ſaepe & diu agendo vitium contraximus, difficile eſt abducere ſe a diuturna & inveterata conſuetudine. Quare magno ſtudio cavere debemus, ne peccemus: propterea quod ſaepe peccando contrahimus habitum, qui ubi ſemel radices in animo egit, non niſi maxima cum difficultate evelli & extirpari poteſt.

Quae bona ſunt, ſectare, etiam ſi dura videntur
Principio: longus paulatim ea molliet uſus.

QVAE BONA SUNT. Hoc quoque Socratis eſt: Seligendam eſſe a principio eam vivendi rationem ac vitam, *non quae iucundiſſima ſit, ſed quae honeſtiſſima. Adhibita enim conſuetudine, eam ipſam iucundiſſimam fore. Verum*

rum

rum enim eſt, quod ait Lucretius conſuetudo concinnat amorem. *Pertinet huc dictum Lacedaemonii cuiuſdam, qui captivus cum interrogaretur a domino*, quid praeſtiturus eſſet, ſi eum liberis ſuis praefeciſſet ut ea, *inquit*, quae pulcherrima ſunt, fiant ipſis etiam iucundiſſima. *Hanc ipſam ſententiam graviter, ut ſolet expreſſit S. Baſilius his verbis*: Δεῖ βίον ἄριστον αὐτὸν ἕκαστον αἱρεῖσθαι, ἡδὺν δὲ προσδοκᾶν τῇ συνηθείᾳ γενήσεσθαι.

Acceptum officium memora atque extolle ſed abs te
Collatum extenua, & potius ſine predicet alter.

ACCEPTUM OFFICIUM. Celebrata eſt a ſapientibus ſententia, beneficii eum, qui dedit, ſtatim; eum, qui accepit, nunquam oblivisci oportere. *Qui autem beneficia, quae in alios contulerunt, ipſimet praedicant, detrahunt illis omnem gratiam, & efficiunt, ut iis qui acceperunt, de illis tacere liceat: cum ipſi partes eorum occupent. Extat in hanc ſententiam elegantiſſimum epigramma Martialis:*

Quae mihi praeſtiteris memini, ſemperque tenebo.
  Cur igitur taceo, Poſtume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
  Protinus exclamat: Dixerat ipſe mihi.
Non belle quaedam faciunt duo, ſufficit unus
  Huic operi. Si vis ut loquar ipſe, tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Poſtume, dones,
  Auctoris pereunt garrulitate ſui.

Utilitas quoties pugnare videtur honeſto,
Ne dubitare quidem fas eſt, quin vincat honeſtas.

UTILITAS QVOTIES. Cicero primo de legibus: Recte Socrates eum execrari ſolebat, qui primus utilitatem ab honeſtate ſeiunxiſſet. Id enim quaerebatur caput eſſe exitiorum omnium. *Idem etiam tradit ſub principium libri tertii de officiis: quo in libro toto haec quaeſtio ab eo copioſiſſime explicatur.*

Sub laceris crebro virtus latet aurea pannis,
Cum ſtolidas aurum pecudes & purpura velet.

SUB LACERIS. Vulgus e veſtitu, atque ornatu iudicare plerumque de hominibus ſolet: in quo tamen ſaepiſſime fallitur, cum & a Graecis olim dictum, & a Plauto poſtea repetitum ſit, ſub ſordido palliolo ſaepe latere ſapientiam. *In vita Terentii legimus, eum, cum ab aedilibus iuſſus eſſet Andriam ſuam recitare Caecilio, antequam ageretur, veniſſe ad Caecilium coenantem, & quod erat contemptiore veſtitu, initium fabulae in ſubſellio reſidentem legiſſe: ſed poſt paucos verſus invitatum ut accumberet, coenaſſe una, deinde caetera percurriſſe non ſine magna Caecilii admiratione. At contra, Evangelo Tarentino, cum ornatus ingentis pretii veſte, corona etiam aurea redimitus, ad laureae ſimilitudinem conflata, cuius folia quidem ex auro erant, pro baccis autem pendebant ſmaragdi: citharam ferens inauratam multiſque gemmis diſtinctam, in Pythiis canere voluiſſet, magnamque ſui expectationem concitaſſet, ut, ſimul atque canere coepit, riſu, clamore, ſibilis exploderetur. Hiſtoriam, facetiſſime proſequitur Lucianus in libello, quo exagitat quendam, qui multis libris coemendis doctum ſe videri volebat. Non igitur e veſtitu, ſed e dictis factiſque de unoquoque iudicandum eſt.*

CUM STOLIDAS AURUM. Alludit ad dictum Diogenis, qui divites indoctos vocabat pecudes aureo vellere.

Nil laudis cauſſa facito: & tamen omnia laudem
Quae tibi conciliare queunt, ea ſedulus urge.

NIL LAUDIS CAUSSA. Qui laudem ſibi in rebus agendis proponunt; ventoſi & ambitioſi ſunt, & corpori umbram, veritati imaginem anteponere videntur. Et tamen vix eſt, ut ſine aliquo laudis ſtimulo labores ad virtutem & eruditionem comparandam neceſſarii a iuvenibus perferantur. Suadendum igitur eis eſt, ut neque laudem, tanquam praecipuum quoddam bonum ſequantur: & tamen nihil praetermittant eorum, quibus vera laus conciliari poteſt.

Divitias nec amare nimis, nec ſpernere debes.
Quamquam etenim nequeunt facere ac praeſtare beatum,

Magna

Magna tamen vitae ſunt inſtrumenta gerendae.

DIVITIAS NEC AMARE NIMIS. Qui divitias nimis amant, avari ſunt; qui contemnunt, parum prudentes. Sine divitiis enim, *ut ait Ariſtoteles primo Ethicorum,* multa quae praeclara & laudabilia ſunt, commode effici non queunt. *Itaque praeclare ſapientiſſimus ille Hebraeus a Deo ſibi neque divitias, neque paupertatem poſtulat. Eleganter autem divitiae comparantur cum inſtrumentis. Ut enim lyra exempli cauſſa, bonum lyricinem non facit; ſed tamen bonus lyricen ſine lyra munus ſuum exercere non poteſt: ita divitiae beatum quidem non faciunt, ſed tamen inſtrumenta ſunt ad multas res gerendas neceſſaria. Neque obſtat, quod in ſacris litteris dicitur,* pauperes beatos eſſe, & divitibus difficile eſſe ingredi in regnum Dei. *Nam illic pauperes dicuntur, qui ad divitias animum non adiiciunt, ſive illas habeant ſive non habeant: & ita pauper eſſe aliquis etiam in maxima opum affluentia poteſt. Iis autem divitibus difficilis eſt aditus in regnum Dei, qui divitiis ſuis fidunt, & ad eas cor, ut David loquitur, apponunt.*

Fac contentus eo, quod contigit, uſque fruaris:
Sic tamen, ut nunquam meliora require parcas.

FAC CONTENTUS. Vetus praeceptum eſt, τὰ μὲν παρόντα ςέργειν, τὰ δὲ κρείττω ζητεῖν. Qui praeſentibus contentus non eſt, nunquam quieto animo eſt; qui meliora non quaerit, nunquam emergit.

Quam ſint cuncta hominum varia atque incerta, notato:
Ne te unquam aut adverſa permant, aut proſpera tollant.

QUAM SINT CUNCTA. Imprudentis eſt cum res proſperae ſunt, confidere eas ſemper tales fore: recteque Iſocrates in Areopagitico, tunc maxime metuendum eſſe *ait,* cum res noſtrae ita eunt, ut volumus. *Eademque ratione nemini quamlibet duris & adverſis in rebus abiicienda*

ſpes

ſpes eſt. Horum incommodorum utrumque facile vitabit is, qui diu ac diligenter rerum humanarnm inconſtantiam & inſtabilitatem notaverit.

Pauca quidem haec; ſed quae ſtudio ſervata perenni
Mirificos fructus progreſſu temporis edent.
Adſpiret tantum coeptis Deus: omnia cuius
Conſilio aeterno & certa ratione reguntur.
Quem tu & luce puer prima cum ſtrata relinquis
Impiger, & dulcem repetis cum veſpere ſomnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis.
Ille tibi ingeniumque ſagax, corpuſque ſalubre,
Et multo meliora dabit. Diffidere noli:
Tu modo ad illius ſemper refer omnia laudem.

PAUCA QUIDEM HAEC. Corona haec quaedam eſt huius opuſculi, qua ei animum addit: & quemadmodum orſus erat a cultu divino: ita in eundem definit, quod & ab eo tanquam principio, ducenda ſint omnia, & ad eundem, tanquam ad finem, dirigenda ſecundum illud Theocriti:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε Μῶσαι.



50. MAP-

60. ΜΑ'ΡΚΟΥ Α'ΝΤΩΝΙ'ΟΥ ΜΟΥΡΗ'ΤΟΥ
τοῦ πρεσβυτέρου, πρός
ΜΑ'ΡΚΟΝ Α'ΝΤΩ'ΝΙΟΝ
τὸν Α'δελφιδοῦν, παῖδα ἐνναέτη γνῶμαι

Hoc eſt:

M. ANTONII MURETI
PRESBYTERI
AD
M. ANTONIUM

Fratris F. puerum novennem, ſententiae graecae,
cum interpretatione latina
INNOCENTII GISCATERII.
Quae ut plurimum verbum verbo, non numquam tamen & verſum verſu reddit.

M. ANTONIUS MURETUS
Fratris F.
S. D.

Biennium iam eſt, fili, cum tibi, prima elementa Latinae linguae percepturo, libellum confeci, praecepta quaedam ad vitam utilia verſibus continentem, in quo primis illis Grammaticorum exercitationibus defungeris. Quod cum utrique noſtrum, praepotentis Dei beneficio non prorſus infeliciter ceſſerit: idem in Graeca lingua experiri volo: ſine qua ſaepe audis ex me, latinam, mancam ac mutilam eſſe: nec ſatis uberes ex ea fructus percipi poſſe. Cum

igitur

igitur pridie Kal. Ianuar. qui dies tibi natalis eſt, ingreſſurus ſis, cum Deo propitio ac benevolente, in annum aetatis tuae decimum; egoque te eo ipſo die Graecis litteris initiare conſtituerim: concinnavi tibi interea hunc alterum libellum Graece loquentem, qui tibi pro natali munuſculo erit. Magnum tibi haec qualiacunque ſcripta mea pudorem incutient, fili, niſi omni ope nitaris, ut meae de te expectationi reſpondeas. Scient homines, nihil tibi a me defuiſſe. At mihi puero, cum alia multa, tum praeceptores defuerunt. Vere enim hoc affirmare poſſum, poſt annum aetatis meae duodecimum, nullo me ad ullam artem, neque privatim neque publice, praeceptore uſum eſſe. Quanquam enim Pictavii, quo me parentes ad excolendum ingenium miſerant, ibam interdum ad eos, qui ius civile profitebantur, perraro tamen id faciebam, neque tam, ut quidquam ex eis diſcerem, quam ut meis animum explerem, qui me ei ſtudio addixerant: Eveniebat id mihi indomita quadam perverſitate ac petvicacia ingenii, ut nullum doctorem triduum ferre poſſem. Cuius improbitatis valde me poſtea ac diu poenituit, poenitetque. At tibi, me vivo, neque dux, hortator, monitor deerit: & quae praeterea requiruntur, abunde, ſi Deus volet, ſupperent omnia. Vide modo tu, ne, cum aliud nihil deſit, ipſe olim tibi defuiſſe dicaris. Romae, Idibus Nov. M. D. LXXX.

INNOCENTIUS GISCATERIUS
Guilielmi F.

M. ANTONIO MURETO
Iuniori S.

MUlta debemus, & ego & pater meus, patruo tuo. Quoties enim tulit occaſio, libenter nos re, opera, conſilio auctoritate, gratia adiuvit. Sed illi quidem

dem, quomodo gratiam referat, pater ipſe viderit, nam meum non eſt, qui tanto aetate minor ſum, illam cognitionem ſuſcipere. Tibi vero, qui aetate tanto fere me minor es quanto patre meo patruus tuus, aequum eſt, ſtudere me, ut aliquid praeſtem quo oſtendam animum beneficii memorem. Et ut illi amantiſſime coniunctiſſimeque inter ſe vivunt ſic oportet in nobis eſſe iam nunc idem mutuae benevolentiae vinculum. Nuper igitur, cum audiſſem de patre ſcriptum eſſe a patruo tuo cauſſa tua elegantem ſane libellum, quo multas bonas & graves ſententias verſibus graecis complexus eſſet: egi cum eo ſummis precibus, ut illum commodato ſumeret, mihique legendi poteſtatem faceret. Quo impetrato, plus etiam auſus ſum: nam his longioribus noctibus, addens aliquid ad ſolitas lucubrationes, expreſſi eaſdem ſententias, ut potui, latine. Quicquid eſt, quod effeci, ad te mitto, ſymbolum ſummi amoris erga te mei. Utinam veniat aliquando tempus illud, cum ea videamus, quae patrem de indole tua ſaepe vaticinantem audio. Mihi de me modica ſperare ſat eſt: te, qui ita educaris & qui ne nomen quidem audire tuum potes, quin ad virtutem exciteris, eo perventurum eſſe confido, ut iam nunc ſperem, rebus meis aliquid in te olim praeſidii fore. *Nam te maioribus iri per altum Auſpiciis manifeſta fides.* Vale, Romae Kal. Decembr. M. D. LXXX.

Ρίζωμ᾽ ὁμαίμου, τῆς δὲ φιλογήτορον φρενὸς,
Κῆδός τε τερπωλήν τε τοῦ γήρως ἐμοὶ,
Καὶ τοῦτο θέσιν, Μάρκε, παρ φίλου λάβε,
Σμικρὸν μὲν ὄγκῳ δῶρον, ἄχρηστον δὲ μή,
Γνώμας ὁδηγοὺς πρὸς τὸ ζῆν εὖ καὶ καλῶς,
Νέωσι τὴν σὴν ηὐτρεπισμένας χάριν.
Καὶ γὰρ νέους γέρουσι παιδεύειν πρέπει.
Κἀγὼ γέρων μέν εἰμι, παιδίον δὲ σύ.
Σῶμ᾽ ἀσθενὲς γέρουσιν, ἀκμάζει δ᾽ ὁ νοῦς.
Νέῳ δὲ σῶμα θαλερὸν, ἀσθενεῖς φρένες.
Διὸ καὶ σὲ δεῖ, βουλαῖς ἐμαῖς ἀδήνιον,
Νῷ προσφέρεσθαι τοὺς δ᾽ ἐπηκόῳ λόγους,
Φῶς πάντοθ᾽ ἡμῶν λαμπρὸν ἐσόμενον γένει.
Πρώτιστα καὶ μάλιστα τὸν θεὸν φιλεῖν,
Ὑπέρ τε τ᾽ ἄλλα πάντα, καὶ σαυτοῦ πλέον.
Ἔπειτα δ᾽ ἄλλους ἧττον οὐ στέργειν σέθεν,
Σπεύδοντα πλείστους εἰς τὰ πλεῖστ᾽ εὐεργετεῖν.
Οὐδὲν γὰρ ἄνδρα μᾶλλον εἰκάζει Θεῷ.
Μετὰ τὸν Θεὸν δὲ πρῶτα τιμᾶν τοὺς γονεῖς,
Οἵ σ᾽, ὦ φίλ᾽, ἔτρεψάν τε, κ᾽ εἰς φῶς ἤγαγον,
Ζῶντας τ᾽ ἔτ᾽ ὄντας στέργε, καὶ κεκμηκότας.
Ποίησον ἄλλους, οἷ᾽ ἂν ἄσμενος, πάθοις.
Μὴ βλάψον, ὦ παῖ, καθ᾽ ὅσον ἐστί σοι, μηδένα.
Τ᾽ ἀλλότριον μὴ κλέπτε, μὴ κατηγόρει.
Μὴ χαῖρε λέξας ἅττα μὴ ποιεῖν θέμις.
Ψεῦδος δὲ φεῦγε· πᾶς γὰρ ὁ ψευδῆ λέγων
Ἂν ἑκὼν, ἄπιστός ἐστιν, ἂν δ᾽ ἄκων, ἄνους.
Νεωτερισμῶν σαυτὸν ἴσχ᾽ ἀπωτάτω,
Νόμων δ᾽ ἀρίστους ἴσθι τοὺς παλαιτάτους.
Κενῆς δὲ δόξης ταῦτα μὴ πράξῃς χάριν,
Ἀλλ᾽ ὅτι καλ᾽ ὄντα ταῦτα προστάττει Θεός.
Ἀρετή τε δόξα τ᾽ ἐστὶν ὤνιος πόνου.
Πονοῦ δυνάμενος, ἵν᾽ ἡσυχάσῃς ἀσθενής.

Νέοις

STirps conſanguinea,huius (meae) delectatio mentis,
Curaque & oblectamentum ſenectutis mihi,
Hoc quoque patruo, Marce, ab amico accipe
Exiguum quidem mole donum, ſed non inutile:
Sententias duces itineris ad bene honeſteque vivendum,
Nuper tua concinnatas gratia.
Nam & iuvenes inſtituere, ſenibus decorum eſt,
Et ego quidem ſenex ſum, tu autem puerulus.
Corpus infirmum eſt ſenibus,viget autem mens,
Iuveni autem corpus robuſtum inbecilla mens.
Quocirca & te oportet conſiliis meis docilem
Animo accipere hos obedienti ſermones,
Lumen olim noſtro clarum futurum generi.
Imprimis & maxime Deum ama,
Et ſuper omnia alia;& pluſquam te ipſum.
Deinde autem alios non minus ama, quam te,
Properantem plurimis ad plurima bene facere.
Nihil enim hominem magis aſſimilat Deo.
Poſt Deum autem primum venerare parentes,
Qui te,o chare, & nutrierunt, & in lucem produxerunt,
Et viventes adhuc ama, & mortuos.
Facito aliis, quae ab aliis libens acciperes.
Ne laedito,o fili,quantum in te ſitum eſt,quemquam.
Alienum ne furare, ne maledicito.
Ne libenter ea loquitor, quae facere fas non eſt.
Mendacium autem fuge. Omnis enim,qui mendacia dicit,
Si quidem ſponte id faciat, infidus eſt: ſin invitus, imprudens,
Ab innovationibus te ipſum cohibe longiſſime,
Et legũ optimas ſcito eſſe eas,quae ſunt antiquiſſimae
Inanis autem gloriae cauſſa haec ne feceris:
Sed quia,honeſta cum ſint, ea praecipit Deus.
Et virtus & gloria venalis eſt labore.
Labora,dum potes, ut cum imbecillis eris, quieſcas.

Ab

Νέοις ἔτ' ἐστὶν ἐκπονηθέντες πόνοι
Φιλοῦσι τοῖς γέρουσι ῥαστώνην φέρειν.
Τῶν νουθετούντων, παῖ, φιλήκοος γίνου.
Οὐχ ὁ κολακεύων σ' ἀλλ' ὁ νουθετῶν φιλεῖ.
Μετάδος προθύμως τοῖς πένησιν ὧν ἔχεις,
Τὰ δοθέντ' ἐκείνοις αὐτὸς ἐκτίσει Θεός.
Ἐπισφαλές πως πρᾶγμ' ὑπάρχει πλοῦτος νέος.
Καὶ γὰρ θρασὺς πρὸς πάντα, καὶ νοῦς οὐκ ἔνι.
Δανεισμάτων κάλλιστον εὖ ποιεῖν φίλους,
Πλούτου δὲ χρῆσις ἥδε τιμιωτάτη.
Ἀεὶ τὸ γειτόνημα τῶν κακῶν κακόν,
Ἀγαθὸς δ' ἀνὴρ μόνον ἐγγὺς οἰκῶν ὠφελεῖ.
Ἐν νῷ τὸ νικᾶν ἐστιν, οὐκ ἐν σώματι.
Βούλευμα πολλὰς ἓν σοφὸν νικᾷ χέρας.
Ὀλίγον πρὸς ὀλίγῳ προστεθὲν σωρὸν ποιεῖ.
Ἐλεύθερος ζῆν μᾶλλον ἢ δοῦλος θέλοις.
Καλὴν δὲ δόξαν ἀντ' ἀδοξίας λαχεῖν.
Δαπάνην δὲ φεύγειν, καὶ τὶ κερδαίνειν ἀεὶ
Μετ' ἀσφαλείας ῥᾷστα, κινδύνου δ' ἄτερ.
Ἀπέχου πονηρῶν, κἄνπερ ἡδονὴ προσῇ.
Ὅστις πρὸ τοὔργου μὴ φοβεῖται τὴν δίκην,
Μετὰ τοὔργον ὀψὲ σωφρονῶν φοβήσεται.
Κάλλιστόν ἐστι μάθημα γιγνώσκειν Θεόν,
Ἄνευ δὲ τούτου τἄλλα πάντ' ἀνωφελῆ.
Μηδὲν φρονήσῃς σεμνὸν, ἄνθρωπος γὰρ εἶ.
Μηδὲν ταπεινὸν, οὐρανὸς γὰρ σοὶ πάτρα.
Λέξων κακῶς ἄλλον τιν', εἰς σαυτὸν βλέπε,
Μηδὲ ψέγ' ἄλλους, οὐκ ἀμεμπτος αὐτὸς ὤν.
Περὶ τῶν κρατούντων ὁπόταν ἐμπίσῃ λόγος,
Σιγᾶν ἄδειψόν τ' ἐστὶν κ' ἀσφαλέστατον.
Ἐλευθέρου δ' ἐκόντα δουλεύειν νόμοις,
Οἷς ὅτε λατρεύεις, ἴσθι λατρεύων Θεῷ.
Τοιοῦτός ἐσθ' ἕκαστος, οἵοις ἥδεται,
Διάκρισις ἤθους ἥδε δ' ἀκριβεστάτη.

Ab iis, qui adhuc iuvenes ſunt, excepti labores,
Solent ſenibus commoditatem otii adferre.
Eos, qui te corripiunt, fili, libenter auſculta,
Non qui tibi adulatur, amat te, ſed qui te corripit.
Participes libenter facito pauperes eorum quae habes,
Quae dantur illis, ipſe perſolvet Deus.
Periculoſa quodammodo res eſt, iuvenis ſupra mo-
dum dives.
Nam & audax eſt ad omnia, & mens non ineſt.
Pulcherrimum foenus eſt, benefacere amicis,
Opum autem uſus hic eſt omnium honoratiſſimus.
Semper mala eſt malorum vicinia, (bitet, prodeſt.
Bonus autem vir etiam ſi nihil aliud, quam prope ha-
In mente conſiſtit vivendi facultas, non in corpore.
Unum ſapiens conſilium multas vincit manus.
Parvum parvo additum efficit acervum.
Liber vis potius, quam ſervus, vivere?
Et bonam famam, non infamiam conſequi,
Sumtum autem fugere, & ſemper aliquid lucrari
Tuto, facillime, & ſine periculo? (ptas.
Abſtineto a rebus turpibus, etiamſi admiſta ſit volu-
Quicunque antefactum non timet iudicium,
Poſt factum ſero ſapiens timebit.
Pulcherrima diſciplina eſt, Deum cognoſcere:
Sine hac autem aliae omnes inutiles ſunt.
Nihil ſuperbum animo cogites, homo enim es:
Nihil humile, patria enim tibi eſt coelum.
Detracturus de alio quopiam, teipſum intuere,
Neque vitupera alios, cum ipſe reprehenſione non
De principibus cum inciderit ſermo, (careas.
Tacere & ſitim non facit, & tutiſſimum eſt.
Id liberi eſt ſervire ſponte legibus,
Quibus dum ſervis, ſcito te Deo ſervire.
Talis eſt quiſque, qualibus oblectatur:
Haec autem eſt certiſſima morum diiudicatio.
Uten-

Τοῖς χρωμένοις τὰ χρήματ' ἐστὶ χρήματα,
Ἄχρηστα δ' ἄλλως κἀνόνητα κτήματα.
Μηδὲν ποιῶν πονηρὸν ἐλπίσῃς λαθεῖν.
Μάταιος ἐλπίς· ὀξυδερκὴς γὰρ Θεός.
Πολύφιλον εὐτυχεῖ, ἄφιλοι δ' οἱ δυστυχεῖς.
Παύροις ἐνοῦσαν πίστιν εὑρήσεις βροτῶν,
Σοφὸν δ' ἔπος παλαιὸν, οἱ πλείους κακοί.
Οὐ συγκυροῦσι νοῦς τε καὶ πλοῦτος πολύς,
Κτῆσις γὰρ ἄμετρος τῷ φρονεῖν ἐπισκοτεῖ.
Ἀμαθία πολλὴ, καὶ δοκοῦντί περ σοφῷ,
Τὸ τ' ἄλλα γνῶναι πάνθ', ἑαυτὸν δ' ἀγνοεῖν.
Νίκη, φρονήσεως ὥσπερ οὖσα συγγενὴς,
Πρὸς τοὺς φρονοῦντας, οὐ πρὸς ἰσχυρούς ῥέπει.
Ὅπου ἐστὶν ἔργων καιρὸς, ἄχρηστοι λόγοι.
Ῥίζων οὐρανίδαις, κ' αὐτὸς τὰ δέοντα ποίησον,
Ἡ γὰρ ἀπ' ἀργούντων τάγε πλεῖστ' ἀνεμώλιος εὐχή.
Λόγος ἐστὶ πολλοῖς κομψὸς, ἔργα δ' ἀπρεπῆ.
Κακὸς δ' ὁ μέτρια μὲν λέγων, πράττων δὲ μή.

Ἀπὸ παίζοντος εἰς τὸ πίνειν.

Ὕδατι δεῖ τὰ ῥάκη πλύνειν, οἴνῳ δὲ λάρυγγα,
Καὶ βατραχοῖσιν ὕδωρ, οἶνον δ' ἄνδρεσσι προπίνειν.

Ἐπανόρθωσις.

Ὑδροποτεῖν κάλλιστον, ἐπεὶ νόος ἔμπεδος αἰεὶ
Νηφόντων, μεθύων δ' ὑῒ μᾶλλον ἢ ἀνδρὶ ἔοικε.

Εἰς τὸ αὐτό.

Πόμ' ἀνθρώποισιν οἶνος, ὕδωρ θρέμμασι.

Ἐπανόρθωσις.

Πολλοὺς ποτεῖς ἀπείκασ' οἶνος θρέμμασι.
Σαυτὸν φιλεῖς ἄνθρωπε, τὴν ψυχὴν φίλει.
Κείνη γὰρ εὖ σωθεῖσα συσσώζει δέμας,
Ἀμελουμένη δὲ καὶ τὸ σῶμ' ἅμ' οἴχεται.
Σοφοῖσιν οὐδεὶς πὰρ κρεταῖς ἀκουστέος,
Λόγους ἐπ' ἔργοις προσφέρων αἰσχροῖς καλούς.
Σοὶ φίλος αἰσχρὰ φιλῶν μήτ' εἴη, μήτε γίνοιτο,
Κάλλιστος δ' ἀρετῇ δεσμὸς ὁμοφροσύνης.

Πλεί-

Utentibus pecuniae vere ſunt pecuniae,
Aliter autem inutiles & infructuoſae poſſeſſiones.
Nil improbe feceris, ſperans fore ut lateas:
Vana ſpes eſt, acute enim videt Deus.
Amicis abundat felicitas, infelices autem amicis ca-
Paucis ineſſe hominibus invenies fidem, (rent.
Sapiens autem dictum vetus: plures mali.
Non concurrunt & multa prudentia, & multae opes.
Nam immodica opum vis menti caliginem offundit.
Magna inſcitia eſt etiam ei, qui videtur ſapiens,
Alia noſſe omnia, ſe ipſum autem ignorare.
Victoria, ut quae prudentiae cognata ſit,
Ad conſideratos, non ad robuſtos, inclinat.
Ubi opus eſt factis, inutiles ſunt ſermones.
Sacrificans coeleſtibus, etiam ipſe quae oportet facito,
Nam vota, quae a ceſſantibus fiunt, plerumque irrita
Multis compta eſt oratio, ſed facta indecora (ſunt.
Malus autem eſt, qui modeſta quidem loquitur, ſed
(non facit.

Iocoſum de potu vini.

Aqua oportet pannos laceros abluere, vino autē guttur:
Et ranis aquam, vinum antem viris propinare.

Correctio.

(ſemper eſt
Aquam bibere optimum eſt, ſiquidem mens conſtans
Sobriorum: ebrius autem ſui ſimilior eſt quam viro.

De eodem.

Potus hominibus eſt vinum, aqua pecudibus.

Correctio.

Vinum epotum multos pecudum ſimiles reddidit.
Te ipſum amas o homo? animam ama.
Illa enim ſervata ſimul conſervat corpus,
Neglectae autem ipſi etiam corpus ſimul interit.
Apud ſapientes iudices nemo audiendus eſt,
Qui ſuper turpibus factis pulchros ſermones adferat.
Tibi amicus, qui turpia amat, neque ſit, neque fiat,
Pulcherrimum autem concordiae vinculum virtus.

Πλεῖστους ἀεὶ φοβήσεθ' ὁ πλείστους φοβῶν.
Ἀργομένων φιλίη, φυλακή τ' ἄρχοντος ἀρίστη.
Οὐδ' ὅλως μισεῖ, κεῖνος δ' ἐπικίνδυνος ἀρχή.
Πολλοῖς ἀπιστῶν, οὐχ ἁμαρτήσεις πολύ.
Συνοδοιπόροι ποτ' ἦσαν ἄνθρωποι δύο,
Ὧν ἦν βραδὺς μὲν εἷς, ὁ δ' ἕτερος ταχύς.
Χ' ὡ μὲν ταχὺς ἐβράδυν', ὁ δὲ βραδὺς ἔτρεχε,
Ὁ ταχὺς, πρὸ τῆς δείλην γενέσθ', ἐλείπετο.
Τὸ μὲν ἴσον ἐστὶ τῶν φίλων συνεκτικόν,
Τὸ δὲ πλεονεκτεῖν μῖσος ἐξεργάζεται.
Κάλλιστόν ἐστι τῶν ἐν ἀνθρώποις δίκη.
Ὑγιὲς δὲ πάντη σῶμα, θησαυρὸς μέγας.
Τοῖς δ' εὖ τραφεῖσιν ἡδονὴν πολλὴν φέρει
Τὸ καλῶν ἐρῶντας τῶν ἐρασθέντων τυχεῖν.
Δόκησις ὄχλου φαῦλος ἡγεμὼν βίου.

Πλάτωνος γνῶμαι.

Χρυσὸς πολὺς, μέγιστον ἐν πόλει κακόν.
Ἐλέησον ἄλλους, ἵν' ἐλέους καὐτὸς τύχῃς.
Καλὸν οὐ τὸ πλουτεῖν, ἀλλὰ τὸ πλουτεῖν ἐκ καλῶν.

Οὐιτελλίου τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος γνώμη.

Ἥδιστον ὄζει πολέμιος νεοσφαγής.

Τὸ αὐτὸ ἄλλως.

Ἐχθροῦ σφαγέντος εὔοδμον κρέας πνέει.

Ἐπανόρθωσις.

Ὁ συγγινώσκων δυσμενεῖ, κτᾶται φίλον.
Βδελυρὸν δὲ πρᾶγμα πανταχοῦ μιαιφόνος.
Μή τινί ποτ' ἄχθος τόσσον ἐμπέσοι κακῶν,
Ὅσον δύναιτ' ἂν, καὶ σθενής περ ὢν φέρειν.
Κακὸν πολίτης τοῦ νόμου σοφώτερος.

Ὁρατίου ποιητοῦ Ῥωμαϊκοῦ γνώμη.

Νοῦς, κάλλος, εὐγένεια, πάντ' ἐν χρήμασι.

Ἐπα-

Plurimos ſemper metuet, qui plurimos terret.
Subditorum amicitia, optima principis cuſtodia eſt.
Quem autem populus odit, illius intutum eſt imperium.
Multis diffidens, non multum aberrabis.
Iter una faciebant olim homines duo,
Quorum erat tardus quidem unus, alter autem celer:
Et celer quidem tardo ibat: tardus autem currebat,
Celer ille, antequam adveſperaſceret, relictus eſt.
Aequale quidem amicos continendi vim habet:
Plus autem ſibi arrogare, inimicitias efficit.
Pulcherrimum eſt in rebus humanis iuſtitia.
Corpus autem ex omni parte ſanum, magnus theſaurus eſt.
Bene autem educatis magnam voluptatem adfert,
Honeſta amantes, conſequi ea, quae amant.
Opinio vulgi, malus dux vitae.

Platonis ſententiae.

Multum aurum maximum malum eſt in civitate
Miſerere aliorum, ut & tu miſericordiam conſequaris.
Non opibus affluere pulchrum eſt: ſed opes pulchris rationibus partas habere.

Vitellii Romanorum Imperatoris ſententia.

Suaviſſime olet hoſtis recens interfectus.

Idem aliter.

Inimici iugulati ſuavem odorem ſpirat caro.

Correctio.

Qui ignoſcit inimico, amicum parat,
Abominanda autem ubique res eſt homicida:
Nec cui unquam tantum malorum pondus incidat,
Quantum perferre, quantũ libet imbecillus ſit, queat.
Mala res eſt civis lege ſapientior.

Horatii Poetae Romani ſententia.

Prudentia, forma, nobilitas omnia inſunt in pecuniis.

'Επανόρθωσις.

Νοῦς ἐκπορίζει χρήματ' οὐ νοῦν χρήματα.
Πλοῦτος δὲ μήτ' εὔμορφον ἀπέδειξ' οὐδένα,
Μήτ' εὐγενῆ τὸν πρὶν ὄντα κιβδήλου γένους.
Ἄριστον αἰδὼς χρῆμα τῷ κεχρημένῳ.
Ὅρκος ἄγαν προπετὴς πολλοῖς κακὰ μυρί' ἔθηκε.
Φείδεο, μὴ προπετῶς ὄμνυε, μήτε μάτην.
Ὦ γλῶσσα, γλῶσσ' ὡς μόριον οὖσα πάμμικρον,
Μεγάλ', ἂν ἀπῇ χαλινὸς, ἐργάζῃ κακά.

Φωκυλίδου πονηρὰ γνώμη.

Πρώτιστα πλοῦτον, εἶτα δ' εὐσεβήσομεν.

'Επανόρθωσις.

Πρῶτ' εὐσεβεῖν χρεών, εἶθ' ὁ πλοῦτος ἕψεται.
Τῶν γὰρ δικαίων κάρτα κήδεται θεός.
Τὰ περὶ τὸ θεῖον μήποτε πολυπραγμονῇς.
Ἰδεῖν γὰρ οὐκ ἐφικτὰ, πιστεύειν δ' ἅλις.
Εἰ τὰ παρόντ' ἀγαπᾷς, βασιλήων βασιλεύτερος ἔσσῃ,
Εἰ δὲ μὴ ἀργαλέῃ τήκεαι ἐν πενίῃ.
Οὐ σοφός ἐστιν ἐκεῖνος, ὃς ἄλλων πλείονα οἶδεν
Ἀλλ' ὁ εὖ ἐν καιρῷ χρώμενος, οἷς ἔμαθε.
Ὁ πλειόνων δεῖ, κ' οὐχ ὁ παῦρ' ἔχων, πένης.
Ἔλπιζε πάντ' ἄνθρωπε, καὶ πάντ' εὐλαβοῦ.
Τὸ τ' ἄγαν ἀπιστεῖν, καὶ τὸ πιστεύειν ἄγαν,
Ἡ μὲν πονηρῶν, ἡ δὲ ἠλεῶν νόσος.
Σωτηρία πόλεως, οὐ καλῶς κεῖσθαι νόμους,
Ἀλλ' ἰσχύειν τε καὶ κρατεῖν εὖ κειμένους.
Πᾶσ' ἐστ' ἀνάγκῃ τῷ μακρῷ ποτ' ἐν χρόνῳ
Ψευδῶν ἀπ' ἀγαθῶν ἰτέα συμβῆναι κακά.
Πράττοντα τὰ καλ' ἀδυνατόν ἐστι κακοπραγεῖν.
Ἀποροῦντα τὸν δίκαιον οὐχ ἑώρακα,
Μήποτε ματεύσῃς περὶ Θεοῦ, πῶς τοῦτο δρᾷ.

Correctio,

Prudentia parat pecunias,non prudentiam pecuniæ.
Opes autem neq; formoſum quemquam reddiderunt,
Neque nobilem, qui prius eſſet ignobilis.
Inutilis eſt pudor homini egenti.
Iuſiurandum nimis promptum ingentem vim malorum attulit multis.
Parce, neque prompte iurato, neque fruſtra.
O lingua, lingua, ut particula cum parva ſis,
Magna, ſi frenum abſit, efficies mala.

Phocylidae improba ſententia.

Primum omnium habeamus divitias, deinde autem pietatem colemus.

Correctio. (tur.

Primum pietatem colere oportet,deinde opes ſequen-
Iuſtorum enim valde magnam curam gerit Deus.
Quae ad divinum numen pertinent, nunquam curioſe quaeſieris. (tis eſt.
Neque enim viſu attingi poſſunt, credere autem ſa-
Si iis,quae adſunt,contentus es,regalior es ipſis regi-
Si minus,moleſta contabeſcis in paupertate. (bus:
Non ille ſapiens, qui aliis plura ſcit:
Sed qui bene, & oportune utitur iis, quae didicit,
Qui pluribus eget, non qui pauca habet, pauper eſt.
Spera omnia, o homo, & omnia metue.
Et nimis incredulum eſſe, & nimis credere,
Ille quidem improborum, hic autem fatuorum morbus eſt. (leges,
Salus civitatis non in eo conſiſtit,ut bene poſitae ſint
Sed ut bene poſitae robur obtineant & imperent.
Neceſſe eſt in longinquitate temporis
Bonis ex falſis vera ut eveniant mala.
Qui quae honeſta ſunt,agit,fieri non poteſt,ut ma-
Egentem iuſtum non vidi. (le rem gerat.
Ne unquam quaeſieris de Deo: quomodo hoc facit?

Τὸ δρᾷν γὰρ αὐτῷ ταυτόν ἐστι τῷ θέλειν.
Πηνέτου πρόκριvον σῶμα, νοῦν δὲ σώματος.
Θνητὸν τὸ σῶμα πᾶσι, νοῦς δ' εἰκὼν Θεοῦ.
Πῶς δή ποτ' ἕξεις τ' ἄλλα, σαυτὸν οὐκ ἔχων;
Τῶν ἀδυνάτων ἓν τοῦτο τοῖς σοφοῖς δοκεῖ,
Ἅμ' ἀγαθὸν εἶναι σφόδρα καὶ πλουτεῖν σφόδρα.
Μουρήτου λόγος ἐστὶ πόνου μετὰ μηδὲν ἄελπτον.
Καὶ τόδε Μουρήτου· μηδὲν ἄτερθε πόνου.
Οὐδὲν φοβήσει τοὺς θεὸν φοβουμένους.
Πολλοῖς προσάπτει θάρσος ἡ μὴ ἐμπειρία;
Πεῖρα δ' ὄκνος τε κ' ἀυλάβεια ξύμφυτος.
Οὐκ ἔστιν ὀδμὴ πάντοθεν κέρδους καλή,
Ἀλλ' ἔστιν οὗ καὶ ζημίαν κέρδος φέρει.
Τὰ λεγόμεν' ἐν σκότῳ πλανᾶσθαι φάσματα,
Ἢ μηχανήματ' ἐστὶ τῶν τοιχωρύχων,
Ἢ δειλιώντων πλάσματ', ἢ μοιχῶν δόλοι,
Ἢ φιλογελώτων παίγματ', ἢ γραῶν ὕθλοι.
Οὐκ ἐνδεὴς ὤν, τῶν φίλων πεῖραν λάβε,
Ἵν' ἐνδεῆ σε προσδοκᾷν τί χρή, μάθῃς.
Οὐκ ἀγαθὸν ἄρχων τῇ πόλει νόμου κρατῶν·
Ἀγαθὸν δ' ἐκεῖνος, ὃς νόμοις ὑπηρετεῖ.
Πονηρὸν εἶναι, καὶ θέλειν ὅμως δοκεῖν
Ἀμείνον' ἄλλων, ἐσχάτη πονηρία.
Λαβὼν ἔσοπτρον, εἶδος εἰσάθρει τὸ σόν,
Ἵν' εἴ σε μήτηρ εὐπρόσωπον γείνατο,
Καλὸν πρόσωπον ἤθεσι στέψῃς καλοῖς.
Ἐὰν δ' ἄμορφος καὶ δυσειδὴς ὢν τύχῃς,
Σπεύδῃς καλῷ τοὔλλειμμ' ἀναπληροῦν τρόπῳ.
Τὰ δεσποτῶν ἄῤῥητα μὴ ζήτει μαθεῖν·
Οὐδένα τ' ἐξαπατᾷν, καὶ ὑπ' οὐδενὸς ἐξαπατᾶσθαι.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνο κακοῦ, καὶ τόδε νηπιάχου.
Βασάνισον εὖ βούλευμ' ὑπ' ἐχθροῦ σοὶ δοθέν,
Τὰ γὰρ παρ' ἐχθρῶν πάνθ' ὑποπτεύειν, σοφόν.

Ἂν

Nam facere & velle ipſi idem eſt .
Opibus pluris facito corpus, mentem autem corpore
Mortale corpus eſt omnibus,mens autem imagoDei.
Qui tandem habebis alia, teipſum non habens ?
Unum hoc eorum,quae fieri non poſſunt,ſapientibus videtur ,
Simul valde bonum eſſe , & valde divitem .
Omnia ſunt , Muretus ait , ſperanda labore .
Hoc quoque Mureti eſt : abſque labore nihil .
Nihil terrebit illos , qui Deum timent .
Multos audaces facit experientia ,
Experientiae autem tarditas & cautio cognata eſt .
Non eſt lucri bonus odor , undecumque ſit ,
Sed & iactura interdum potior eſt lucro.
Spectra illa , quae dicuntur in tenebris vagari ,
Aut machinamenta ſunt eorum , qui perfodiunt parietes ,
Aut timidorum figmenta , aut adulterorum doli ,
Aut hominũ riſus amantium ludicra,aut anuum fabulae.
Dum non eges,amicorum periculum facito,
Ut, quid te, cum egueris, expectare oporteat,diſcas.
Non bonum eſt civitati magiſtratus,qui legibus imperat.
Bonum autem ille, qui legibus ſubſervit.
Improbum eſſe , & velle tamen videri
Meliorem aliis , ultima eſt improbitas .
Sumpto ſpeculo , formam tuam inſpice;
Ut ſi te mater decoro vultu genuit ,
Pulchrum vultum pulchris moribus corones ;
Sin autem informis , & aſpectu foedus ſis,
Properes bonis moribus id,quod tibi deeſt,ſupplere.
Secreta dominorum ſcire ne quaerito.
Nec falli a quoquam,nec quenquam fallere, pulchrũ eſt:
Illud ſtultitiae ; hoc improbitatis opus .
Bene explorato conſilium ab inimico tibi datum :
Omnia enim ab inimicis profecta ſuſpecta habere ſapientis eſt .

Ἂν δ' ἐξετασθὲν ἀκριβῶς, χρηστὸν φανῇ,
Τὸ χρηστὸν ὂν, τοῦ δόντος ἀμελήσας, δέχου.
Ἀβελτέρου σημεῖον, ὧνπερ ἀφρόνως
Ἥμαρτεν αὐτὸς, αἰτιᾶσθαι τὴν τύχην.
Πόνος σχολὴν ἔφυσε, καὶ σχολὴ πόνον.
Ὡς βλαβερὸν ἐσθ' ἡ τῶν δεόντων ἀμβολή·
Ἀτελῆ κατέστησ' ἔργα, καὶ μόχθον διπλοῦν.
Ὁτιοῦν τιν' ἄλλον εἰσίδῃς πεπονθότα,
Ἡγοῦ δύνασθαι πάντας ἐξ ἴσου παθεῖν.
Εἷς γὰρ κυβερνᾷ πάντα τ' ἀνθρώπων νόμος.
Φίλους μὲν εὐκτόν ἐστιν ὡς πλείστους ἔχειν,
Ὀλίγους δ' ἔχων τις, ἀλλὰ πιστοὺς, εὐτυχεῖ.
Εὔελπις οὔτε τοῦ μέτρου πέραν γίνου,
Οὔτ' αὖ δύσελπις, μέτρον ἐν πᾶσι πρέπει.
Ὦ φίλτατ', οὔ σοι πολλὰ πυροφόρου πλέθρα
Οὐ χρυσίου τάλαντα καλλείψω θανὼν,
Οὐδὲ πολὺν ὄλβον, οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ ἐμοί,
Ἀγαθός περ ὢν αὐτός τε, κ' ἐξ ἀγαθῶν γεγώς.
Αἰδῶ δὲ πολλὴν, εἰ θεὸς βουλήσεται,
Ἐνθήσομαί σοι, καὶ πολὺν θεοῦ φόβον,
Καί σ' ἐκδιδάξω προσφιλοῦς σπουδῆς μέτα,
Οἷς κ' αὐτὸς ὢν παῖς ἐντραφῆν, μαθήματα,
Γενόμεν' ἐμοὶ μὲν παντὸς ἐφόδιον βίου,
Κόσμον δὲ σοίγ' ἐσόμενα καὶ τέρψιν μόνον,
Οὐ γάρ σ' ἀνάγκη, (ξὺν θεῷ δ' εἰρήσεται,)
Βίου σπανίζοντ' ἀνδρὶ θητεῦσ' οὐδενί,
Λαβόντα παρ' ἐμοῦ μέτρι', ἀλλ' ἀρκοῦνθ' ὅμως.
Σὺ δ' ὦ φίλον γέννημα φιλτάτου πατρός,
Τάχιστά μοι γέρθητι πρὸς γνῶσιν καλῶν:
Νωθρὸς γὰρ οὐδὲν οὐδὲ δυσμαθὴς ἔφυς,

Δοκεῖ

Quod ſi diligenter examinatum bonũ eſſe conſtiterit;
Ne curato, quis dederit, ſed quod bonum eſt, capito.
Fatui ſignum eſt eorum, quae imprudenter
Peccavit ipſe, culpam coniicere in fortunam.
Labor otium parit, & quies laborem.
Ut noxia res eſt eorum, quae fieri oportet, dilatio:
Imperfecta reddit opera, & laborem duplicem.
Quodcunque cuiquam contigiſſe videris,
Puta aeque idem poſſe omnibus contingere:
Namque una lex humana gubernat omnia.
Amicos optabile quidem eſt quam plurimos habere:
Paucos autem habens aliquis, ſed fidos, fortunatus eſt.
Neque ad ſperandum ſupra modum facilis eſto,
Neque viciſſim difficilis, modus omnibus in rebus decorus eſt.
O chariſſime, non tibi multa arvi iugera,
Non auri talenta relinquam moriens,
Neque multas opes. Nam ne mihi quidem pater:
Quamvis & bonus eſſet ipſe, & bonis prognatus.
Pudorem autem multum, ſi Deus volet,
Indam tibi, & multum Dei timorem,
Et te edocebo amanter ac ſollicite
Eas, quibus & ipſe, cum puer eſſem, innutritus ſum, diſciplinas,
Quae mihi quidem fuerunt totius viaticum vitae,
Tibi autem ornamento tantum & oblectationi futurae ſunt.
Non enim cogeris, (cum Deo autem dictum ſit,)
Victu indigens cuiquam homini ſervire,
Cum acceperis a me modica quidem, ſed tamen ſufficientia.
Tu vero, o amica proles amiciſſimi patris,
Citiſſime mihi expergiſcere ad cognitionem rerum pulchrarum.
Nullam enim ad rem natus es lentus aut indocilis,
Vi-

Δοκεῖς δὲ μᾶλλον δ' ἀμαθής τε κ' ἀγχίνους.
Ὁρᾷς ἐμ', ὡς καὶ νωδὸς ἐκ πολλοῦ γέρων
Καὶ βηχὸς αἰεὶ καὶ κατάῤῥου μεστὸς ὤν,
Οὐ παύομαι νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν
Νεανίαις πρέποντας ἐξαντλῶν πόνους.
Πρωῒ δ' ἐπ' ἠοῖ πρῶτος οἰκέτας καλῶ,
Λύχνου δεόμενος, εἶτα δ' οἴκου, βιβλίοις
Ὡς προσετηκὼς, σπάνιος ἐκφέρω πόδα.
Παράδειγμα τοῦτό σοι γένοιτο, παῖ φίλε,
Τοῦ μὴ ῥαθυμεῖν, ἀλλ' ἐπιστήμης τ' ἐρᾷν,
Καὶ σώματος ἀφειδοῦντα φείδεσθαι χρόνου.
Ταῦτ', ὦ παῖ, ξυνέγραψα, δοκῶν σοι ὀνήσιμ' ἔσεσθαι·
Μείζονα δ' ἐν μείζονι δέξεαι ἡλικίῃ.

Videris autem potius factus ad diſcendũ & ingenioſus.
Vides me, ut & edentulus a multo tempore ſenex,
Et tuſſis ſemper & pituitae plenus cum ſim,
Non deſino & noctu & interdiu
Iuvenibus congruentes exhaurire labores.
Mane autem ſub auroram primus famulos voco
Lucernam petens: deinde autem domo, libris
Tamquam agglutinatus, rarus effero pedem.
Exemplum tibi hoc ſit, fili amice,
Ne dedas te ignaviae, ſed & ames ſcientiam,
Et corpori non parcens parcas tempori.
Haec, o fili, conſcripſi, putans tibi utilia fore.
In maiori autem aetate maiora accipies.

PU-

PUBLII SYRI MIMI
AUCTI ET CORRECTI,
EX
CODICE MANUSCRIPTO FRISINGENSI.

Ad Lectorem.

Publii Syri editio haec non eſt Mureti; tamen cum Mureto hic eam publicamus, eo conſilio, ut cum elegantiſſimo noſtri aevi ingenio elegantiſſimum illud priſci aevi ingenium habeas coniunctum; P. Syrum, inquam, cuius aliquot mimiambi iam antehac ab aliquibus ſunt editi, ut a Godofredo, ex membranis Cantabrigiae repertis: quas ipſe conqueritur & depravatiſſimas, & ſententias hinc inde fuiſſe infartas, pleraſque e Seneca depromptas. Scaliger in lucem dedit aliquot mimos Syri. Vellem indicaſſet, quis illi in Syri editione fundus, & quorum exemplarium fidem ſecutus ſit. Suo arbitrio alios mimos mutat, alios omittit. Nec deeſt exemplum, ubi verſum Laberii pro Publiano ponit. Henricus Stephanus quoque edidit aliquot mimiambos P. Syri, quos non per litteras, ut alii fecerunt, ſed per rerum capita digeſſit. Porro admodum reverendus, nobilis & eruditiſſimus Dominus Antonius Velſerus, *cathedralis Eccleſiae Friſingenſis Canonicus, in Bibliotheca Eccleſiae Friſingenſis membranas manuſcriptas reperit, & ad* Marcum *fratrem* II. virum Auguſtanum *tranſmiſit; hic ad nos: in quibus mimi P. Syri. Quos ubi cum aliis conferre coepi, illico deprehendi in Codice Friſingenſi quamplurimos optimae notae, vere Publianos, & perquam eleganter acutos mimiambos, qui in omnibus aliis hactenus deſiderabantur. Quare operae pretium*

tium viſum eſt, hos adiicere, & editionem novam, omnium pleniſſimam adornare. Quanto in pretio hi mimi fuerint apud ſapientes, teſtis ſit Romanus ſapiens, qui eos e theatralibus nugis, inter quas iactabantur, tanta cura ſelegit iiſque ſapientiae praecepta exornavit; probe enim ſcivit intima & ſeveriſſima Ethices praecepta mimorum numeris apte illigata eſſe; & quanta hoc factum ſit utilitate, paſſim teſtatur. Natura, *inquit*, ſundamenta dedit ſemenque virtutum: omnes ad omnia iſta nati ſumus. Cum irritator acceſſit, tunc illa animi bona velut ſoluta excitantur. Non vides, quemadmodum theatra conſonent, quoties aliqua dicta ſunt, quae publice agnoſcimus, conſenſu vera eſſe teſtamur?

Deſunt inopiae multa, avaritiae omnia.

In nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus.

Ad hos verſus ille ſordidiſſimus plaudit, & vitiis ſuis fieri convicium gaudet. *Et paulo poſt*: Nam,ut dicebat Cleanthes,quemadmodum ſpiritus noſter clariorem ſonum reddit,cum illum tuba per longi canalis anguſtias tractum, patentiore noviſſime exitu effudit: ſic ſenſus noſtros clariores carminis arcta neceſſitas efficit.Eadem negligentius audiuntur, minuſque percutiunt, quamdiu ſoluta oratione dicuntur: ubi acceſſere numeri, & egregium ſenſum adſtrinxere certi pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur. De contemptu pecuniae multa dicuntur, & longiſſimis orationibus hoc praecipitur,ut homines in animo,non in patrimonio putent eſſe divitias; eum eſſe locupletem, qui paupertati ſuae aptus eſt, & parvo ſe divitem fecit. Magis tamen feriuntur animi, cum carmine eiuſmodi dicta ſunt:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

Quod vult habet, qui velle quod ſatis eſt, poteſt;

Cum haec atque eiuſmodi audimus, ad confeſſionem veritatis adducimur. Illi enim, quibus nihil ſatis eſt,

ad-

admirantur, acclamant, odium pecuniae indicunt. *Haec Seneca, qui, quam magnifice hic hos quaternos Publianos mimos laudet, vides. Quia vero ille, qui mimos Syri primus collegit, eos ordine litterarum digeſſit, eundem nos ordinem ſervamus, ita ut cuiuſcunque litterae ſeriem accurate ſequamur.*

DE PUBLIO SYRO
ELOGIA:

Seneca lib. 1. Epiſt. 8.

QUam multi Poetae dicunt, quae a Philoſophis aut dicenda aut dicta ſunt. Non attingam Tragicos, aut Togatas noſtras: habent enim hae quoque aliquid ſeveritatis, & ſunt inter comoedias & tragoedias mediae. Quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet? Quam multa Publii, non ex calceatis, ſed cothurnatis dicenda ſunt? &c.

Idem lib. 1. de tranquill. vitae cap. 11.

NUnquam me in bona re mali pudebit auctoris. Publius tragicis comicisque vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias, & verba ad ſummam caveam ſpectantia reliquit? inter multa alia cothurno, non tantum ſipario fortiora, & hoc ait:

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Macrobius 2. Saturnal. capite ſeptimo reddens cauſſam, quare Caeſar, quem Laberio favorem ante exhibuit, in P. Syrum tranſtulerit.

SEd quia & paulo ante Aurelius Symmachus & ego, nunc Laberii fecimus mentionem; ſi aliqua huius atque Publii dicta referemus, videbimur & adhibendi convivio Mimos, vitaſſe laſciviam, & tamen celebritatem, quam quum adſunt illi excitare pollicentur, imitari. Laberium aſperae libertatis equitem Romanum Caeſar quingentis millibus invitavit

vitavit, ut prodiret in ſcenam, & ipſe ageret Mimos, quos ſcriptitabat. Sed poteſtas non ſolum, ſi invitet, ſed etſi ſupplicet cogit. Unde ſe & Laberius a Caeſare coactum in Prologo teſtatur his verſibus:

Neceſſitas, cuius curſus transverſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me detruſit poene extremis ſenſibus?
Quem nulla ambitio, nulla unquam Largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas
Movere potuit in iuventa de ſtatu;
Ecce in ſenecta ut facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placide blandiloquens oratio?
Etenim ipſi dii negare cui nihil potuerunt,
Hominem me denegare quis poſſet pati?
Ego bis tricenis annis actis ſine nota,
Eques Romanus e Lare egreſſus meo,
Domum revertar Mimus? Nimirum hoc die
Uno plus vixi, mihi quam vivendum fuit.
Fortuna immoderata in bono aeque atque in malo,
Si tibi erat libitum litterarum laudibus,
Floris cacumen noſtrae famae frangere.
Cur cum vigebam membris praeviridantibus,
Satisfacere populo, & tali cum poteram viro,
Non flexibilem me concurvaſti, ut carperes?
Nunc me quo deiicis? quid ad ſcenam affero?
Decorem formae, an dignitatem corporis?
Animi virtutem, an vocis iucundae ſonum?
Ut hedera ſerpens vires arboreas necat:
Ita me vetuſtas amplexu annorum enecat.
Sepulchri ſimilis, nil niſi nomen retineo.

In ipſa quoque actione, ſubinde ſe, qua poterat, ulciſcebatur, inducto habitu Syri; qui velut flagris caeſus, praeripientique ſe ſimilis, exclamabat:

Porro Quirites, libertatem perdimus.

Et

Et paulo poſt adiecit:

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Quo dicto univerſitas populi ad ſolum Caeſarem oculos & ora convertit, notantes impotentiam eius hac dicacitate lapidatam. Ob haec in Publium vertit favorem.

Is Publius natione Syrus, cum puer ad patronum domini eſſet adductus, promeruit eum non minus ſalibus & ingenio quam forma. Nam forte cum ille ſervum ſuum hydropicum iacentem in area vidiſſet increpuiſſetque, quid in ſole faceret? *reſpondit:* Aquam calefacit. *Iocularí deinde ſuper coena exorta quaeſtione:* quodnam eſſet moleſtum otium? *& alíud alio opinante, ille,* Podagrici pedes, *dixit. Ob haec & alia manumiſſus, & maiore cura eruditus, cum mimos componeret, ingentique aſſenſu in Italiae oppidis agere coepiſſet, productus Romae per Caeſaris ludos, omnes qui tunc ſcripta & operas ſuas in ſcenam locaverant, provocavit; ut ſinguli ſecum poſita invicem materia pro tempore contenderent. Nec ullo recuſante ſuperavit omnes; in quibus & Laberium; unde Caeſar arridens hoc modo pronunciavit:*

Favente tibi me victus es Laberi a Syro.

Statimque Publio palmam, & Laberio annulum aureum cum quingentis ſeſtertiis dedit. Tunc Publius ad Laberium recedentem ait:

Qui cum contediſti ſcriptor, hunc ſpectator ſubleva.

Sed & Laberius ſequenti ſtatim commiſſione, Mimo novo interiecit hos verſus:

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore,
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Conſiſtes aegre, & quum deſcendas, decides.
Cecidi ego, cadet, qui ſequitur, laus eſt publica.

Publii autem ſententiae feruntur lepidae & ad communem uſum accommodatiſſimae. Ex quibus has fere memini ſingulis verſibus circumſcriptas:

Beneficium pondo accepit, qui digno dedit.
Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.

Cui

Cui plus licet, quam par eſt, plus vult quam licet.
Comes facundus in via pro vehiculo eſt.
Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.
Haeredis fletus ſub perſona riſus eſt.
Furor fit laeſa ſaepius patientia.
Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium
facit.
Nimium altercando veritas amittitur.
Pars beneficii eſt, quod petitur, ſi cito neges.
Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.
Veterem ferendo iniuriam, invitas novam.
Nunquam periculum ſine periculo vincitur.

Haec Apud Macrobium.

Gellius lib. 18. cap. 14.

P*Ublius Mimos ſcriptitavit; dignuſque habitus eſt, qui ſuppar* (al. ſuper) *Laberio iudicaretur. C. autem Caeſarem ita Laberii maledicentia & arrogantia offendebat, ut acceptiores & probatiores ſibi eſſe Publii, quam Laberii Mimos praedicaret. Huius Publii ſententiae feruntur pleraeque lepidae, & ad communem uſum commendatiſſimae. Ex quibus ſunt iſtae ſingulis verſibis circumſcriptae, quas libitum hercle eſt adſcribere:*

Malum eſt conſilium, quod mutari non poteſt.
Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Feras non culpes, quod vitari non poteſt.
Cui plus licet, quam par eſt, plus vult, quam licet,
Comes facundus in via pro vehiculo eſt.
Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.
Haeredis fletus ſub perſona riſus eſt.
Furor fit laeſa ſaepius patientia.
Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium
facit.
Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.
Veterem ferendo iniuriam invitas novam.
Nunquam periclum ſine periclo vincitur.

Nimium altercando veritas amittitur.
Pars beneficii eſt quod petitur, ſi belle neges.
Haec apud Gellium.

Seneca lib. 7. controv. 3.

C*Aſſius Severus, ſummus Publii amator, aiebat, &c. Apud eum (Publium) melius erant dicta quam apud quenquam Comicum Tragicumque aut Romanum, aut Graecum &c.*

NOTAE VERSIBUS APPOSITAE ſic explicantur.

F. denotat manuſcriptum codicem Friſingenſem. Iam ſi cui verſui littera F. ſola apponatur, denotat illum in ſolo Friſingenſi reperiri, abeſſe autem in caeteris omnibus tam editione Godofredi, quam Henrici Stephani, & Scaligeri.

G. denotat editionem Godofredi. Iam ſi cui verſui littera G. ſola apponatur, denotat illum in ſola editione Godofredi reperiri: abeſſe autem in Ms. Friſingenſi, & in Henrici Stephani & Scaligeri editione.

H. denotat editionem Henrici Stephani. Iam ſi cui verſui littera H. ſola apponatur, denotat illum tantum in editione Henrici Stephani reperiri, non autem alibi.

S. denotat editionem Ioſephi Scaligeri. Iam ſi cui verſui littera S. ſola apponatur, denotat illum tantum in Scaligeri editione eſſe, non autem alibi.

Binae ex his litteris, denotant illum verſum in binis illis codicibus, quos litterae ſignificant, reperiri; in reliquis non. Ternae vero litterae denotant verſum in ternis reperiri, ſed deſiderari in eo codice, quem notat littera omiſſa. Ut exempli gratia F. G. denotat verſum in Ms. Friſingenſi, & in Godofredi editione reperiri, deſiderari vero in Henrici Stephani & Scaligeri. Sic F. G. H. denotat verſum reperiri in

Ms.

Ms. Friſingenſi, & in Godofredi & Henrici editione; abeſſe autem in editione Scaligeri. Et ſic de caeteris.

Si nulla littera appoſita ſit verſui, ſignum eſt illum in omnibus reperiri, tam in codice Ms. Friſingenſi, quam in editionibus Godofredi, Henrici Stephani & Scaligeri.

† denotat nec eſſe Mimum Publianum, nec carmen, ſed ſententiam aliunde intruſam.

PUBLII SYRI MIMI SELECTAE SENTENTIAE.

G. †. A Duabus cauſſis praeſtare princeps ſolet, ſi aut ſe vendicat, aut alium.
S. A morte ſemper homines tantundem abſumus.
Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.
Ab amante lacrymis redimas iracundiam.
G.† Aberrare a fortuna tua non potes, obſidet te: quocunque deſcenderis magno apparatu ſequitur. *Senec.* 1. *clem.* 8. 5.
Abſentem laedit, cum ebrio qui litigat,
G.† Acerrima virtus eſt quam, ultima neceſſitas excutit *Senec. ibid. cap.* 11.
Ad calamitatem quilibet rumor valet.
Ad poenitendum properat, cito qui iudicat.
Ad triſtem partem ſtrenua eſt ſuſpicio. 10.
S. Adulter eſt uxoris amator acrior.
S. Aes debitorem leve, grave inimicum facit.
G.† Agat princeps curam, non tantum ſalutis, ſed honeſtae cicatricis. *ibid. cap.* 7.
Aleator, quantum in arte eſt, tanto eſt nequior.
Aliena nobis, noſtra plus aliis placent. 15.
Alienum aes homini ingenuo acerba ſervitus.

Alienum eſt omne quicquid optando evenit.
S. Alterius damnum gaudium haud facias tuum.
Amans iratus multa mentitur ſibi.
Amans quid cupiat ſcit: quid ſapiat, non videt. 20.
Amans quod ſuſpicatur, vigilans ſomniat.
F. Amans ſicut fax, agitando magis ardeſcit.
Amare & ſapere vix Deo conceditur.
Amare iuveni fructus eſt, crimen ſeni.
F. Amantis iuſiurandum poenam non habet.
F. Amantium ira, amoris integratio eſt.
Ames parentem, ſi aequus eſt; ſi aliter feras.
S. Amicis eo magis des, quo nihil habes.
S. Amicitia pares aut accipit, aut facit.
S. Amicitia ſemper prodeſt, amor & nocet. 30.
Amici vitia niſi feras, facis tua.
G.H. Amicos res opimae parant, adverſae probant.
F. Amicum, an hoſtem habeas, aperit calamitas.
S. Amicum laedere ne ioco quidem licet.
S. Amicum perdere eſt damnorum maximum. 35.
Amor animi arbitrio ſumitur, non ponitur.
Amor extorqueri non pote, elabi pote.
Amori finem tempus, non animus facit.
Amoris vulnus idem, qui ſanat facit.
Amor miſceri cum timore non poteſt. 40.
Amor otioſae cauſſa ſolicitudinis.
Amor, ut lachryma, ab oculis oritur, in pectus cadit.
Anguſta capitur tutior in menſa cibus.
Animo dolenti nihil oportet credere.
F. Animo imperabit ſapiens, ſtultus ſerviet. 45.
F. Animo virum pudicae, non oculo eligunt.
Animus, vereri qui ſcit, ſcit tuto ingredi.
S. Animus hominis, quicquid ſibi imperat, obtinet.
Anus, cum ludit, morti delicias facit.

Aperte

Aperte mala cum eſt mulier, tum demum eſt bona. 50.

G.H.S. Arcum intenſio frangit, animum remiſſio.

S. Ars non ea eſt, quae ad effectum caſu venit.

Aſpicere oportet, quod poſſis deperdere.

Aſtute crines dum celantur, aetas indicatur.

Avaro quid mali optes, niſi ut vivat diu? 55.

Avarum facile capias, ubi non ſis idem.

S. Avarum irritat, non ſatiat pecunia.

Avarus damno potius, quam ſapiens dolet.

Avarus ipſe miſeriae cauſſa eſt ſuae.

Avarus niſi cum moritur, nil recte facit. 60.

S. Audiendo virtus creſcit, tardando timor.

G.S. Auferri & illud, quod dari potuit, poteſt.

F. Avidum eſſe oportet neminem niſi ſenem.

Aut amat, aut odit mulier, nihil eſt tertium.

Auxilia humilia, firma conſenſus facit. 65.

F. BEne audire alterum patrimonium eſt.

Bene cogitata, ſi excidunt, non occidunt.

Bene dormit, qui non ſentit, quam male dormiat.

F. Beneficia donari, aut mali, aut ſtulti putant.

Beneficia plura recipit, qui ſcit reddere. 70:

Beneficium accipere, libertatem eſt vendere.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.

G. Beneficium eſt, eo carere, quod invidus poſſideas.

G.† Beneficium eſt, ſemper reddere bonitatis verba. 75

Beneficium qui dare neſcit, iniuſte petit.

Beneficium, qui dediſſe ſe dicit, petit.

Beneficium ſaepe dare docere eſt reddere.

F. Bene perdas gaudium, ubi dolor pariter perit.

Bene perdit nummos, iudici quum dat nocens. 80

F. Bene vixit, qui potuit, cum voluit, mori.

Benevoli coniunctio animi maxima eſt cognatio.

G. Benevolus animus maxima eſt cognatio.

Benignus etiam dandi cauſſam cogitat.
Bis emori eſt, alterius arbitrio mori. 85.
Bis eſt gratum, quod opus eſt, ſi ultro ſit datum.
Bis interimitur, qui ſuis armis perit.
Bis peccas, cum peccanti obſequium accommodas.
Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.
Blanditia, non imperio, fit dulcis Venus. 90.
Bona comparat praeſidia miſericordia.
Bona fama in tenebris proprium ſplendorem obtinet.
F.G. Bona imperante animo fiet pecunia.
Bona mors eſt homini, vitae quae extinguit mala.
Bona nemini hora eſt, ut non alicui ſit mala. 95.
Bona opinio hominum, tutior pecunia eſt.
Bona, quae veniunt, niſi ſuſtineantur, cadunt, ut opprimant.
Bonarum rerum nimia conſuetudo peſſima eſt.
Bona turpido eſt, quae periclum vindicat.
F. Boni eſt viri, etiam in morte nullum fallere. 100.
G.H.S. Bonis nocet quiſquis pepercerit malis
Bonitatis verba imitari, malitia maior eſt.
G.H.S. Bono iuſtitiae proxima eſt ſeveritas.
Bonorum crimen eſt officioſus miſer.
Bonum ad virum cito moritur iracundia. 105.
Bonum eſt fugienda aſpicere in alieno malo.
G.† Bonum eſt reddere bona verba, etiam inimicis.
Bonum quod eſt, ſupprimitur, nequaquam extinguitur.
Bonus animus laeſus, multo gravius iraſcitur.
Bonus animus nunquam erranti obſequium accommodat 110.
G.† Bonus iudex eſt, qui novit diſpenſare, quod dandum eſt, & quatenus.
Breve amans eſt ipſa memoria iracundiae.
F. Brevis ipſa vita, ſed malis fit longior.

F. Coeci ſunt oculi, cum animus alias res agit.
F. S. Caret periculo, qui etiam, cum eſt tutus cavet. 115.
Caſta ad virum matrona parendo imperat.
S. Caſus quem ſaepe tranſit aliquando invenit.
F. Cave amicum credas, niſi quem probaveris.
Cavendi nulla eſt dimittenda occaſio.
F. Cave quicquid incipias, quod poſt poeniteat. 120.
F. Cicatrix conſcientiae, pro vulnere eſt
Citius venit periclum, cum contemnitur.
Cito ignominia fit ſuperbi gloria.
Cito improborum laeta ad perniciem cadunt.
S. Civilis belli oblivio defenſio eſt. 125.
G.† Clementia eſt lenitas ſuperioris adverſus inferiorem. *Sen. 2. clement. cap.* 3.
G.† Clementia eſt temperantia animi in poteſtate ulciſcendi. *ibidem.*
G.† Clementia in quamcunque domum venerit, felicem eam tranquillamque praeſtabit.
F. Cogas amantem iraſci, amare ſi velis.
Comes facundus in via pro vehiculo eſt. 130.
Coniunctio animi maxima eſt cognatio.
F.G. Conſcientia amici nullius invenit linguae praeces.
S. Conſidera quid dicas, non quid cogites.
F. Conſiliis iuniorum multi ſe docti explicant.
Conſilio melius vincas, quam iracundia. 135.
Conſueta vitia ferri non reprehendimus.
G.† Conſuetudo peccandi multitudinem facit peccantium.

Ex Senec. 1. de clem. cap. 22.

Contemni eſt gravius quam ſtultitia percuti.
F. Contra felicem vix Deus vires habet.
F. Contra imprudentem ſtultitia eſt nimia ingenuitas. 140.
Contumeliam nec facere fortis poteſt, nec ingenuus pati.

Cotidie damnatur, qui ſemper timet.
Cotidie eſt deterior poſterior dies.
Crimen relinquit vitae, qui mortem appetit.
Crudelem medicum intemperans aeger facit. 145.
F. Crudelem Medicum intemperans facit.
F. Crudelis eſt, non fortis, qui infantem necat.
Crudelis in re adverſa eſt obiurgatio.
F. Crudelis lacrymis paſcitur, non frangitur.
F. Cui nolis ſaepe iraſci, iraſcaris ſemel. 150.
F.S. Cui omnes benedicunt, poſſidet populi bona.
S.H. Cui plus licet, quam par eſt, plus vult quam licet.
Cui ſemper dederis, ubi neges, rapere imperes.
Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.
F.G.H. Cuivis dolori remedium eſt patientia. 155.
Cuius mortem expetunt cives, vitam oderunt.
F. Cum ames, non ſapias, aut, cum ſapias, non ames.
F. Cum das avaro praemium, ut noceas, rogas.
F. Cum inimico nemo in gratiam tute redit.
Cum vitia proſunt, peccat, qui recte facit. 160.
DAmnare eſt obiurgare, quum auxilio eſt opus.
F. Damnat, quae lingua vocem habet, vim non habet.
Damnum appellandum eſt cum mala fama lucrum.
S. Damnum, niſi ex abundantia, raro venit.
G.S. Dari bonum, quod potuit, auferri poteſt. 165.
Didicere flere foeminae in mendacium.
De inimico ne loquaris male, ſed cogites.
F. Deliberando diſcitur ſapientia.
F. Deliberando ſaepe perit occaſio.
Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel. 170.
F.H. Deliberare utilia, mora eſt tutiſſima.
S. Demens eſt, quiſquis praeſtat errori fidem.
F. Deos reddere credo, cum felix vocet.

Deſpi-

Deſpicere oportet, quod poſſis deperdere.
Deſunt inopiae multa, avaritiae omnia.
Deſunt luxuriae multa, avaritiae omnia. 175.
Dies, quod donat, timeas; cito raptum venit.
F. Difficile eſt dolori convenire cum ſapientia.
G.† Difficilius eſt moderari, ubi dolori debetur ultio, quam ubi exemplo.
Difficilem habere oportet aurum ad crimina. 180.
Dimiſſum quod neſcitur, non amittitur.
Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.
Diſcordia fit charior concordia.
Diu apparandum eſt bellum, ut vincas celerius.
Dixeris maledicta, cum ingratum hominem dixeris. 185.
F. Dolor animi gravior eſt quam corporis.
Dolor decreſcit, ubi, quo creſcat, non habet.
Ducis in conſilio poſita eſt virtus militum.
F. Dulce etiam fugias, fieri quod amarum poteſt.
Dum vita grata eſt, mortis conditio optima eſt. 190
F. Duplex fit bonitas, ſimul ut acceſſit celeritas.
Effugere cupiditatem, regnum eſt vincere.
Eget minus mortalis, quo minus cupit.
Eheu quam miſerum eſt, fieri metuendo ſenem.
G † Eleemoſyna non tam accipientibus, quam dantibus prodeſt. 295.
H.S. Eodem animo beneficium debetur, quo datur.
Eripere telum, non dare irato, decet.
G.† Errat, ſi quis exiſtimat, tutum diu eſſe regem.
S. Eſt cupiditati & ipſa tarda celeritas.
H.S. Eſt honeſta turpitudo pro bona cauſſa mori. 200
S. Eſt ſocia mortis homini vita ingloria.
S. Eſt turba ſemper argumentum peſſimi.
S. Eſt vita miſero longa, felici brevis.
S. Et calamitas virtutis eſt occaſio.
Et deeſt & ſuperat miſeris cogitatio. 205.

F. Etiam

F. Etiam bonum ſaepius obeſt aſſueſcere.
Etiam capillus unus habet umbram ſuam.
Etiam celeritas in deſiderio mora eſt.
Etiam hoſti eſt aequus, qui habet in conſilio fidem.
Etiam inncentes cogit mentiri dolor. 210.
Etiam in peccato recte praeſtatur fides.
Etiam oblivиſci, quod ſis, interdum expedit.
Etiam qui faciunt oderunt iniuriam.
S. Etiam ſanato vulnere cicatrix manet.
S. Etiam tyrannus vix precario imperat. 215.
S. Et miſeriarum portus eſt patientia.
G.† Evadere poſſunt puſilla mala & verba dare: ingentibus obviam itur.
Excelſis multo facilius caſus nocet.
G.† Excuſationem quaerere, vitium eſt: omnia ad Deum relinque.
S. Exeritur opere nequitia, non incipit. 220.
F.G.H. Ex hominum quaeſtu facta Fortuna eſt dea.
Exilium patitur, patriae qui ſe denegat.
F. Ex lite multa gratia fit formoſior.
G.† Ex ſaeva animadverſione nulli regi gloria eſt.
G. Ex ſpe praemii ſolatium fit laboris. 225.
F. Extrema ſemper de anteſactis iudicant.
F.G H. Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.
Exulis, cui nuſquam domus eſt, ſine ſepulchro eſt mortuus.
S. Facilitas animi ad partem ſtultitiae rapit.
Facilius creſcit, quam inchoatur dignitas. 230
G.† Facilius privatis ignoſcitur, pertinaciter ſe iudicantibus.
F.H.S. Facit gradum Fortuna quem nemo videt.
S. Factum tacendo, crimen facias acrius.
Falſum maledictum, malevolum mendacium eſt.
Fatetur facinus is qui iudicium fugit. 235.
F. Felicitas nutrix eſt iracundiae.

Fe-

Felix improbitas, optimorum eſt calamitas.
F.H.S.Fer difficilia, ut & facilia perferas.
Feras, non culpes, quod vitari non poteſt.
Feras quod laedit, ut & quod prodeſt feras. 240.
G.H.S.Ficta cito ad naturam reciderint ſuam.
Fidem nemo perdit, niſi qui non habet.
F. Fidem nemo unquam perdit, niſi qui non habet.
Fidem qui perdit, perdere ultra nil poteſt.
Fidem qui perdit,quo ſe ſervat in reliquum? 245.
Fides ut anima, unde abiit, eo nunquam redit.
Foeminarum curam gerere, deſperare eſt otium.
Formoſa facies muta commendatio eſt.
Fortuna nulli plus quam conſilium valet.
S. Fortuna ius in hòminis mores non habet. 250.
S. Fortuna magnas magna domino eſt ſervitus.
Fortunam citius reperias, quam retineas.
Fortuna nimium quem fovet ſtultum facit.
Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.
G. Fortuna, quam nemo invidet, gratum facit. 255.
S. Fortuna quo ſe, eodem & inclinat favor.
Fortuna quum blanditur, captatum venit.
Fortuna vitrea eſt,tum,quum ſplendet frangitur.
Fortuna unde aliquid fregit, caſſum eſt.
Fortuna uſu dat multa, mancipio nihil. 260.
Fraus eſt accipere, quod non poſſis reddere.
G S. Frequens vindicta paucorum, odium reprimit.
Sen 1. clem. 8.
F. Fragilitas rumoris bona miſeria eſt.
H.S. Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.
F.G.H.Fruſtra, cum ad ſenectam ventum eſt, recipis adoleſcentiam. 265.
Fruſtra rogatur, qui miſereri non poteſt.
F.G.H.Fulmen eſt,ubi cum poteſtate habitat iracundia.
Furor fit laeſa ſaepius patientia.
Futura pugnant, ne ſe ſuperari ſinant.

S. GEminat peccatum, quem delicti non pudet. 270.

G.† Gradus a magnis ad maiora fit. *Sen.1.clem.1.*

Grave crimen, etiam leviter cum eſt dictum, nocet.

G.H.S. Grave eſt malum omne, quod ſub aſpectu latet.

S. Grave iudicium eſt, quod praeiudicium non habet.

Grave praeiudicium eſt, quod iudicium non habet. 275.

Gravis animi poena eſt, quem facti poenitet.

Gravis animus dubiam non habet ſententiam.

Gravior inimicus, qui latet ſub pectore.

S. Graviora quaedam ſunt remedia periculis.

Graviſſima eſt probi hominis iracundia. 280.

Graviſſimum eſt imperium conſuetudinis.

F. Gravius malum omne, quod ſub aſpectu latet.

Gravius nocet, quodcunque inexpertum accidit.

HAbent locum maledicti crebrae nuptiae.

Habet in adverſis conſilia, qui in ſecundis commodat. 285.

Habet ſuum venenum blanda oratio.

G.† Haec clementia principem decet, ut quocunque venerit, manſuetiora omnia faciat.

F.† Haec conſcientia animi gravior eſt ſervitute.

Haeredem ferre utilius eſt, quam quaerere.

Haeredis fletus ſub perſona riſus eſt. 290.

G.† Haud nimus turpia ſunt principi multa ſupplicia, quam medico multa funera.

F.G.H. Heu dolor quam miſer eſt, qui in tormento vocem non habet.

Heu quam difficilis gloriae cuſtodia eſt.

G.S. Heu quam miſerum eſt, ab eo laedi, de quo non poſſis queri.

F.G. Heu quam miſerum eſt diſcere ſervire ubi ſis doctus dominari.

F.G.H. Heu quam multa poenitenda incurrunt, vivendo diu.

Heu quam eſt timendus, qui mori tutum putat.

F. Hominem etiam frugi flectit ſaepe occaſio.

Hominem experiri multa paupertas iubet.

F. Homini conſilium tunc deeſt, quum multa invenit. 300,

Homo extra corpus eſt ſuum, quum iraſcitur.

Homo ne ſit ſine dolore, fortunam invenit.

Homo, qui in homine calamitoſo eſt miſericors, meminit ſui.

Homo ſemper in ſeſe aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Homo toties moritur, quoties amittit ſuos. 305.

Homo vitae commodatus, non donatus eſt.

S. Honeſta lex eſt temporis neceſſitas.

F.G. Honeſta turpitudo eſt, pro bona cauſſa mori.

F. Honeſta parcas improbo, ut non careas probo.

Honeſte ſervit, qui ſuccumbit tempori. 310.

G.† Honeſtius eſt, cum iudicaveris amare, quam cum amaveris iudicare.

Honeſtus rumor alterum eſt patrimonium.

Honos honeſtum decorat, inhoneſtum notat.

Humanitatis optima eſt certatio.

F. IAcet omnis virtus, fama niſi lata pateat. 315

F. Ibi ſemper eſt victoria, ubi concordia eſt.

F. Ibi poteſt valere populus, ubi leges valent.

F. Ictum tacentem crimen facias acrius.

G.H.S. Id agas, tuo te merito ne quis oderit.

F. Ignis etiam ſuum calorem in ferro tenet. 320.

Ignoſcere hominum eſt, niſi pudet, cui ignoſcitur.

S. Ignoſcito ſaepe alteri, nunquam tibi.

Illo nocens ſe damnat, quo peccat die.

G.† Imago animi ſermo eſt, qualis eſt vir, talis oratio.

G.† Im-

F. In miſero facile fit potens iniuria.
In nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus.
Inopiae parva deſunt, avaritiae omnia.
Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.
In rebus dubiis plurimi eſt audacia.
S. Inſanus omnis furere credit caeteros.
Inſtructa inopia eſt in divitiis cupiditas.
S. Intellige ecquae ſint, ut & bene agas, bona.
F. Interdum habet ſtultitiae partem felicitas.
F. In turpi re peccare, bis delinquere eſt.
F. In Venerem ſemper certat dolor & gaudium.
F. In Venere ſemper dulcis eſt dementia.
Invidia id quod videt loquitur, non quod ſubeſt.
Invidiam ferre aut fortis, aut felix poteſt.
F. Invidia tacita citius inimica iraſcitur.
Invidia tacite, ſed inimice iraſcitur.
Invitat culpam, qui peccatum praeterit.
S. In vitia miſeri nulla contumelia eſt.
Invitum cum retineas, exire incitas.
Ipſae amicos res opimae pariunt, adverſae probant.
Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum.
Iratum breviter vites, inimicum diu.
F. Iratus cum ad ſe redit, ſibi tum iraſcitur.
Iratus etiam facinus conſilium putat.
F. Iratus nil non criminis loquitur loco.
Irritare eſt calamitatem, cum te felicem vocas.
F. S. Is minimo eget mortalis qui minimum cupit.
Ita crede amico, ne ſit inimico locus.
Ita amicum habeas, poſſe ut fieri hunc inimicum putes.
F. Iter eſt, quacunque dat prior veſtigium.
F. Iucunda macula eſt ex inimici ſanguine.
Iucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.

Iudex

Iudex damnatur, cum nocens abſolvitur.
G. Ius omnem ſupra iniuriam poſitum ſcias.
Laeſo doloris remedium, inimici dolor. 390.
F. Lapſus ſemel, fit culpa, ſi iterum cecideris.
Laſcivia & laus nunquam habent concordiam.
G.† Laſſa crudelitas, non eſt vocanda clementia.
F. Late lucere ignis, ut nihil urat, poteſt.
Laus nova niſi oritur, etiam vetus amittitur. 395
Legem nocens veretur, fortunam innocens.
F. Legem ſolet obliviſci iracundia.
Levis eſt Fortuna; cito repoſcit, quod dedit.
F. Lex videt iratum, iratus legem non videt.
Lex univerſa eſt, quae iubet naſci & mori.
Libido cunctos etiam ſub vultu damnat. 400.
Libido non iudicium, quod levitas ſapit.
F. Licentiam des linguae, cum verum petas.
F. Locis remotis qui latet, lex eſt ſibi.
Loco ingnominiae eſt apud indignum dignitas.
F. Longum eſt quod flagitat cupiditas. 405.
Lucrum ſine damno alterius fieri non poteſt.
Luxuriae deſunt multa, avaritiae omnia.
Magis haeres fidus naſcitur, quam ſcribitur.
F. Magis valet, qui neſcit quid valet calamitas
G.† Magnam fortunam magnus animus decet. 410.
S. Magnanimo iniuriae remedium oblivio eſt.
G.† Magni animi eſt proprium, eſſe tranquillum, iniurias atque offenſiones ſemper deſpicere.
G.H.S. Magno cum periclo cuſtoditur, quod multis placet.
F. Magnum crimen ſecum adfert indignatio.
Mala cauſſa eſt, quae requirit miſericordiam. 415
Malae naturae nunquam doctore indigent.
Mala eſt medicina, ubi aliquid naturae perit.
Mala eſt voluptas alienis adſveſcere.
F. Mala mors neceſſitatis contumelia eſt.

F. Ma-

F. Malam rem cum velis, honeſtatem improbes.
Maledictum interpretando facias acrius.
Male facere qui vult, nuſquam non cauſſam invenit.
Male geritur, quicquid geritur Fortunae fide.
Male imperando ſummum imperium amittitur.
Male ſecum agit aeger, medicum qui haeredem facit.
F. Male vincit is, quem poenitet victoriae.
S, Male vivet, quiſquis neſcit mori bene.
Male vivunt, qui ſe ſemper victuros putant.
F. Malevolus animus abditos dentes habet.
Malevolus ſemper ſua natura veſcitur.
Malignos fieri maxime ingrati docent.
G.† Malis diſplicere, laudari eſt.
F. Malitia unius cito fit maledictum omnium.
F. Malitia, ut peior veniat, ſe ſimulat bonam.
Malo in conſilio foeminae vincunt viros.
F. Malo etiam parcas, ſi una eſt periturus bonus.
G.† Malo veris offendere, quam placere adulando. *Sen. 2. clem. cap. 2.*
S. Malum conſilium conſultori peſſimum eſt.
F. S. Malum eſt conſilium quod mutari non poteſt.
F. Malus animus in ſecreto peius cogitat.
F. Malus bonum ad ſe nunquam conſilium refert.
Malus bonum ubi ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus.
Malus eſt vocandus, qui ſua eſt cauſſa bonus.
F. Malus etiam ſi obeſſe non poteſt, tamen cogitat.
F. Malus quicunque in poena eſt, praeſidium eſt bonis.
F. Manifeſta cauſſa ſecum habet ſententiam.
F. Manſueta tutiora ſunt, ſed ſerviunt.
F. Medicina calamitatis eſt aequanimitas.
F. Meretrix inſtrumentum eſt contumeliae.
F. Metuendum ſemper eſſe ſcias, quem tutũ velis.

F. Metum reſpicere non ſolet, quicquid iuvat.
F. Metus improbos compeſcit, non clementia.
Metus quum venit, rarum habet ſomnus locum.
F. Minimum eripit Fortuna, cum minimum dedit.
Minus decipitur, cui negatur celeriter. 455.
Minus eſt, quam ſervus, dominus, qui ſervos timet.
F. Minus ſaepe pecces ſi ſcias quid neſcias.
G.† Miſera eſt aegritudo animi ob alienarum ſpeciem miſeriarum.
F. Miſera eſt voluptas, ubi periculi memoria eſt.
F. Miſer dici bonus vir, eſſe non poteſt. 460.
Miſeriam neſcire ſine periclo eſt vivere.
G.† Miſericordia eſt vicina miſeriae: habet enim aliquid, trahitque ex ea. *Sen.* 2. *clem.* 6.
G.† Miſericordia non cauſſam, ſed fortunam ſpectat.
F. Miſericors civis patriae eſt conſolatio.
F. Miſerrima eſt fortuna, quae inimicos latet. 465.
G.H.S. Miſerrima eſt fortuna, quae inimico caret.
F. Miſerrimum eſt alterius arbitrio vivere.
Miſerum eſt, tacere cogi, quod cupias loqui.
G. Monſtro ſimilis eſt avaritia unica.
F. Mora cogitationis diligentia eſt. 470.
Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam.
G.† Morbum eſſe ſcias non hilaritatem, ſemper arridere arridentibus, & ad omnium aeſtimationem ipſum quoque os diducere.
Mori eſt felicis antequam mortem invocet.
Mori neceſſe eſt, ſed non quoties volueris.
F. Mors infanti felix, iuveni acerba, nimis ſera ſeni. 475.
S. Mortem timere, crudelius eſt quam mori.
F. Mortem ubi contemnas, omnes viceris metus.
Mortuo qui mittit munus, nil dat illi, adimit ſibi.
G.† Muliebre eſt furere in ira.
F. Muliebris lacryma condimentum eſt malitiae. 480

Mu-

Mulier cum ſola cogitat, male cogitat.
Mulier quae multis nubit, multis non placet.
F. Multa ignoſcendo fit potens potentior.
Multis minatur, qui uni facit iniuriam.
F. Multis placere qui cupit, culpam cupit. 485.
F. Multorum calamitate vir moritur bonus.
F. Multa ante tempus, quam virum invenias bonum.
F.G.H. Multos timere debet, quem multi timent.
F. Muneribus, non lachrymis meretrix eſt miſericors.
Mutat ſe bonitas, irritata iniuria. 490.
F.G.†. NAm etſi nullos inimicos tibi facit iniuria; nonnullos tamen facit invidia.
F. Naturam abſcondit improbus, cum recte facit.
F. Neceſſe eſt maximorum minima eſſe vitia.
S. Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.
F. Neceſſitas ab homine, quae vult, impetrat. 495.
F. Neceſſitas dat legem, non ipſa accipit.
F. Neceſſitas egentem mendacem facit.
F. Neceſſitas quam pertinax regnum tenet.
F. Neceſſitas quod celat, fruſtra quaeritur.
F. Neceſſitas quod poſcit, ni dederis eripit. 500.
F. Neceſſitatem ferre, non flere addecet.
F. Neceſſitati quodlibet telum utile eſt.
F. Neceſſitati ſapiens nihil unquam negat.
S. Neceſſitatis eſt remedium parcitas.
F. Nec mortem effugere quiſquam, nec amorem poteſt. 505.
F. Nec vita nec fortuna perpetua eſt hominibus.
Negandi cauſſa avaro nunquam deficit.
F. Negandi cauſſa avarum nunquam facit.
S. Negata eſt magnis ſceleribus ſemper fides
F. S. Negat ſibi ipſe, qui, quod difficile eſt petit. 510.
F.G.†. Neminem cito accuſaveris, neminem cito laudaveris.
F. Nemo immature moritur, qui moritur miſer.

F. Nemo timendo ad ſummum pervenit locum.

G.† Nemo poteſt perſonam diu ferre fictam: ficta cito in naturam ſuam recidunt.

F.G.†.Nequitia ipſa poena ſui eſt. Nam mala conſcientia ſaepe tuta eſt ſecura nuſquam. 515.

Neſcias, quid optes, aut quid ſugias: ita ludit dies.

F. Neſcio, quid cogitat, cum bonum imitatur malus.

F.G.†.Nihil negabis, quod petiturus.

F.G.†.Nihil petas, quod negaturus es.

F.G.†.Nihil prodeſt didiciſſe benefacere, ſi ceſſes, 520

F. Ni gradus ſervetur, nulli tutus eſt ſummus locus.

Nil agere, ſemper infelici eſt optimum.

F. Nil aliud ſcit neceſſitas, quam vincere.

S. Nil eripit fortuna, niſi quod & dedit.

F. Nil eſt miſerius, quam ubi pudet, quod feceris. 525

F.G.†.Nil intereſt, quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt. Nam, facta cernuntur, animus non videtur.

F. Nil magis amat cupiditas, quam quod non licet.

F.G.†.Nil magnum eſt in rebus humanis, niſi animus magna deſpiciens.

F. Nil non acerbum prius quam maturum ſiet.

Nil non aut lenit, aut domat diuturnitas. 530.

Nil peccent oculi, ſi oculis animus imperet.

S. Nil poſſe quenquam, mortuum hoc eſt vivere.

Nil proprium dicas, quod mutari poteſt.

F. Nil tempora ducas pro ſalutis remedio.

S. Nil turpius, quam vivere incipiens ſenex. 535.

F. Nimia concedendo interdum fit ſtultitia.

Nimium altercando veritas amittitur.

F. Nimium eſt in morte boni, cum nil ſiet mali.

F. Niſi per te ſapias, fruſtra ſapientem audias.

F. Niſi qui ſcit facere, inſidias neſcit metuere. 540.

F. Niſi vindices delicta, improbitatem adiuves.

G. †

G.† Nobilis profeſſio ſapientia eſt, quae diſtributa ſuſcipit incrementum, avarum dedignata poſſeſſorem; cito niſi publicatur, elabitur.

F. Nocens precatur, innocens iraſcitur.

F. Nocentem qui defendit; crimen ſibi parit.

F. Nocere caſus non ſolet conſtantiae. 545.

F. Nocere poſſe & nolle, laus ampliſſima eſt.

F. Noli contemnere ea, quae ſummos ſublevant.

G.† Non alia facies eſt quieti moderatique imperii, quam ſereni coeli & nitentis.

F.G.† Non aliter vivas in ſolitudine aliter in foro.

F.G.† Non aſpicias, quam plenas quiſque manus Deo, ſed quam puras admoveat. Non enim aliter, niſi optimus animus pulcherrimus Dei cultus eſt. 550.

Non cito ruina perit is, qui rimam timet.

F. Non corrigit ſed laedit, qui invitum regit.

F.G.† Nondum felix es, ſi nondum te turba deridet.

S. Non eſt bonitas, eſſe meliorem peſſimo.

F.G.† Non eſt puſilla domus, quae multos recipit amicos. 555.

S. Non eſt puſillum, ſi quid maximo eſt minus.

F. Non eſt turpis cicatrix, quam virtus parit.

G. Non eſt tuum, Fortuna quod fecit tuum.

F. Non facile de innocente crimen fingitur.

F. Non facile ſolus ſerves, quod multis placet. 560.

G.† Non multum ſupra eum eminet quis, cui ſe iraſcendo exaequat. *Sen.* 1. *clem. c.* 5.

F. Non novit virtus calamitati cedere.

F. Non poteſt non ſapere, qui ſe ſtultum intelligit.

F.G. Non quam multis placeas, ſed qualibus, ſtude.

F. Non ſemper aurem facilem habet facilitas. 565.

F. Non vincitur, ſed vincit, qui cedit ſuis.

Nulla tam bona eſt fortuna, de qua nil poſſis queri.

F. Nulla hominum maior poena eſt, quam infelicitas.

F. Nulli facilius, quam malo invenies parem.

S. Nulli imponas, quod ipſe non poſſis pati. 570.

F. Nullo in loco male audit miſericordia.

G.† Nullum ex omnibus clementia magis, quam regem aut praeclarum decet.

F. Nullum locum eſſe ſine teſte putaveris.

G.† Nullum moroſius eſt animal, maiorique arte tractandum, quam homo: & nulli magis parcendum quam homini. *Sen. 1. clem. c. 17.*

S. Nullum ſine auctoramento eſt magnum malū. 575

Nullus tantus quaeſtus, quam quod habes, parcere.

F. Nunquam facilius culpa, quam in turba latet.

G.† Nunquam liquidum ſincerumque ex turbido venit

F. Nunquam non miſer eſt, qui quod timeat, cogitat.

Nunquam periclum ſine periclo vincitur. 580.

S. Nunquam ſatis eſt, quod improbae ſpei datur.

S. Nunquam ſecura eſt prava conſcientia.

F. Nunquam ubi diu fuit ignis, defuit vapor.

Nuſquam melius morimur homines, quam ubi libenter viximus.

F. OBiurgari in calamitate gravius eſt, quam calamitas. 585.

F.G.†. Obiurgationi ſemper blanditiae aliquid admiſce.

F. Obſequium nuptae cito fit odium pellicis.

F. Occaſio aegre offertur, facile amittitur.

F. Occaſio receptus difficiles habet.

F. Occidi pulchrum, ubi igomininioſe ſervias. 950.

F.G †. Odia multorum ſub vultu, multorum ſub oſculo latent.

F. G. Odio oportet ut bonum peccandi, non metu facias

F. O dulce tormentum, aequo ubi reprimitur gaudium.

F. Officium benevoli animi finem non habet.

F.†.

F.† Omitte excuſationem, nemo peccat invitus. 595
Omne dixeris maledictum, quum ingratum hominem dixeris.
F.G.†. Omne peccatum actio eſt. Omnis autem actio voluntaria, tam honeſta, quam turpis. Omne ergo peccatum voluntarium eſt.
F. Omnes aequo animo parent, ubi digni imperant.
F. Omnes cum peccant occulte, pacantur citius.
F.G.†. Omnes enim vitam differentes, mors incerta praevenit. 600.
G. Omne vitium habet patrocinium ſuum.
F.† Omnia tamen panduntur, cum non dico, ſi cecideris ſed ſi titubaveris.
G.† Omni rei moderatio eſt adhibenda, quae ſanabalia ingenia diſtinguere a deploratis ſciat.
F.G.†. Omnis affectus habet, ut in hoc, quod ipſe inſanit, caeteros furere putet.
F.G. Omnis dies velut ultimus ordinandus eſt. 605.
G.F.†. Omnis doctor in vitae ratione peccans, turpior eſt, ob hoc quod in officio, cuius magiſter eſſe vult labitur.
F. Omnis voluptas, quemcunque arriſit, nocet.
F.G. †. { Opinentur de te homines male ſed mali:
Omnibus enim diſplicere malis, laudabile eſt.
F. O peſſimum periculum, quod opertum latet. 610
F. Optime poſitum eſt beneficium, ubi meminit, qui accipit.
F.G.†. Optimum eſt maiorum veſtigia ſequi, ſi recte praeceſſerint.
F.G. †. Optimum eſt ſemper ignoſcere, tanquam ipſe cotidie pecces.
F.G.†. Oratorem te puta, ſi tibi, quod oportet, perſuaſeris.
F. O tacitum tormentum animi conſcientia. 615.
O vita miſero longa, felici brevis.

F.G. †. PAcem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis.
F. Paratae lacrymae inſidias, non fletum indicant.
G. † Parcendum eſt improbandis civibus, non aliter, quam membris languentibus.
F. Parens iratus, in ſe eſt crudeliſſimus. 620.
S. Parere ſcire, par imperio gloria eſt.
F.H.S. Pars beneficii eſt, quod petitur ſi belle neges.
F. Patiendo multa veniunt, quae nequeas pati.
F. Patiens & fortis ſeipſum felicem facit.
F. Patientia, animi occultas divitias habet. 625.
G. Patria eſt, ubi bene vixeris.
F. Paucorum eſt intelligere, quid deceat deos.
F. Paucorum improbitas, univerſis calamitas.
F.G.†. Peccandi duo ſunt genera: aliud ex propoſito, aliud ex negligentia vel fragilitate.
G. † Peccandi verecundiam facit ipſa clementia regentis. *Sen. 1. clem. c. 22.* 630.
F. Peccare pauci volunt, nulli neſciunt.
F. Peccatum amici veluti tuum recte putes.
F. Peccatum extenuat, qui celeriter corrigit.
F. G. †. Pecuniae imperare oportet, non ſervire.
F. Pecunia eſt regina rerum omnium. 635.
F.G. †. Pecunia non ſatiat avarum, ſed irritat.
F. G. Pecunia ſi uti ſcias, ancilla eſt: ſi neſcis, domina.
F. Peiora multa cogitat mutus dolor.
F.G. †. { Peiora ſunt tecta odia, quam aperta: Propterea te loquax inimicus minus, quam taciturnus offendit. 640.
G. { Beneficia in vulgus cum largiri inſtitueris, Perdenda ſunt multa ut ſemel ponas bene.
F. Perdendi finem nemo, niſi egeſtas, facit.
F. Perdidiſſe mallem, quam accipere turpiter.
F. Perdit non donat, qui dat, niſi eſt memoria. 645
F. Perenne coniugium, animus, non corpus, facit.

F. Per-

F. Pereundi ſcire tempus, aſſidue eſt mori.
F. Perfacile felix, quod vota imperant, facit.
F. Perfugere ad inferiorem, ſeipſum eſt tradere.
F. Pericula qui audet, ante vincit, quam accipit. 650
F. Pericula timidus, etiam quae non ſunt, videt.
F.S. Perpetuo vincit qui utitur clementia.
F. Per quae ſis tuus, illa ſemper cogites.
G.† Peſtifera vis, valere ad nocendum. *Sen. 1. clem.* 3.
F.G.†. { Plerique cum ſtultis maledicunt, ipſi ſibi convicium faciunt: 655.
Perturpe eſt enim, quod obiicitur, in obiiciente cognoſci. }
G. † Plerique famam, pauci conſcientiam verentur.
F. G.†. { Plerique metu peccare ceſſant, non innocentia:
Profecto tales timidi, non innocentes dicendi. }
F. Plures tegit fortuna quam tutos facit. 660.
F. Plus eſt quam poena, iniuriae ſuccumbere.
F. Plus eſt quam poena, ſine re miſerum vivere.
F. Poena ad malum ſerpens, cum properat, venit.
F. Poena levatur, ubi laxatur dolor.
F. Poenam moratur improbus, non praeterit. 665.
F. Populi eſt mancipium, quiſquis patriae eſt utilis.
F. Poſt calamitatem memoria alia eſt calamitas.
F. Potens miſericors, publica eſt felicitas.
F. Potentia in adverſis nunquam felicitas.
F. Potenti iraſci, ſibi periculum eſt quaerere. 670.
F.G.† Poteſt non eſſe honeſtum, quod non eſt liberum.
F. Praeſens eſt ſemper, qui abſens ulciſcitur.
F. G. †. { Praeſtabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem:
Praeſtabis amicis fidem, omnibus aequitatem. }
F.G. †. Principium diſcordiae eſt, aliquid ex communi proprium facere. 675.
G. † Principum ſaevitia bellum eſt.

F.G †.

F.G. †.Prius, quam promittas, deliberes; ut, cum promiſeris, facias.
F. G.†.Prius ſi negaveris, feciſſe poſtea fallere eſt.
F. Proba & bona fama, maxima eſt haereditas.
F. Probe delicta, cum legas, deteras. 680.
F. Probo beneficium, qui dat, ex parte accipit.
F. Probus libertus, ſine natura eſt filius.
F. Prodeſſe qui vult, nec poteſt, aeque eſt miſer.
F. Pro dominis peccare, etiam vìrtutis loco eſt.
F. Pro medicina dolor eſt, qui dolorem necat. 685.
G. Prope eſt, ut libenter damnet, qui cito.
G. Prope eſt, ut non aeque damnet, qui nimis.
F. Properare in iudicando eſt crimen quaerere.
F. G. †. { Propter cauſſam multa amico dabis: multa cauſſae etiam contra amicum.
Pro eo religioſior eris, quo melior. } 690.
F. Proſpicere oportet in pace, quid bellum iuvet.
F.G. †.Proximum ad innocentiam locum tenet verecunda confeſſio.
F. Prudenti ſtultus etiam ſermonis iocus eſt.
F. Pudor dimiſſus nunquam redit in gratiam.
F Pudor doceri non poteſt, naſci poteſt. 695.
F Pudorem alienum, qui eripit, perdit ſuum.
F. Pudorem habere ſervitus quodammodo eſt.
F. Pudor quem non flectit, non frangit timor.
F.G. †.Pulcherrimum eſt omnia praeſtare nihil exigentem.
S. Pupillus eſt avarus aetatis brevis. 700.
S. Puras Deus, non plenas aſpicit manus.
F. G.Putandus eſt recte fortior, qui cupiditates, quam qui hoſtes ſubiicit.
F.G. †.QUae ſunt maximae divitiae? non deſiderare divitias.
F. Quae vult videri bella, nimium ſibi negat.
F. Quam felix vita, quae ſine negotiis tranſigit. 705

Quam

Quam iniquum eſt nocuiſſe, quia oderis laedere.
F.G. †. Quanto iniquius eſt odiſſe, quia laeſeris.
F.G. Quam magnarum virium eſt negligere laedentem.
Qui enim vindicat, ſentit.

F. Quam magnum eſt, non laudari, & eſſe laudabilem. 710.

F. Quam malus eſt, culpam qui ſuam alterius facit.

F. Quam miſer eſt, cuius ingrata miſericordia eſt.

F. Quam miſer eſt, qui excuſare ſibi ſe non poteſt.

F. Quam miſerum auxilium eſt, ubi nocet, quod ſuſtinet.

G. Quam miſerum eſt ab illo laedi, de quo non poſſis queri. 715.

F. Quam miſerum eſt, bene, quod feceris, factum queri.

F. Quam miſerum eſt cogi opprimere, quem ſalvum velis.

F. Quam miſerum eſt, cum ſe renovat conſumptum malum.

F. Quam miſerum eſt id quod pauci habent, amittere.

F. Quam miſerum eſt mortem cupere, non poſſe emori. 720.

F. Quam miſerum officium, quod ſucceſſum non habet.

F. Quam miſerum eſt, ubi conſilium caſu vincitur.

F. Quam miſerum eſt, ubi te capiant, qui defenderint.

S. Quam poenitenda incurrunt vivendo diu.

S. Quam ſaepe veniam, qui negaverat, petit. 725

F. Quamvis acerbus, qui monet nulli nocet.

F.G. Quamvis agas, nequis merito tuo te oderit:
Quaerunt tamen ſemper, qui oderint.

F. Quamvis non rectum, quod adiuvat, rectum putes.

F. Quan-

F. Quanto ſerius peccatur, tanto turpius incipitur. 730.
F. Quem bono tenere non potueris, contineas malo.
F. Quemcunque quaerit calamitas, facile invenit.
F. Quem diligas, etiam queri de ipſo malum eſt.
F. Quem fama ſemel oppreſſit, vix reſtituitur.
G. Qui aequo animo malis miſcetur, eſt malus. 735.
F. Qui bene diſſimulat, citius inimico nocet.
G.† Quicquid aequo plus futurum eſt, in partem humaniorem inclina vel praepondera.
F. Quicquid bono concedas, das partem tibi.
F. Quicquid conaris, quo pervenias, cogites.
F. Quicquid fit cum virtute, fit cum gloria. 740.
F. Quicquid fortuna exornat, cito contemnitur.
F. Quicquid futurum eſt ſummum, ab imo naſcitur.
F. Quicquid nocere didicit, meminit, cum poteſt.
F. Quicquid plus, quam neceſſe, poſſidentes premit.
F. Quicquid vindicandum eſt, optima occaſio eſt. 945
F. Qui, cum dolet, blanditur, poſt tempus ſapit.
F. Quicunque obeſſe, cum poteſt, non vult, prodeſt.
F. G. Quidam inimici graves ſunt inimici leves.
F. G. †. Quidam quoſdam occidunt inimicos, non quia habebant, ſed quia metuerant.
F. G. †. { Quid dulcius quam habere, cum quo omnia audeas? 759.
Quem ſic credas ut te, cui ſic loquaris quaſi tecum?
Quanti tales amicos habere voluerunt, quum ipſi tales eſſe non poſſunt? }
F. Qui debet, limen creditoris non amat.
G.† Quid eo infelicius, cui iam malum eſſe neceſſe eſt? *Sen. 1. clem. c.* 13.
F. G. Quid eſt dare beneficium? imitari Deum.
F. G. Quid eſt inimiciſſimum homini? alter homo. 755
F. Qui docte ſervit, partem dominatus tenet.

G.†.

G.† Quid poteſt ab eo quiſquam ſperare, quem malum eſſe docuit?
S. Quid quiſque poſſit, niſi tentato neſciit.
G. Quid refert, quantum habeas? multo illud plus eſt, quod non habes.
F.G.†.Quid ſis, intereſt, non quid habearis. 760.
F. Quid tibi pecunia opus eſt, ſi ea uti non potes?
F.G.†.Quietiſſime viverent homines, ſi duo verba tollerent: Meum & Tuum.
F. Qui expectat, ut rogetur, officium levat.
F. Qui in vero dubitat, male agit, cum deliberat.
F. Qui invitus ſervit, fit miſer, ſervit tamen. 765.
F. Qui iuſiurandum ſervat, quovis pervenit.
F. Qui metuit calamitatem, raro accipit.
F.G.†.Qui ob hoc iniuriam facit, quia poteſt, cito deſinet, quia fecit.
F. Qui omnes inſidias timet, in nullas incidit.
F.G.Qui paupertatem timet, quam timendus eſt. 770
F. Qui poteſt celare vitium, non facit.
F. Qui poteſt conſilium fugere, ſapere idem poteſt.
F. Qui poteſt nocere, timetur, cum etiam non adeſt.
F. Qui poteſt transferre amorem, poteſt deponere.
F. Qui pro innocente dicit, ſatis eloquens. 775.
G.† Qui propter pecuniae, vel libidinis amorem moritur, oſtendit, ſe nunquam ſui cauſſa vixiſſe.
F. Qui ſeipſum laudat, cito deriſorem invenit.
F.G.†.Qui ſervis crudelis eſt, oſtendit, in aliis non voluntatem ſibi deeſſe, ſed poteſtatem.
F.G.†.Qui eſt pauper? qui ſibi videtur dives.
F. Qui ſibi non vivit, merito aliis eſt mortuus. 780
F. Quis miſerum ſciret, verba niſi haberet dolor?
F.G.Quis plurimum habet? is qui minimum cupit.
F.G.†.Qui ſuccurrere perituro poteſt, cum non ſuccurrit, occidit.
F. Qui timet amicum, amicus ut timeat, docet.

F.Qui

F. Qui timet amicum, vim non novit nominis. 785.
F. Qui venit, ut noceat, ſemper meditatus venit.
F. Qui ulciſci dubitat, improbos plures facit.
F. Qui uni culpae ignoſcit, ſuadet pluribus.
F. Quo cavet, is cum animus aliud, verba aliud petunt?
F. Quod aetas vitium poſuit, aetas auferet. 790.
F. Quod eſt timendum, decipit, ſi negligas.
S. Quod facere turpe eſt, dicere ne honeſtum puta.
F. Quod fugere credas, ſaepe ſolet occurrere.
F. Quod neſcias, cui ſerves, ſtultum eſt parcere.
S. Quod neſcias, damnare, ſumma eſt temeritas. 795
F. Quod perit, quaeri poteſt: reprehendi haud poteſt.
F. Quod quiſque amat, laudando commendat ſibi.
F. Quod ſemper eſt paratum, non ſemper iuvat.
F Quod ſenior loquitur, omnes conſilium putant.
F.G.†.Quod tacitum eſſe vis, nemini dixeris: quia non poteris ab alio exigere ſilentium, ſi tibi ipſe non praeſtas. 800.
F. Quod timeas citius, quam quod ſperes, evenit.
F. Quod vix contingitur, voluptatem parit.
P. Quod vult, cupiditas cogitat, non quod decet.
F. Quod vult, habet qui velle quod ſatis eſt, poteſt.
G.† Quo ſe fortuna, & favor inducit hominem. 805.
F. RApere eſt accipere, quod non poſſis reddere.
F. Rapere eſt non petere, quicquid invito auferas.
F. Rarum eſſe oportet, quod diu charum velis.
F. Ratione, non vi vincenda adoleſcentia eſt.
F.G.†.Recta ingenia debilitat ſapientia, parva confirmat audacia. 810.
F.G.†.Recte parentem & inferiorem laudas, quia pertinet ad gloriam tuam.
G.† Rege incolumi mens omnibus una eſt, amiſſo rupere fidem.

G.† Re-

G.† Regibus certior eſt ex manſuetudine ſecuritas.
Sen. 1. de clem. c. 8.

F.G. { Regibus eſt peius multo quam ſervientibus;
Quia ſingulos iſti, illi univerſos timent. 815

F. Regnat non loquitur, qui nil niſi quod vult facit.

F. Rei nulli prodeſt mora, niſi iracundiae.

F. Remedium fraus eſt contra flumen quaerere.

F.G.†. Rem maximam promittit ſapientia, ut te reducat tibi.

F.G. Repelli ſe homines facilius, quam decipi ferunt. 820.

S. Repente dives nemo factus eſt bonus,

S. Res inquieta eſt in ſeipſam, felicitas.

F.G.†. Res ipſa, ut praeſtare poſſimus, efficiet, ſi polliceri properamus honeſta.

F.G.†, Res magna clementia eſt, indulgendo magis corripere ſcelera quam vindicando.

F.G.†. Res optima eſt, non exſtirpare ſceleratos, ſed ſcelera. 825.

F.S. Reſpicere nil conſuevit iracundia.

F.G.† Reſpue crudelitatem & matrem crudelitatis iram.

F. Res quanto eſt maior, tanto eſt inſidioſior.

F.G.†. Res vera eſt, qui a multis timetur, multos timet.

F.G.†. Revera memoria beneficii fragilis eſt, iniuriarum tenax. 830.

S. Revertere, unde veneris nihil grave eſt.

F. Reus innocens Fortunam, non teſtem timet.

F. Rex eſſe nolim, ut eſſe crudelis velim.

F. Ridiculum eſt odio nocentis perdere innocentiam

F. Rivalitatem non amat victoria. 835.

F. Rogare beneficium, ſervitus quodammodo eſt.

F. Roganti melius quam imperanti pareas.

F. Ruborem amico excutere, amicum eſt perdere.

S. Saepe

S. Saepe diſſimulare, quam vel ulciſci ſatius fuit.
S. Saepe oculi & aures vulgi,ſunt teſtes mali. 840
F. Salutis caſus bene ſit homini iniuria.
F. Sanctiſſimum eſt meminiſſe, cui te debeas.
F. Sapiens contra omnes arma fert, cum cogitat.
G. † Sapiens etſi contentus eſt ſe, tamen amicum vult habere, ſed hoc ob nihil aliud, niſi ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat non ad hoc, ut dicit Epicurus, ut habeat, qui ſibi aſſideat, ſuccurrat, ſed ut habeat, cui aſſideat, quando libet.
G. † Sapiens nihil facit, quod non debet, & nihil praetermittit, quod debet. 845.
F. Sapiens, quod petitur, ubi tacet, breviter negat.
F. Sapiens ſemper quieſcendi dat locum iniuriae.
F. Satis eſt beatus, qui poteſt, cum vult, mori.
F. Sat magna uſura eſt pro beneficio memoria.
F.G. †. Scias eum multis virtutibus abundare, qui alienas amat. 850.
F.G. †. { Scito, quid eſt invidia. Dolor animi ex alienis commodis.
Scito & illud, quia nulli invidet vir bonitate praeditus. }
G.S. Secrete amicos admone, lauda palam.
F. Secunda in paupertate fortuna eſt fides.
F. Secundus eſt a matre nutricis dolor. 855.
F. Se damnat iudex, innocentem, qui opprimit.
F. Se denegare patriae, exilium eſt pati.
F. Seditio civium, hoſtium eſt occaſio.
F. Semper beatam ſe putat benignitas.
F. Semper conſilium tunc deeſt, cum opus maxime eſt. 860.
F. G. †. Semper diſſenſio ab alio incipiat, a te reconciliatio.
F. Se poſſe plus iratus, quam poſſit, putat.

F. Sem-

F. Semper metuendo ſapiens evitat malum.
F. Semper metuendum, quicquid iraſci poteſt.
F. Semper plus metuit animus ignotum malum. 865
F. Semper redundat ipſe in auctores timor.
F. Senſus non aetas invenit ſapientiam.
F. Sero eſt in periculis conſilium quaerere.
G.† Servis imperare moderate laus eſt. *Sen.1.clem.8.*
G.† Severitas aſſidua amittit auctoritatem. 870.
G.† Severitatem abditam clementia in procinctu habet
F.G.†.Si bene te inſtitueris, pudeat fieri deteriorem.
F. Sibi ipſa improbitas cogit fieri iniuriam.
F. Sibi ipſi dat ſuplicium, quem admiſſi poenitet.
F. Sibi primum auxilium eripere, eſt leges tollere. 875
F. G. { Sicut formoſa pictura eſt, cuius nulla pars errat: Sic formoſus homo, in quo nulla pars peccatis foeda eſt.
F.G.†.Si in clientelam felicis hominis potentiſque veneris, aut veritas, aut amicitia perdenda eſt.
F.G.†.Si invitus pares, ſervus es; ſi volens, miniſter.
F.G.†.Si multis placuerit vita tua, placere non poterit. 880.
F. Sine dolore eſt vulnus, quod ferendum eſt cum victoria.
F. Si nil velis timere, metuas omnia.
F. G.Si non invideas, maior eris: nam qui invidet minor eſt.
F. G. { Si quis iraſcitur, & ab alio poenas petit, a ſe exigit: Si enim nos adverſus peccantes ſeveriſſime ingerimus, & ipſi eadem committimus. 885
F.' Si recte admones amicos palam lauda.
F.G.†.Si vis beatus eſſe, cogita hoc primum, contemni
G.† Si vis amari, ama.
F. Socius fit culpae, qui nocentem ſublevat.
F. Solet eſſe in dubiis pro conſilio temeritas. 890

F. Solet hora, quod multi anni abſtulerint, reddere.

F. Solet ſequi laus, cum viam fecit labor.

F.G.†. Solitudinem quaerat, qui vult cum innocentibus vivere.

F. Spes eſt ſalutis, ubi hominem obiurgat pudor.

F. Spes inopem, res avarum, mors miſerum levat. 895.

F. Spina etiam grata eſt ex qua ſpectatur roſa.

F. Stultitia eſt inſectari quem diligunt

F. Stulti timent fortunam, ſapientes ferunt.

F. Stultum eſt alium velle ulciſci poena ſua.

F. Stultum eſt queri de adverſis, ubi culpa eſt tua. 900

F. Stultum eſt timere, quod vitare non potes.

F. Stultum eſt vicinum velle ulciſci incendio.

F. Stultum facit fortuna, quem vult perdere.

S. Stultum imperare reliquis, qui neſcit ſibi.

F. Suadere primum benevoli eſt, dein corrigere. 905

G.† Succurre paupertati amicorum, imo potius occurre.

F. Suis qui neſcit parcere, inimicis favet.

F. Summiſſum imperium non tenet vires ſuas.

F.G.†. Sunt multi, qui plurimum verbis, non re contendunt: ſed ipſa, quae ſpernunt, clam furantur.

F G.†. Sunt quorum corpus innoxium eſt: ſed in mille Faunorum Furias mens cita decurrit. 910.

S. Suſpecta ſemper ornamenta ementibus.

F. Suſpicio ſibi ipſa rivales parit.

F. Suum ſequitur lumen ſemper innocentia.

F.G. TAcere quiſquis neſcit, hic neſcit loqui.

Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientia eſt. 915.

F.G.†. Talem diligentiam exhibe in amicis comparandis: ne incipias amare, quem deinceps poſſis odiſſe.

F. Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet.

G. † Tamdiu a periculo aberit populus, quamdiu ſciet ferre frenos.

G. Tam omnibus ingoſcere, quam nulli, eſt crudelitas.

G. † Tene ſemper vocis & ſilentii temperamentum: tamen & in hoc incumbe, ut libentius audias, quam loquaris. 920.

F. Theſaurum in ſepulchro ponit, qui ſenem haeredem facit.

Timidus vocat ſe cautum, parcum ſordidus.

F. G. Tolerabilior eſt, qui mori iubet, quam qui male vivere.

F. G. Tolerabilior poena eſt non poſſe, quam neſcire vivere.

F G. Triſtitiam ſi potes, cave, ne admiſeris. 925.

F. G. Turbae praebet ſpectaculum aeger animus.

F. G. †. { Turpia ne dixeris: paulatim enim pudor per verba diſcutitur: Tranſibit ſermo in affectum, ſi honeſta loquamur.

S. Turpis inopia eſt, quae naſcitur de gloria.

F. G. †. Turpius nihil eſt, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. 930.

F. G. †. Tu primum exhibe te bonum, & ſic quaeras alterum ſimilem tui.

F. G. †. Tutiſſima res eſt nihil timere praeter Deum.

G. †. Tyrannus a rege diſtat factis, non nomine.

Senec. 1. clem. c. 13.

F. UBi coepit divitem pauper imitari perit.

F. Ubicunque pudor eſt, ſemper ibi ſancta eſt fides. 935.

G. †. Ubi deſcrimen inter bonos maloſque ſublatum eſt confuſio ſequitur & vitiorum eruptio.

F Ubi fata peccant, hominum conſilia excidunt.

F. Ubi innocens formidat iudicem damnat.

F. Ubi omnis vitae metus eſt, mors eſt, optima.
F. Ubi peccat aetas maior, male diſcit minor. 940.
F. Ubi ſis cum tuis & abſis, patriam deſideres.
F. Ubi timetur, nil quod timeatur naſcitur.
G.† Ubi uſitata remedia non procedunt, tenta contraria.
S. Velox conſilium ſequitur poenitentia.
G. Venia eſt poenae debitae remiſſio. 945.
F.G.†. Verba rebus, non perſonis accipienda ſunt.
F. Verbum omne refert, in quam partem intelligas.
F. Verum eſt quod pro ſalute fit mendacium.
F.G.†. Verum non dicimus, nec audimus.
F.S. Veterem ferendo iniuriam, invitas novam. 950
G.† { Vide, ſi malus adhuc es, parce ſimilibus: Verum ſi eſſe deſiiſti, quare aliis locum emendationis abſcindas?
F.G.†. Vir eſt bonus, qui in tantum perduxit animum ſuum, ut non modo nolit peccare, ſed etiam non poſſit.
F.G.†. Vires tuas amici beneficiis, inimici iniuriis ſentiant.
F. Viri boni eſt, neſcire facere iniuriam. 955.
F,G.†. Viriliter feras quae neceſſe eſt: doloribus enim patientia vincitur.
F. Virum bonum natura, non ordo facit.
F,G.†. Virtutem cuius progreſſum videris non exitum eius deſperes.
F. Virtute quod non poſſis, blanditia auferas.
F. Virtuti amorem nemo honeſte denegat. 960.
F. Virtuti melius quam fortunae creditur.
F. Virtutis ſpolia cum videt, gaudet labor.
F. Virtutis vulnus partem habet victoriae.
F.G.†. Vis habere honorem? dabo tibi magnum imperium: Impera tibi.

F.G.†.Vis omnibus eſſe notus? prius effice, ut neminem noveris. 965.

F.G.†.Vita omnis brevis eſt, ideo immortalitas eſt mors honeſta.

F. Vitium fuit, nunc mos eſt aſſentatio.

F. G.Vix quiſquam in bonum, niſi ex malo tranſit.

F G.Ulcera animi ſananda magis quam corporis.

F. Unus dies poenam affert, quam multi cogitant. 970

G.† Volunt homines ita praeceptum eſſe, ut vivunt: non ita vivere, ut praeceptum.

F. Voluptas a difficili data dulciſſima eſt.

F.† Voluptas non pudicum corpus facit.

F. Voluptas tacita metus eſt magis, quam gaudium.

F.G.†.Ut aliquid auri extrahamus, terras pervertimus: ut ſummum bonum occupemus, ſcrutari pectus piget. 975.

G.† Utendum eſt divitiis, & non abutendum, ut nec a ſuperioribus contemnaris, nec ab inferioribus timearis.

G.† Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu; ſic animadverſiones magnarum poteſtatum terrent latius, quam nocent.

F.G.†.Utilis eductio & diſciplina mores facit. Unde bona conſuetudo excutere debet, quod mala inſtruxit.

G.† Utinam ea lex homini eſſet, ut cum telo ſuo frangeretur, nec ſaepius liceret nocere, quam ſemel. *Senec.* 1. *clem*, *cap.* 19.

F. Utcumque caſum aſpicere debet, qui imperat. 980.

F. Vultu an natura ſis ſapiens, multum intereſt.

IN PUBLII SYRI MIMOS NOTAE ET VARIAE LECTIONES.

VErſu 1. Hoc erat initium in editione Godofredi, qui plurima ſimilia habet minime Publiana, quae neſcio quis, male de Syro meritus, intruſit. Ego nihil ex ulla editione eieci, ſed quae mihi eiicienda videbantur, moneo per hoc ſignum †. Certum eſt hanc ſententiam e Seneca transſumptam eſſe,& quidem vitioſe, qui lib. I. de clementia cap. 1. ita incipit: *Duabus de cauſſis punire princeps ſolet, ſi aut ſe vindicat, aut alium.*

2. *A morte ſemper homines tantundem abſumus*. Dupliciter hic verſus intelligi poteſt. Primo, ut is, qui mimum hunc pronunciavit,geſtu adiuverit & oſtenderit verius ſenſum quam dixerit. Quemadmodum illud: *digitis a morte remotus Quatuor aut ſeptem*. Secundo ſenſus is poteſt eſſe, quem & Seneca eleganter alio modo expreſſit de remed. fortuitorum: *Undecunque ad inferos una via eſt*.

V.3.S. *Ab alio exſpectes alteri quod feceris*. Citat hunc Publianum mimum Seneca lib. 14.epiſt.95. *Quis autem negaverit feriri quibuſdam praeceptis efficaciter etiam imperitiſſimos? velut his breviſſimis verſibus*. Nihil nimis. Avarus animus nullo ſatiatur lucro. Ab alio exſpectes, alteri quod feceris. *Haec cum ictu quodam audimus, nec ulli licet dubitare, aut interrogare, Quare? Adeo etiam ſine ratione ipſa veritas ducit*.

V. 4. Friſingenſis codex legit: *Ab amante lacrymis redimes iracundiam*.

V. 5. Hanc ſententiam, minime Publianam,ita correxi. Nam G. legit. *A quacunque deſcenderis*. Eſt Sen. 1. de clem. c. 8.

V. 9.

V. 9. *Ad poenitendam properat, cito qui iudicat*. Quod hic de praepropero iudicio, id Graecus quidam de nuptiis: Ταμεῖν ὁ μέλλων εἰσμετάνοιαν ἔρχεται.

V. 10. F. & H. *Ad triſtem partem ſtrenua ſuſpicio*.

V. 11. Simile quid de Othone Imp. *Uxoris moechus coeperat eſſe ſuae*.

V. 12. *Aes, debitorem leve; grave inimicum facit*. Ita enim corrigo, ſecutus Senecam, qui lib. 1. ep. 19. *Leve aes alienum debitorem leve, grave inimicum*. Ubi Seneca ſine dubio meminit Publiani huius mimi, ſit tamen non ex hac ipſa ſententia Senecae pro Publiano concinnatus eſt. Scaliger legit: *Aes debitorem leve, grave inimicum facit.*

V. 14. Sequor hic lectionem m. ſ. F. Nam. G. & H. ſic legunt: *Aleator quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior*. Scaliger: *Aleator quantum in aleae arte eſt, tanto eſt nequior*. Ut ſit trochaicus.

V. 15. F. G. & H. *Alienum nobis, noſtrum plus aliis placet*.

V. 16. Retineo hic lectionem S. Exprimit hunc mimum vetus Graecus verſus: τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ m. ſ. Freiſingenſis ita habet: *Alienum homini ingenuo acerba eſt ſervitus*. G. & H. *Aliena homini ingenuo acerba eſt ſervitus*.

V. 17. Citatur a Seneca lib. 1. epiſt. 8. *Quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet? quam multa Publii non excalceatis, ſed cothurnatis dicenda ſunt? Unum eius verſum, qui ad philoſophiam pertinet, & ad hanc partem, quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in noſtro habenda.*

Alienum eſt omne, quicquid optando venit.

Hunc verſum a te dici non paulo melius, ſed adſtrictius, memini:

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

V. 23. F. vitioſe: *Amare & ſapere vix a Deo conceditur.*

V. 31. G. & H. bono quidem ſed alio ſenſu: *Amici vitia ſi feras, facis tua*.

V. 32. Libellus ille de moribus, quem Martino Epiſcopo Dumienſi, qui vixit anno D. LX. adſcribunt. *Amicos ſecundae res parant, adverſae certiſſime probant.*

V, 35. S. Tranſponit: *Animi arbitrio amor ſumitur, non ponitur*.

V. 37. Sequor hic S. noſter m. ſ. F. ita legit: *Amor extorqueri non poteſt, ſed elabi poteſt*. G. & H. omittunt *Sed*.

V. 41. G. *Amor otioſae cura eſt ſolicitudinis*.

V. 47. F. *tuta ingredi*. H, *tuto aggredi*.

V. 51. Martinus libro de moribus. *Acuit intenſio, frangit animum remiſſio*.

V. 53. H. *Aſpicere oportet quae poſſis deperdere*. m. ſ. F. vitioſe: *Aſpicere oportet quae poſſis perdere*. Neque improbo lectionem S. *Deſpicere oportet quid poſſis perdere*. Quem verſum dabo littera D.

V. 54. Secutus ſum m. ſ. F. ubi claris litteris legitur, ſed ſanandus eſt verſus: Godofredus: *Aſtute crines, dum celantur, aetas indicatur*. Et illico ſubiungit lectionem aliam, quam e veſtigiis m. ſ. codicis eruit *Aſtuta canos, dum celantur, aetas indicat*. At mox corrigit ita: *Aſtu canos, dum celant, aetas indicat*. Neque hic quieſcit, & ultimo ſic tentat: *Aſtute dum celatur, ſe aetas indicat*, quam ultimam lectionem Henricus Stephanus ſequitur, eam tamen coniectura non infelici ita corrigit:

Aſtu crimen celatur, aetas indicat.

Scaliger hoc modo habet:

Aetas cinaedum celat, aetas indicat.

Facile ex his prudens ſibi eligit optimam lectionem.

V. 60. S: *Avarus, niſi cum moritur, nil rectum facit*.

V. 62. De hoc verſu vide infra in littera D. verſu 165. quae notamus ex Seneca.

V. 74. m. ſ. codex Friſingenſis vitioſe: *nihil eſt teſtium*.

B. V. 67.

B.

V.67. F. vitioſe habet: *B. c. ſic excedunt non occidunt.*

V.70. ita clare m.ſ. F. & G. licet S. aliter: *B. p. accepit q. ſ. r.*

V.71. S. tranſponit *B. a. i. vendere eſt*.

V.72. ita citatur etiam a Gellio lib. 17. cap. 14. & Macrobio 2. Saturn. c. 7. licet m. ſ. Friſingenſis aliter habeat: *Beneficium dando accipit, qui digno dedit*.

V.73. G. *Beneficia diu. dat. o. obligas*.

V. 76. G. *Beneficia dare qui neſcit, i. p. H. Beneficium dare qui n. i. p.*

V. 77. G. *Beneficia ſe dediſſe quid p.*

V. 80. Ita omnino legendum ex G. & S. nam m. ſ. F. vitioſe habuit: *B. p. n. iudicium qui dat n.*

V. 82. Ita legit F. G. H. licet S. in littera C. ſic habeat: *coniunctio animi maxima eſt cognatio.*

V. 84. G. *excogitat*.

V. 85. Ita omnino legendum cum S. nam F. & G. male: *Bis enim mori eſt*.

V. 86. G. & H. *B. e. g. q. o. e. ultro ſi offeras. S. B. e. g. q o. e. ſi ultro offeras*.

V. 88. F. *peccato*.

V. 89. Ita lego cum G. & S. nam F. perperam tranſpoſuit: *Bis v. q. ſe in victoria vincit.*

V. 93. F. *Bona imperanti pecunia eſt*.

V. 95. F. *Bona nemini hora eſt, ut non alicui malo.*

V. 96. H. *homini*.

V. 98 In G. & H. abeſt *nimia*.

V. 99. F. *indicat*.

V. 101. Martinus lib. de moribus corrupte hunc mimiambum citat: *Bonis nocet, qui malis parcit*.

V. 102. G. H. & S. *B. v. i. maior malitia eſt.*

V. 105. Ita F. & S. nec opus corrigere cum G & H. *Bonum apud virum*.

V. 108. S. ita legit: *Bonum quidem ſupprimitur, nequa-*

quaquam extinguitur. G. vero hoc modo: *Bonum tametſi ſupprimitur, non extinguitur*.

V. 109. G. & S. tranſponunt verba: *Bonus animum laeſus, gravius multo iraſcitur*.

V. 110. G. *commodat*.

V. 112. G. & S. longe alio ſenſu: *Brevis mens ipſa eſt memoria iracundiae*.

C.

V. 215. Sequor m ſ. F. qui longe nitidius, quam S. editio, quae ſic: *C. p. etiam qui tutus cavet*.

V. 128. Eſt ſententia Senecae depromta ex lib. 1. de clementia cap. 5.

V. 130. Citatur a Gellio lib. 17. cap. 14. & Macrob. 2. Saturn. lib. 7.

V. 131. Ita G. & S. licet G. in littera B. etiam addat hos duos mimos: *Benevolus animus maxima eſt cognatio*. Et hunc: *Benevoli coniunctio animi maxima eſt cognatio*.

V. 136. Ita corrigo ex m. ſ. F. ubi ſic legitur: *Conſueta vitia ferri non reprehendimus*. S. ita legit: *Conſueta vitia ferimus, non reprehendimus*. Godofredus vero hoc modo: *Conſueta vitia ferimus, niſi reprehendimus*.

V. 138. G. & H. *C. e levius q. ſ. p.* S. vero ita legit: *C. gravius eſt ſtultitiae, q. perciti*.

V. 141. Sequor hic G. nam m. ſ. F. ita habet: *Contumeliam nec fortis poteſt, nec ingenuus pati*: Neque longe ab hac lectione abeſt H. S. qui ita legit: *Contumeliam non fortis pote nec ingenuus pati*, ut ſit trochaicus verſus.

V. 143. Sequor hic G. nam m. ſ. F. ita habet. *Quotidie eſt deterior dies poſterior*.

V. 151. S. tranſpoſitione variat *e. ó. b. d. populi poſſidet b.*

V. 152. Citatur a Gellio lib. 17. cap. 14. & Macrob. 2. Saturn. cap. 7.

V. 153. G. *Cui ſaepe dederis, ubi negas, rapere imperas*.

V. 154. tranſponit ita: *Cuivis accidere poteſt, quod cuiquam poteſt*. At ego ſequor G. Praeſertim cum & Seneca

ca ſic citet lib. 1. de tranquil. cap. 11. *Nunquam me in bona re mali pudebit authoris. Publius tragicis comiciſque vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias, & verba ad ſummam caveam ſpectantia reliquit? inter multa alia cothurno, non tantum ſipariis fortiora, & hoc ait:*

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Noſter vero codex m. ſ. F. ſic habet: *Cunctis poteſt a. q. civis p.*

V. 156. G. *Cuius mortem exſpectant cives; vitam oderunt.* H. *Cuius mortem amici exſpectant, vitam oderunt.* Noſter vero m. ſ. F. ſic legit: *Cuius mortem amici exſpectant, vitam cives oderunt.*

V. 159. G. & H. *in gratiam cito redit.*

D.

V. 161. F. vitioſe: *Damna ne obiurgare cum auxilio eſt opus.*

V. 162. Ita ex coniectura reſtituo: nam m. ſ. F. vitioſe habet: *Damnat lingua, vocem habet, vim non habet.*

V. 163. *Damnum appellandum eſt cum mala fama lucrum.* Feliciter idem vetus Graecorum:

Κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει.

V. 165. Godofredus legit: *Dari bonum, quod potuit auferri, poteſt.* Scaliger vero ita hunc verſum in littera A reddit: *Auferri & illud, quod dari potuit, poteſt.* Sed ne quaeramus quis germanam lectionem attigerit Publii, cum hic verſus non ſit Publianus. Nam Lucilius ad imitationem Publiani mimiambi hunc fecit, teſte Seneca lib. I. epiſt. 8. *Quam multa Publii non excalceatis, ſed cothurnatis dicenda ſunt? Unum eius verſum, qui ad philoſophiam pertinet, & ad hanc partem, quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in noſtro habenda:*

Alienum eſt omne, quicquid optando venit.

Hunc verſum a te dici non paulo melius, ſed adſtrictius memini:

Non

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Illud etiamnum melius dictum a te non praeteribo:

Dari bonum quod potuit, auferri poteſt.

Hoc non imputo inſolutum; de tuo tibi. Vale. Haec Seneca.

V.166. Sequor hic lectionem S. Nam noſter m. ſ. F. ita habet: *Dediſcere flere foemina eſt mendacium.* Godofredus: *Dediſcere flere foeminam eſt mendacium.*

V.167. Et hic ſequor lectionem S. Nam alii alio bono ſenſu: *De inimico ne loquare male, ſi cogites.*

V.168. Repono hic ex coniectura, *Diſcitur*, nam m.ſ. F. 1. habet, *Dicitur.*

V. 170. Sequor hic lectionem G. & S. Noſter m. ſ. F. ita legit: *Deliberandum eſt ſaepe, quicquid ſtatuendum eſt ſemel.*

V. 173. *Deos reddere credo, cum felix vocet*, Hanc lectionem iam retineo, licet fuerim in illa opinione aliquando, ut corrigerem: *Deos reddere credo cum felices vocet*, ſed retineo priorem, non quod placeat, ſed quod m. ſ. Friſing. ita aperte habeat, nec ego habeam, quam ſubſtituam certam & germanam.

V 174. Vide, quae notavimus in littera A ad verſ. 53.

V. 175. Citatur a Seneca l. 19. Epiſt. 109. *Non vides quemadmodum theatra conſonent, quoties aliqua dicta ſunt, quae publice agnoſcimus, & conſenſu vera eſſe teſtamur:*

Deſunt inopiae multa, avaritiae omnia.

In nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus.

Ad hos verſus ille ſordidiſſimus plaudit & vitiis ſuis fieri convicium gaudet. Haec Seneca.

V. 176. Citat Seneca l. 7. controverſ. 3. *Apud eum melius erant dicta, quam apud quemquam comicum tragicumque aut Romanum, aut Graecum; ut illum verſum, quo aiebat, unum verſum inveniri non poſſe meliorem: Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet; & illud de eadem re dictum:*

Deſunt luxuriae multa avaritiae omnia.

V. 177.

V. 177. G. & H. *Dives quod donat, timeas: cito raptum venit*. Ego lego cum m. ſ. F. *Dies*.

V. 185. G. ita legit. D. *Maledicta cuncta a. i. b. d.* & eſt Trochaicus. S. *Omne dixeris maledictum, quum ingratum hominem dixeris*, quem verſum in littera O. repeto H. *Dixeris maledictum quum i. h. d.*

V. 100. F. ita habet: *Dum eſt vita grata, mortis eſt conditio optima*. Ab hac mente eſt, quod ait Seneca de remed. fort. *Optimum eſt mori, cum iuvat vivere*. Et ibidem: *Optimum eſt, antequam optes, mori*, Propterea dixit Martialis:

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

E.

V. 195. Martinus libro de moribus iiſdem verbis citat.

V. 211. G. *Etiam peccato r. p. ſ.* Noſter vero m. ſ. Friſing. ita: *Et tamen huic peccato recte p. ſ.*

V. 212. F. *quid ſit*.

V. 213. F. *Et qui faciunt, o. i.* G. & H. ita legit: *Etiam qui faciunt, odio habent iniuriam*.

V. 216. *Et miſeriarum portus eſt patientia*. Aliter vetus Graecorum verſus: λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη.

V. 218. *F. Excelſus multo facilius caſus nocet*. Idem antea Apollodorus Comicus extulerat: ἀλλοῦ δὲ μεγάλου πτῶμα γίνεται μέγα.

V. 221. *F. Ex hominum queſtu facta eſt fortuna dea*.

V. 222. F. *e. pati eſt, patriae qui ſe denegat*. Henricus Stephanus ſic legit: *Se denegare patriae, exilium eſt pati*.

V. 229. Sequor hic lectionem S. ut ſit Trochaicus, nam m. ſ. F. ita habet vitioſe; *Exuli ubi nuſquam domus eſt, ſine ſepulchro eſt mortuus*. G. ita legit: *Exuli nuſquam domus eſt, ſine ſepulchro eſt tanquam mortuus*. H. *Cui nuſquam domus eſt, ſine ſepulchro eſt mortuus*.

F. V. 230.

F.

V. 230. Et hic ſcire aveo, quis fundus Scaligero fuerit in Publianis mimis; e quibus ſi hic eſt, Seneca illo uſus eſt, ſed aliter epiſt. 102. *Facilius creſcit dignitas, quam incipit*.

V. 232. H. *Fortuna quam n. v.*

V. 233. ita S. ſed puto hunc verſum effictum ex illo, qui eſt in noſtro m. ſ. F. hoc modo: *Ictum tacentem crimen facias acrius*, quem damus in littera I.

V. 235. F. *Fatetur ſ. is q. l. facit.*

V. 238. F. *Feras difficilia, ut facilia levius perferas.* G. *Fer difficilia, facilia ut levius perferas. Fer d. ut facilia l. p.*

V. 239. Ita citatur a Gellio lib. 17. c. 14. Friſingenſis m. ſ. & Macrobins 2. Saturnal. c. 7. *Feras non culpes, quod mutari non poteſt.*

V. 240. In F. vitioſe ita legitur: *Feras, quod laedit, ut, quod prodeſt perferas.*

V. 241 *Ficta cito ad naturam reciderint ſuam*, prima producta ἀρχαϊκῶς in *Reciderint*, ut Lucretio *Reducere* & ſimilia. Vid. Sen. l. clem. 1.

V. 242. G. & S. *Fidem nemo unquam perdit, niſi qui non habet*.

V. 243. F. & H. *Fidem qui perdit, nil poeſt ultra perdere*.

V. 245. F. *Fidem, qui perdit, quo ſe ſervet, non eſt relictum*. S. ita legit: *Fidem qui perdit, quo ſervet ſe in reliquum?* H. *F. q. p. q. ſe ſervet in reliquum?*

V. 246. Ita cum G. lego hunc verſum. Nam F. ita legit: *Fides unanima, unde abit, nunquam redit*. S. vero hoc modo: *Fides unanima, unde abiit, eo nunquam redit*. H. *Fides ut anima, unde abiit, nunquam redit*.

V. 247. Sequor hic lectionem S. Godofredus vero & H. ita habent: *Foeminarum naturam regere deſperare eſt omnium*. Noſter m. ſ. F. *Foeminae naturam regere, deſperare odium eſt*.

V. 249.

V. 249. Friſingenſis codex plane contrario ſenſu: *Fortuna homini plus quam conſilium valet.* Sed legendum forte: *Fortuna nemini plus.*

V. 252. S. *Fortunam citius vel rapias, quam retineas.*

V. 259. Secutus ſum hic noſtrum m. ſ. Friſingenſe. Scaliger notat hunc verſum mutilum eſſe hoc modo: *Fortuna unde aliquid fregit, quaſſum eſt.* Godofredus: *Fortuna unde aliquid fregit, caſus eſt.*

V. 260. Hic verſus vel ex Seneca pro Publiano mimo concinnatus eſt, vel ad Publianum mimum reſpexit Seneca lib. 10. Epiſt. 73. cum ait: *Nihil dat Fortuna mancipio.*

V. 262. Sequor S. lectionem. Nam G. ita habet: *Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.*

V. 263. & 264. Omnino germana eſt haec lectio Publiani mimi:

Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.

Quem citat ita Gellius lib. 16. c. 14. Macrobius 2. Saturnal. c. 7. Inſerta, aliter, inſtita: utrumque ab eadem origine. Graece πάρυφος ἀπὸ τῆς ἐσθῆτος. Ut inſtita non eſt tota veſtis, ſed ſequela & ornamentum: ita frugalitas non omnino tota cauſſa eſt rumoris boni, ſed acceſſit ornamentum illi. Plane Publianae elegantiae ſententia. Tertull. libro de Idololatria, litteraturam ſecularem inſertam praedicationis Idololatria evocat. *Si fidelis*, inquit Tertull. *litteras doceat, inſertas Idolorum praedicationis.* Ita recte corrigit. S. *Caeterum*, inquit Tertullianus ibidem, *purpura vel caetera inſignia dignitatum inſertae, dignitati & poteſtatibus Idololatriae ab initio dicata.* Inſignia & purpuram vocat inſertas dignitatum, quaſi dicas ornamenta, ut eſt inſtita veſti aut emblema annulo. Tam enim inſerta poteſt eſſe inſtita quam emblema. Quod ſi cui una cum S. & Henrici lectione de inſerta, videatur nihilominus retinendus ille alter Publianus mimus: *Fru-*

Frugalitas rumoris boni miſeria eſt:
nae ille poterit multis modis eleganter illum explicare, ut ſit ſenſus: Eſſe frugalem rumor quidem bonus eſt. ſed infelix, & parum vulgo laudatus, cui profuſio magis placet. Vel: Qui laudatur frugalis, is non laudatur. Et ſic miſeria accipietur pro inopia ſeu penuria. Poteſt etiam ſic exponi: Frugalitas eſt Parſimoniae vitium, ſed ſub honeſto laudatoque nomine.

V. 265. G. & H. ita legit: *Fruſtra, cum ad ſenectam ventum eſt, repetas adoleſcentiam.* Et eſt Trochaicus.

V. 267. Ita recte G. & H. nam m. ſ. F. habet: *flumen.* Et eſt Trochaicus.

T. 268. Citatur a Gellio l. 17 cap. 14. & Macrob. 2. Saturn. cap. 7.

V. 269. G. & H. ita legunt: *Futura pugnant, ut ſe ſuperari ſinant,* Ut ſenſus ſit: ſic inſtant futura mala, ut tamen vinci vitarique poſſint.

G.

V. 276. G. & H. ita legunt: *G. a. p. e. q. poſt factum p.* S. vero hoc modo: *q. poſt facti p.*

V. 278 F. & S. *Gravior eſt inimicus, qui latet in pectore.*

H.

V. 285. S. & G. & H. legunt *auxilia* pro *conſilia*. Et eſt Trochaicus.

V. 289. H. *Haeredem ſcire utilius eſt quam q.*

V. 290. F. ita Macrobius citat & Gellius; licet noſter m. ſ. F. legat: *Haeres fictus ſub perſona riſus eſt.*

V. 292. Eſt Trochaicus. S. legit: *In tormentis.*

V. 293. G. & H. *H. q. difficile eſt gloriae coſtodia.*

V. 294. Eſt Trochaicus G. ita legit: *H. q. m. e. ab illo l. d. q. n. p. q.*

V. 295. F. legit: *Ubi non ſis doctus dominari.*

V. 296. H. *Heu quam poenitenda incurrunt homines vivendo diu.*

V. 297. F. *Heu quam eſt timidus, qui mori tutum putat.*

V. 301.

V. 301. F. ita legit : *Homo extra corpus ſuum eſt , cum iraſcitur* .

V. 302. G. & H. *Homo neſcit, ſi dolore fortunam invenit.*

V. 303. Eſt Trochaicus .

V. 304. Ita lego cum G. & eſt elegans mimiambus tetrameter , qui in m. ſ. F. ita habetur : *Homo ſemper in ſe aliud fert , in alterum aliud cogitat* . Miror proinde S. ita mutaſſe : *Homo ſemper in os fert aliud; aliud cogitat* .

V. 308. ita habet : *H. l. eſt mori pro bona cauſſa* .

V. 310. F. *Serviet*.

V. 311. His verbis refert hanc ſententiam Martinus libro de moribus , quae deſumpta eſt ex Seneca lib. I. Epiſt. 3. *Tu vero omnia cum amico delibera , ſed de ipſo prius . Poſt amicitiam credendum eſt , ante amicitiam iudicandum . Iſti vero praepoſtere officia permiſcent, qui contra praecepta Theophraſti , cum amaverint , iudicant ; & non amant , cum iudicaverint* .

L

V. 315. Ita corrigo . m. ſ. F. habet : *late* .

V. 318. G. *Focum tacentem crimen faciat acrius* . *S. Factum tacendo , crimen facias acrius* .

V. 319. S. *Ita agas , ne quis tuopſe te merito oderit* . *H. Id agas , ne quis tuo te merito oderit* . Martinus lib. de moribus . *Id agas , ne quis merito te oderit*.

V. 321. Ita corrigo . M. S. F. habet : *Ignoſcere hominum eſt , niſi pudet ignoſcitur* . Alio ſenſu legit G. & H. *Ignoſcere humanum , ubi pudet , cui ignoſcitur* . S. ita legit : *Ignoſcere hominum eſt , ubi pudet , cui ignoſcitur* .

Verſ. 324. His verbis refert Martinus libro de moribus hanc gnomen.

Verſ. 326. Eſt Trochaicus . Citatur a Gellio lib. 17. cap. 14. Macrob. 2. Satur. cap. 7. apud quos aliqui ſic disiungunt .

---- *Improbe*

Neptunum accuſat , qui iterum naufragium facit .

V. 328. F. *Impune pecces in eum, qui peccat rarior.*

V. 329. F. *In amore ſemper mendax eſt iracundia.* H *in a. ſ. m. iracundus eſt.*

V. 330. Ita corrigo m ſ. F. habet: *In amorem.*

V. 335. Corrigo ita ex coniectura. Nam F. habet: *Inertia laboris eſt excuſatio.*

V. 338. Noſter m. ſ. F. habet: *Inferior horreſcit*, S. *inferior reſcit, quicquid peccat ſuperior*, ut ſit ſenſus, ad quem alludit Iuvenalis: *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe crimen habet, quanto maior qui peccat, habetur.*

V. 340. G. & S. & H. *laedis c. l. rogas.*

V. 344. Martinus libro de moribus. *Inboneſta victoria eſt, ſuos vincere. Satis eſt poenarum potuiſſe puniri.*

V. 349. G. & H. *In vindicando.*

V. 353. Hunc citat Seneca lib. 14. Epiſt. 95. *Nunquid rationem exiges, cum tibi aliquis hos dixerit verſus?* Iniuriarum remedium eſt oblivio. Audentes fortuna iuvat. Piger ſibi ipſe obſtat.

V. 354. G. & H. *In malis ſperare bonum n. i. n. ſ.* & eſt Trochaicus.

V. 355. H. *In miſeri vitia nulla contumelia eſt.*

V. 357. Ita etiam citat hunc verſum Seneca lib. 19. Epiſt. 109. licet noſter m. ſ. F. habeat: *In nullo.*

V. 358. S. *Inopiae deſunt parva, a. o.* H. *Inopiae pauca, deſunt.* Vide quae de hoc notamus in littera D. verſu 175 τὸ, *parva*, pro *pauca*, eſt Helleniſmus, παῦρα.

V. 360. F G. S. *plurima.*

V 368 G. ita legit; *Invidia loquitur, non quod eſt, ſed quod ſubeſt.* S. vero hoc modo; *Invidia loquitur id, quod obeſt, non quod ſubeſt.*

V. 369. F. *Invidiam ferre an fortis, an felix poteſt?*

V. 371. G & H. vitioſe; *Sed minute iraſcitur.*

V 372. F. legit; *in ſe vitat culpam, qui peccatum praeterit.*

V. 374. F. *incites.*

V. 375.

V. 375. Ita legit S. & eſt Trochaicus. Sed eſt con fectus hic verſus, ni fallor; ex verſu 32. quem vide & eius variam lectionem.

V. 376. Ita S. & G. eſt Trochaicus. Noſter m. ſ. F. invertit ita: *Iracundiam qui vincit, maximum ſuperat hoſtem.*

V. 381. Ita G. & S. & eſt Trochaicus m. ſ. F. ita habet; *Irritare eſt calamitatem, cum te vocaveris felicem*

V. 382. F. *Is minimum eget, qui minimum cupit.* Sed omnino corrigendus eſt ex Seneca lib. 19. Epiſt. 109. *Praecipitur, ut homines in animo, non in patrimonio putent eſſe divitias. Eum eſſe locupletem, qui paupertati ſuae aptus eſt, & parvo ſe divitem fecit. Magis tamen feriuntur animi, cum carmine eiuſmodi dicta ſunt:*

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

Quod vult habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt.

V. 383. F. *Ita credas amico.*

V. 384. Ita citat hunc mimum Gellius lib. 17. c. 14. Aliter S. *Ita habeas amicum, poſſe ut fieri inimicum putes.* Ut ſit Trochaicus. Aliter etiam F. *Ita amicum habeas, poſſe ut facile fieri putes hunc inimicum.* Mocrobius 2. Saturnal. c. 7. ita citat: *Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.*

L.

V. 395. H. *Laus ubi nova oritur, etiam vetus admittitur*

V. 399. G. & H. *Lex univerſi.* F. *Lex univerſa, quae iubet n. & m.*

V. 400. G & S. *Sub vultu domat.* Retineo tamen lectionem m. ſ. F. Ut ſit ſenſus, quem etiam Seneca bene expreſſit lib. 1. de ira cap. 1. *Nec ignoro caeteros quoque affectus vix occultari, libidinem, metumque & audaciam dare ſui ſigna, & poſſe praenoſci. Neque enim ulla vehementior intra cogitatio eſt, quae nihil moveat in vultu.*

V. 401. G. *Libido indicium eſt, quo levitas ſapit.* S. vero ſic: *Libido indicium eſt eius, quod levitas ſapit.*

Verſ. 407. Hic verſus iam poſitus eſt in littera D. & eſt numero 175.

M.

V. 408. F. *Magis fidem hæres naſcitur, quam ſcribitur.*

V. 411. Videtur hic ſumptus ex illo mimiambo Publlii: *Iniuriarum remedium oblivio eſt*. De quo in littera I.

V. 412. Videtur ex Seneca deſumpta ſententia, qui ait lib. 2. de ira cap. 32. *Magni animi eſt, iniurias deſpicere.*

V. 413. Eſt Trochaicus.

V. 416. F. *datore*. H. *doctrina*.

V. 418. F. *Mala eſt voluntas ad alienum conſueſcere*.

V. 431. G. *Malignum*.

V. 432. Eſt ſententia ex Seneca l. de remed. fortuitorum de qua notavimus in litera O. v. 608.

V. 435. S. *Malo conſilio*.

V. 442 F. & H. *Malus ubi bonum ſe ſ. t. e. p.*

V. 443. H. & S. *M. e u. q. ſua cauſſa eſt b.*

V. 461. G. & S. faciunt Trochaicum: *Miſeriam neſcire propriam, eſt ſine periclo vivere*.

V. 468. F. *Miſerum eſt agere cogi. quod cupias loqui.*

V. 473. S. *invoces*.

V. 477. Ita corrigo. Nam in m. ſ. ſic erant tranſpoſita: *Mortem, ubi contemnas, metus viceris omnes*.

V. 478. Eſt Trochaicus S. & G. ita legunt: *Mortuo qui mittit munus, nihil dat illi, ſibi adimit*.

V. 479. Eſt ſententia Senecae ex lib. 1. de clementia.

V. 481. S. *Mulier quae*.

V. 484. F. habet vitioſe: *Qui vi facit iniuria*. S. ita legit: *Multis minatur, qui facit uni iniuriam. H. m. m. qui uni facit iniuriam*.

V. 490. F. *m. ſ. b. cum irritatur iniuria*. G. & H. *irrites iniuria*.

N.

V. 491. Martino adſcriptus libellus de moribus hanc ſententiam ita refert: *Etſi nullos inimicos tibi facies iniuria,*

ria, *multos tamen facit invidia*. Godofredus ſic legit: *Nam ſi nullos inimicos tibi parit iniuria*, *multos tamen invidia*.

V. 493. Ita ex coniectura reſtituo hunc mimiambum, qui in m. ſ. F. perperam erat ſic tranſpoſitus: *Neceſſe eſt minima eſſe maximorum vitia.*

V. 494. Scaliger inepte hunc pro Publiano mimiambo venditat, cum ſit Laberianus, ſimilis quidem illi Publiano, quem ante dedimus.

Multos timere debet, *quem multi timent*.

Seneca lib. 2. de ira c. 11. magnifice illum Laberii mimum laudat his verbis: *Occurat hoc loco tibi Laberianus ille verſus*, *qui medio civili bello in theatro dictus*, *totum in ſe populum non aliter convertit quam ſi miſſa eſſet vox publici affectus*:

Neceſſe eſt multos timeat, *quem multi timent*.

Ita natura conſtituit, *ut quod alieno metu magnum eſt*, *a ſuo non vacet*. Macrob. 2. Saturn. cap. 7. agens de Laberii mordacibus mimis in Caeſarem iactatis, etiam hunc numerat: *In ipſa quoque actione*, *ſubinde ſe*, *qua poterat*, *ulciſcebatur*, *inducto habitu Syri*, *qui velut flagris caeſus proripientique ſe ſimilis exclamabat*:

Porro Quirites, *Libertatem perdimus*.

Et paulo poſt adiecit:

Neceſſe eſt multos timeat, *quem multi timent*.

Quo dicto univerſitas populi ad ſolum Caeſarem oculos & ora convertit, *notantes impotentiam eius hac dicacitate lapidatam*. *Ob haec in Publium vertit favorem*.

V. 510. Codex m. ſ. F. *Negat ſibi*, *qui*, *quod difficile eſt*, *petit*.

V. 511. Martinus lib. de moribus: *Neminem laudaveris*; *neminem cito accuſaveris*; *puta te cum diis teſtimonium dicere*.

V. 515. F. *Poena ſuis eſt*. Martinus lib. de moribus: *Nequitia ipſa ſui poena eſt*. *Mala conſcientia ſaepe tuta eſt*, *ſecura nunquam*.

V. 516. Eſt Thochaicus. Henricus Stephanus ita legit: *Neſcis quid optes, aut quid fugias: ita ludit dies.*

V. 518. & 519. Martinus lib. de moribus: *Nihil petas, quod negaturus fuiſti. Nihil negabis, quod petiturus fuiſti.*

V. 522. *Nil agere ſemper infelici eſt optimum.* Quod hic de infelici dictum, verſiculus Graecus de peregrino extulit.

Ξένος ὢν ἀπράγμων ἴσθι καὶ πράξεις καλῶς.

V. 526. Haec ſententia reperitur in libello toties iam citato, de moribus, quem Godofredus cum Seneca edidit, & Martino Epiſcopo adſcribit, ubi Gnomologia eſt ex Seneca, & mimis, & Pythagorae aliorumque dictis.

V. 529. Ita ex coniectura corrigo. Nam m. ſ. F. vitioſe habet: *Nihil non acerbum prius quam maturum ſit.*

V. 533. H. & S. *Nil proprium ducas, quod mutarier poteſt.* G. *Nil proprium ducas, quod mutari poſſit.*

V. 534. Ita ex coniectura conſtituo hunc Mimum. Nam m. ſ. F. ſic habet. *Nihil tempore ducas pro ſalutis remedio. Tempore* enim lego, cum ſit per compendium dictionis, *tpe*. Quod moneo ideo: quia occaſio forte erit, germanae lectioni eruendae.

V. 535. *Nil turpius quam vivere incipiens ſenex.* Eleganter ab hac mente Seneca lib. 3. Epiſt. 23. *Poſſum enim vocem tibi Epicuri tuam reddere, & hanc Epiſtolam liberare.* Moleſtum eſt, ſemper vitam inchoare. *Aut ſi hoc modo magis ſenſus poteſt exprimi:* Male vivunt, qui ſemper vivere incipiunt. *Quare? inquis, Deſiderat enim explanationem iſta vox Quia ſemper illis imperfecta vita eſt. Non poteſt autem ſtare paratus ad mortem, qui modo incipit vivere. Id agendum eſt, ut ſatis vixerimus. Nemo hoc putat, qui orditur cum maxime vitam. Non eſt, quod exiſtimes paucos eſſe hos, propemodum omnes ſunt. Quidam vivere tunc incipiunt, cum deſinendum eſt. Si hoc iudicas mirum, adiiciam, quod magis mireris: Quidam ante vivere deſierunt, quam inciperent.*

V. 537. *Nimium altercando veritas amittitur.* Ita etiam citatur a Gellio lib. 17. c. 14. & Macrob. 2. Saturn. c. 7. Noſter m. ſ. F. legit: *veritas evertitur.*

V. 538. Ita ex coniectura corrigo hunc mimum. Nam F. vitioſe: *Nimirum eſt in morte boni, cum nihil ſit mali.*

V. 549. Ita legunt G. & Martin. lib. de moribus. Noſter m. ſ. F. tranſponit: *Non vivas aliter in ſolitudine, aliter in foro.*

V. 550. m. ſ. F. ita legit:

Non aſpicias quam plenas quiſque Deo manus,
Notes ſed quam puras admoveat.
Non aliter pulcherrimus Dei cultus eſt, animus
Niſi fuerit optimus.

Martinus lib. de moribus ultimam hanc ſententiam ſolam inſerit ſuae Gnomologiae his verbis: *Optimus ergo animus & pulcherrimus Dei cultus eſt.* Latet autem hic elegans mimiambus Publii, quem in littera P. reddemus.

Puras Deus non plenas aſpicit manus.

Ex quo neſcio quis male feriatus ineptias ilias concinnavit.

V. 551. *Non cito ruina perit is, qui rimam timet.* Ita omnino legendum eſt. Sunt, qui elegantiſſimam ſententiam ita corruperunt: *Non cito ruina cadit vir, qui ruinam timet.* Godofredus hoc modo legit: *Non cito perit ruina, qui ruinam timet.* Codex Friſing. & H. ſic habet: *Non cito ruina perit, qui ruinam timet.*

V. 553. Martin. l. de moribus. *Nondum es felix, ſi te turba non deriſerit.*

V. 555. F. *Non eſt pudica domus, quae multos recipit amicos.* Martin lib. de moribus: *Nulla eſt puſilla domus, quae multos amicos capit.*

V. 556. F. Propter hunc & ſimiles multos verſus, avent pariter mecum multi ſcire, quis fundus fuerit Scaligero in editione Publianorum Mimorum. Nam ſi hic Publianus eſt, Seneca illum in memoria habuit; cum

ſcripſit Epiſtol. 101. *Sed non ſtatim puſillum eſt, ſi quid maximo minus eſt.* Quid ſi quis ex hac ſententia Senecae verſum concinnarit, quem pro Publiano ſuppoſuerit?

Non eſt puſillum, ſi quid maximo eſt minus.

V. 558. Hic non eſt verſus Publii, ſed Lucilii, ad imitationem Publiani mimi factus, teſte Seneca lib. I. Epiſt. 8. Locum eius dedimus ſupra ad v. 165.

V. 561. Haec ſententia Senecae eſt libro de ira.

V. 563. F. *Non poteſt non ſapere, qui ſe ſtultum intelligit.*

V. 564. Citat h. mimiamb. licet corrupte, Martin. l. de moribus.

V. 567. Elegans trochaicus, quem S. ita legit: *Nulla tam bona eſt fortuna, de qua non poſſis quaeri.*

V. 573. Et hunc elegantem mimum corrupte citat Martinus lib. de moribus: *Nullum putaveris locum ſine teſte*, licet & in m. ſ. F. ſint perperam tranſpoſitae voces, hoc modo: *Nullum putaveris eſſe locum ſine teſte.*

V. 576. G. *Nullus eſt tantus quaeſtus, quam eo quod habes parcere.* Ut ſit pars trochaici tetrametri. Codex Friſingenſis vitioſe: *Nullus eſt tantus quaeſtus, quam quod habeas arcere.*

V. 580. *Nunquam periclum ſine periclo vincitur.* Ita etiam citat Gellius lib. 17. cap. 14. & Macrobius 2. Saturn. c. 7. Friſingenſis Codex legit: *N. periculum ſine periculo v.*

V. 583. *Nunquam ubi diu fuit ignis, defuit vapor;* ita omnino corrigo ex coniectura, in m. ſ. F. legebatur, *cecidit vapor.*

O

V. 586 G. legit: *aliquid blandi admiſce.* Martinus lib. de moribus: *Obiurgationi ſemper aliquid blandi admiſce: facilius enim penetrant verba, quae molli vadunt via.*

V. 592. Eſt trochaicus, Godofredus ita habet: *Odium oportet peccandi, non metum facias.*

V. 595. Martin. lib. de moribus: *Tolle excuſationem; n. p. i.*

V. 597.

V. 597. Libellus ille Martini de moribus ita incipit: *Omne peccatum actio eſt. Actio autem omnis voluutaria eſt, tam honeſta quam turpis. Ergo voluntarium eſt omne peccatum.*

V. 600. G. *Omnes vitam differentes mors incerta praevenit.*

V. 604. Martinus lib. de moribus: *Hoc habet omnis affectus, ut in quo ipſe inſanit, in id putet etiam caeteros furere*, Godofredus ita legit: *Omnis affectus habet, ut in eo, in quo ipſe inſanit, in idem putet caeteros furere.*

V. 608. & 609. Sententia haec ex Seneca concinnata eſt, qui libro de remed. fortuitorum haec: *Male de te loquuntur homines? ſed mali. Moverer, ſi de me Marcus Cato, ſi Laelius ſapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere laudari eſt.* Hanc ſentenriam ſuae gnomologiae inſeruit Mart. lib. de moribus, ubi & haec: *Male opinentur de te homines: ſed mali. Malis diſplicere, eſt laudari.*

V. 614. Mart. lib. de moribus. *Oratorem te puta, ſi tibi ante omnes, quod oportet perſuaſeris.*

V. 626. Citatur hic mimus Publii nomine a Seneca Rhetore, philoſophi Patre, 7. controv. 3. Noſter m. ſ. F. ſic legit: *O vitam miſero longam, felici brevem!* Supra in lit. E. ſic edimus: *Eſt vitam. l. f. b.* Revocat mihi verſus iſte alium elegantiſſimum, quem Seneca filius citat libro de brevitate vitae c. 2. *Quod apud maximum poetarum, more oraculi dictum eſt, verum eſſe non dubitem:*

Exiguae pars eſt vitae, quam nos vivimus.

Sed Senecae Patris locum integrum dabo, ut intelligas, quomodo etiam declamationibus, uſque ad quorundam nauſeam, mimos Publianos inſeruerint: *Murrhedius uſus colore eſt, & Publiana ſententia dixit. Abdicationes, inquit, ſuas veneno diluit: Et iterum: Mortem, inquit, meam effudit: Memini nos, cum loqueretur de hoc genere ſententiarum, quo iam infecta erant adoleſcentulorum omnium ingenia, queri de Publio, quaſi iam ille hanc inſaniam introduxiſſet. Caſſius Severus, ſummus Publii amator aiebat: non illius hoc vitium eſſe, ſed illorum, qui illum ex parte, qua tranſire deberent, imitaren-*

tarentur; quae apud eum melius erant dicta, quam apud quemquam Comicum Tragicumque aut Romanum, aut Graecum, ut illum verſum, quo aiebat unum verſum inveniri non poſſe meliorem:

Tam deeſt avaro quod habet, quam quod non habet. Et illud de eadem re dictum.

Deſunt luxuriae multa, avaritiae omnia.

Et illos verſus, qui huic quoque ter abdicato poſſent convenire.

O vita miſero longa, felici brevis.

Et plurimos deinceps verſus referebat Publii diſertiſſimos. Deinde autorem vitii, quod ex captione unius verbi plura ſignificantis naſcitur, aiebat Pomponium Atellanarum ſcriptorem fuiſſe; a quo primum ad Laberium tranſiſſet hoc ſtudium imitandi; deinde ad Ciceronem, qui illud ad virtutem ſtudio tranſtuliſſet. Nam ut tranſeam innumerabilia, quae Cicero in orationibus; aut in ſermone dixit, & nota ut non referam a Laberio dicta, cum mimi eius, quicquid modo tolerabile habebant, tale habeant; id quod Cicero in Laberium, &c Uterque elegantiſſime, ſed neuter in hoc genere ſervat modum. Ab his huius ſtudii diffuſa eſt in plures imitatio. Porro ut videas, quam avide oratores Publianas ſententias ornamenti loco uſurparint, idem fecit Calvus, ille inquam, qui (ut inquit Seneca lib. 7. controv. 4.) *diu cum Cicerone iniquiſſimam litem de principatu eloquentiae habuit, uſque eo violentus accuſator, & concitatus, ut in media actione eius, ſurgeret Vatinius reus, & exclamaret; Rogo vos Iudices; num ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet?* De hôc Calvo inquit Seneca: *in hac controverſia Publianam ſententiam dedit.*

V. 617. Martinus lib. de moribus: *Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum.*

V. 622. Sequimur hic m. f. F. & Gellium, qui lib. 17. cap. 14. ita citat: *Pars beneficii eſt, quod petitur, ſi belle neges.* Macrob. vero l. 2. Saturn. cap. 7 hoc modo. *Pars beneficii eſt, quod petitur, ſi cito neges.*

V. 626. Godofredus ita legit: *Patria eſt, ubicunque bene vixe-*

vixeris. Si Publianus eſt, tunc dimetrum mimiambum iſtum reſpexerit Seneca l. de remed: fortuit. *Patria eſt, ubicunque bene eſt. Illud autem, per quod bene eſt, in homine, non in loco eſt*. Quam ſententiam citat Martinus lib. de moribus.

V. 627. Codex Friſingenſis habuit: *Paucorum eſt intelligere, qui det Deus*.

V. 634. Citat Mart. l. de moribus.

V. 635. Ita corrigo ex coniectura, nam m. ſ. F. ita legit: *Pecunia regimen eſt rerum omnium*.

V. 636. Citat Mart. l. de moribus.

V. 639. & 640. Mart. lib. de moribus: *Peiora ſunt tecta, quam aperta. Itaque minus loquax inimicus offendit quam tacitus*.

V. 641. & 641. Solus Godofredus refert hunc mimum ſolum.

Perdenda ſunt multa, ut ſemel ponas bene.

Sed ſi hic Publianus eſt, neceſſe eſt & priorem eſſe, quem apud Senecam reperio: qui l de beneficiis c. 1. ita incipit:

Beneficia in vulgus cum largiri inſtitueris,
Perdenda ſunt multa, ut ſemel ponas bene.

In priore verſu utrumque reprehendas. Nam nec in vulgus effundenda ſunt, & nullius rei, minime beneficiorum, honeſta largitio eſt; quibus ſi detraxeris iudicium, deſinunt eſſe beneficia: in aliud quodlibet incidunt nomen. Sequens verſus mirificus eſt, qui uno bene poſito beneficio, multorum amiſſorum damna ſolatur. Haec Seneca. Elegantes ſane duo mimiambi, digni qui ſuo auctori Publio reddantur.

V. 648. m. ſ. Friſingenſis legit, ſenſu eleganter acuto: *Perfacile felix, quod vota imperant, facit*. Si quis tamen hic *vota* in *fata* mutet, huic non repugno.

V. 655. Martin. l. de moribus: *Multi cum aliis maledicunt, ſibi ipſis convicium faciunt. Nihil turpius, quam qui obiicit alteri ſibi obiiciendum*.

V. 673.

V.673. Martin. lib. de moribus: *Praeſtabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, omnibus pietatem.*

V.676. *Principium ſaevitiae bellum eſt*, legit vitioſe Godofredus. Quomodo corrigendum ſit, patet ex Seneca l. 1. de clementia c.5. *Quantulum enim nocet privata crudelitas? Principum ſaevitia, bellum eſt* Haec Seneca.

V.677. Martin. l. de moribus. *Priuſquam promittas, deliberes & cum promiſeris facias:*

V.692. Mart. lib. de moribus: *Locum tenet innocentiae proximum confeſſio.*

V.699 G. *Pulcherrimum eſt omnia praeſtare nihil exigenti*

V.701 Vide quae ſupra notavimus in littera N. verſu 550

V.702. Martinus lib. de moribus: *Fortior eſt qui cupiditatem vincit, quam qui hoſtem ſubiicit.*

Q

V.703. His ipſis refert hanc ſententiam in gnomologia Mart.l.de moribus. Quales ſententiae paſſim in Seneca, ut & illa l.2.ep.14. *Quia facta eſt mentio, accipe, quemadmodum uſus fructuſque eius tibi eſſe gratior poſſit.* Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. *Ede, inquies autorem. Ut ſcias, quam benigni ſimus, propoſitum eſt aliena laudare. Epicuri eſt, aut Metrodori, aut alicuius ex iſta officina. Et quid intereſt, quis dixerit? Omnibus dixit.*

V.704 m.ſ.F. *Quae vult videri bella, nimium illi negat.*

V. 705. m.ſ.F. *Quam felix vita, quae ſine negotiis tranſit.*

V.710. Martinus lib. de moribus: *Bonum eſt non laudari & eſſe laudabilem.*

V.727. Godofredus ita legit: *Quamvis agas id, ne quis merito tuo te oderit, erunt tamen ſemper, qui oderint.*

V.730.&731. Poſſis hos duos pro trochaicis agnoſcere.

V.735. Mart. lib. de moribus: *Qui aequo animo malis immiſcetur, malus eſt.*

V. 744. & 745. Hos duos verſus pro trachaicis poſſis defendere.

V.747. m.ſ.F. *Qui obeſſe cum poteſt, non vult, prodeſt.*

V.748.

V. 748. Sequor hic lectionem m.ſ.F. argute acutam. Godofredus legit: *Quidam inimici graves ſunt, amici leves.*

V, 749. G. *Quidam, quoſdam occidunt inimicos, non quia habeant, ſed quia meruerunt.*

V. 750. Mart. l. de moribus: *Quid dulcius, quam habere amicum, cum quo audeas ut tecum loqui?* Sequor ego lectionem m.ſ.F. ubi tamen, *ſtultius* in *dulcius* muto.

V. 754. & 755. Mart. l. de moribus: *Quid eſt dare beneficium? Imitari DEUM.* Et paulo poſt: *Quid homini eſt inimiciſſimum? homo.*

V. 759. *Quid refert, quantum habeas? multo illud plus eſt quod non habes.* Hunc trochaicum citat Gellius.

V. 760. G. *Quis ſis intereſt, non quis habearis.* Mart. l. de moribus: *Quis ſis intereſt, non quid habeas.*

V. 762. Martinus l. de moribus: *Quietiſſimam vitam agerent homines in terris, ſi haec duo verba a natura omnium rerum tollerent, Meum, & Tuum.*

V. 768. G. *C deſinit quia fecit.*

E. 770. Citat hunc mimum Mart. l. de moribus. Noſter m.ſ.F. ita legit: *Qui paupertatem timet, quam timidus eſt?*

V. 776. Mart. l. de moribus, *Qui propter pecuniae amorem & libidinem moritur, oſtendit ſe nunquam ſui cauſſa vixiſſe.*

V. 782. Citatur etiam il lib. de moribus. Huius mentis plenus eſt Seneca, ſicut & illa huc faciunt epiſt. 2. *Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt.*

V. 796. Eſt trochaicus. Noſter tamen m.ſ F. ita legit: *Quod perit, quaeri poteſt reprehendi non poteſt.*

V. 800. Martinus lib. de moribus: *Quod tacitum eſſe velis, nemini dixeris. Si tibi non imperaſti, quomodo ab alio ſilentium ſperas?*

V. 804 S. ita legit: *Quod vult habet, qui cupere, quod ſat eſt poteſt.* Nos ſecuti ſumus Senecam, qui hunc mimum ita citat. l. 19. ep. 109. *Magis tamen feriuntur animi, cum carmine eiuſmodi dicta ſunt:*

Is minimum eget mortalis, qui minimum cupit.

Quod

Quod vult habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt. *Cum haec atque eiuſmodi audimus, ad confeſſionem veritatis adducimur. Illi enim, quibus nihil ſatis eſt, admirantur, acclamant, odium pecuniae indicunt.*

R

Verſ. 810. m. ſ. F. vitioſe *Parva* habet, quod in *prava* mutandum.

V. 812. *Rege incolumi mens omnibus una eſt; Amiſſo rupere fidem.* Eſt Virgilii 4. Georg. quod Seneca citat. l. 20. epiſt. 115, & 1. de clementia, cap. 4.

V. 814. & 815. Martinus lib. de moribus: *Regnantibus peius multo periculum, quam his qui iudicantur: hi enim ſingulos timent, illi univerſos.*

V. 821. *Repente dives nemo factus eſt bonus.* Vel ſi varies hoc modo: *Nemo bonus, repente factus eſt dives.* Aut: *Nemo repente dives factus eſt bonus*, eodem res redit. Certe vetus Graeca eſt ſententia:

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν.

V. 829. Publianus germanus mimus eſt ille:

Multos timere debent, quem multi timent.

Sicut & Laberianus iſte:

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent:

In quos vide, quae ſuo loco notavimus. Ex his eſt concinnata hac ſententia: *Res vera eſt: qui a multis timetur, multos timet.* Sicut & Seneca ſaepe habet eandem.

V. 830 Mart. de moribus: *Multi ſunt obligandi, pauci offendendi. Nam memoria beneficiorum facilis eſt iniuriarum tenax.*

V. 834. Ita recte G. & S. ut ſit trochaicus. Noſter m. ſ. F. ſic habet: *Ridiculum eſt odio nocentis innocentiam perdere.* Martinus de moribus corrupte citat hoc modo: *Ridiculum eſt aliquem odio nocentis innocentiam perdere.*

S.

V. 839. *Saepe diſſimulare, quam vel ulciſci ſatius fuit.* Eſt elegans trochaicus.

V. 845. Eſt Senecae.

V.850.*Seu quid iuvidia eſt? dolor animi eſt ex alienis commodis. Scito enim illud, quia nulli invidetur, niſi praedito bonitate.*

V.857. Sequor lectionem H. Noſter m.ſ. F. hunc verſum in littera E. ſic habet: *Exilium pati eſt, patriae qui ſe denegat*. At S. & C. ita legunt: *Exilium patitur, Patriae qui ſe denegat*.

V. 861. Martinus l. de moribus: *Diſſenſio Ab alio incipiat, a te autem reconciliatio*.

V. 862. *Se poſſe plus iratus, quam poſſe putat*. Elegans hic mimus, omnino ita reſtituendus, qui perperam tranſpoſitus erat in m ſ.F. hoc modo: *Semper iratus plus ſe poſſe putat, quam poſſit.*

V.872. G. *Pudet fieri deteriorem*.

V.876 G *Sicut formoſa pictura eſt, cuius nulla pars errat, ſic formoſus homo, in quo nulla peccati macula eſt. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc omni genere vitae teneamus, ut nobis inexorabiles ſimus, exorabiles illis, qui non niſi ſibi dare veniam neſciunt*.

V.887. Godofredus & Martinus de moribus ita legunt: *Si vis beatus eſſe, cogita hoc primum, contemnere & contemni.*

V.888 *Si vis amari, ama*. Hoc dicto uſus eſt Hecaton, teſte Seneca l. 1. Epiſtol 9. *Hecaton ait: Ego tibi monſtrabo amatorium, ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficae carmine*: SI VIS AMARI, AMA, Haec Seneca.

V. 893. Ita legit Martinus l. de moribus: *Solitudinem quaerit*. F. *Solitudinem quaerit*.

V. 901 Ita citat etiam Martinus l. d. moribus hunc Publianum mimum, quem Seneca reſpexit, eumque libro de remediis fortuitorum inſeruit, non tamen laudato nomine Publii, ita tamen ut ſit Scazon.

Stultum eſt timere, quod vitare non poſſis:
Iſtud non effugit, etiam qui diſtulit.

Noſter m. ſ. F. legit: *Quod mutari non poteſt.*

V.910. G. *in mille facinorum furias mens otioſa decurrit.*

V. 911.

V,911.Et hic pro Publiano mimo ex Seneca ſumptus eſt,vel Seneca hunc Publianum mimum in oculis habuit cum ſcripſit l.11 ep.81.*Magnones,quicquid eſt quod diſpliceat,aliquo lenocinio abſcondunt.Itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt.*

T.

V.914. Ita corrigo hunc mimum . Mart. lib. de moribus i *Qui neſcit tacere, neſcit loqui.*

V.917. Citatur hic mimus a Seneca l 7.Controverſ. c.3.Noſter vero m.ſ. F. ita legit : *Tam avaro quod habet, quam miſero quod non habet.*

V.926.Friſingenſis codex legit : *Turbae praebet ſpectaculum aeger animus* . Mart.lib.de moribus corrupte refert hunc mimum ſic: *Turpe.ſpectaculum praebet animus aeger.* Godofredus etiam legit : *Turpe* .

V.927.& 928.Mar.de moribus citat hanc ſententiam iiſdem verbis.Codex Friſingenſis legit*: Tranſibit ſermo in effectum.*

V.

V.949 Mar.de mor.*Verba rebus non perſonis aeſtimanda ſunt*

V.950.*Veterem ferendo iniuriam invitas novam.*Ita etiam laudat hunc Publianum mimumMacrob l.2.Sat.c.7.Gellius l 17.c.14.alio ſenſu : *Veterem ferendo iniuriam vites novam.* Argute ſane:neque ſperno.Retineo tamen priorem*:* quia m.ſ.F.aperte:*Veterem ferendo iniuriam invites novam.*

V.953.Mart.l.de moribus.*Bonus vir eſt, qui eo perduxit affectum,ut non tantum peccare non velit,ſed etiam non poſſit.*

V.954. Mart. ib.. *Vires tuas amici magis ſentiant beneficiis,quam iniuriis.*

V.956.Mart.ib.*Dolor patientia vincitur*Sicut & legit G

V.963.*Virtutis vultus partem habet victoriae* Ita coniecto legendum,non *vulius*,ut habet m.ſ.F.

V.965.Martinus citat etiam hanc ſententiam.

V.967.G.vitioſe:*Vitium prius fuit obſervatio,nunc mos eſt* F.*Vitium prius fuit aſſentatio,nunc eſt amor.*At nos ſequimur hic S.lectionē.A cuius mente eſt,quod ait Seneca l.5.ep. 38 *Deſinit eſſe remedio locus,ubi,quae fuerant vitia,mores ſunt.*

FINIS.

Digitized by Google